

VIII 1 11

B/12.

Gimnazyum

EPITOME
CURSUS
THEOLOGICI
AD MENTEM D. THOMÆ
DOCTORIS ANGELICI,

COMPLECTENS
Controversias omnes quæ hâc tempestate exagitari solent in Scholis:

CONCINNATA
In gratiam ac juvamen studiosæ Juventutis,

ET
DEO OPTIMO MAXIMO
DICATA

A Fr. VINCENTIO FERRER, S. ORD. PRÆD. Phil. & Theol. Magistro, Doctore & Professore Valentino, apud S. Inq. Senatum Qualificatore, in Almo Prædicat. Conventu, Emerito Studiorum Præfecto.

In Bibliotheca Conventus Saguntini

TOMUS I.

An 1777

Editio secunda, ab ipso Authore recognita, & à pluribus expurgata mendis.

VALENTIÆ, ANNO M. DCC. XXXIV.
Apud Antonium Balle.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO REGIS.

Ex Libris R. P. Fris Francisci Ryc. Conobii Loci Primarij Prov. Filij Conventus Lucentini. post mortem appetat Bibliotheca Conventus Saguntini

FACULTAS ORDINIS.

NOS Fr. Hyacinthus Santa-Romana, S. Theologię Professor, ac Provincię Aragoniæ Ordinis Prædicatorum Prior Provincialis, & servus. Harum serie, nostrique authoritate Officii, licentiam concedimus & facultatem R. P. Præsentato Fr. Vincentio Ferrer, S. Theol. Doct. & Professori Valentino, ac S. Officii Qualificatori, typis mandandi Tomum primum *Epitomês Cursûs Theologici*; dummodò recognitus, & approbatus fuerit à RR. A. PP. Fr. Seraphino Thoma Miguel, & Fr. Joseph Bono, S. Theol. Magistris, servatisque aliis de jure servandis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen. Datum Valentiæ in nostro Prędicatorum Conventu die 5. Aprilis 1720.

Fr. Hyacinthus Santa-Romana,
Prior Provincialis.

Regist. fol. 38.

Fr. Petrus Gomez,
Mag. Fidei Cens. & Socius.

Locus ✠ Sigilli.

APPROBATIO RR. A. PP. MM. Fr. SERAPHINI THOMÆ Miguel, in Academia Valentina S. Theol. Doct. & Fr. Josephi Bono, S. Officii Qualificatoris.

EX mandato R. A. P. N. Fr. Hyacinthi Santa-Romana, Sac. Theol. Mag. Theologi Casanatensis, ac Provinciæ Aragoniæ Ord. Prædic. Prioris Provincialis, quâ potuimus curâ, parique voluptate, Synopsim Cursûs Theologici ad mentem D. Th. à R. A. P. Fr. Vincentio Ferrer, Præsentato, Philos. Mag. Sac. Theol. Doct. utriusque Facultatis Censore, ac in Academia Valentina Ethicês Cathedram Regente, S. Officii Qualif. summô elaboratam studiô, perlegimus: nondùmque ad metam nostra pervenerat lectio, & jam unô ore fassi sumus, studiosam juventutem Auctori summoperè devinctam esse debere, quòd sibi, omnia theologicæ eruditioni necessaria, presse, dilucidè, ac nervosè tradat: Autho-

rem verò posse de sua Epitome dicere, quod de suamet Orthographia Casiodoro, ex Phoca, proferre placuit:

Ars mea multorum es, quos secula prisca tulerunt;
Sed nova te brevitas asserit esse meam.
Omnia cùm veterum sint explorata libellis;
Multa loqui breviter, sit novitatis opus.
Te relegat juvenis quem garrula pagina terret,
Aut si quem paucis seria nosse juvat.
Te longinqua petens comitem sibi ferre viator
Ne dubitet, parvô pondere multa vehens.
Est quod quisque petat: nunquàm censura diserti
Hoc contemnet opus, si modò livor abest.

In qua dum fluit eloquium, & par doctrinæ floret eruditio, quoscunque difficultatum nodos ità clarè dissolvit, enucleat, exenterat: ut de cætero dubitandi nullus superfit locus, nisi nodum in scirpo quærere liceat; nam in omnibus vel difficillimis quæstionibus, ità nævos extricat, ùt in unaquaque sola insudasse nobis vissum sit. Nec laude vacuam volumus religiosam, quâ semper utitur in dijudicandis Contrariorum opinionibus, dignam discipulô Divi Th. modestiam: ut omnibus notum fiat, in illis repellendis, sententias sibi perpetuò displicuisse, non homines. Et cùm nihil in ea inveniatur, Fidei, aut bonis moribus dissonum, prælo dignam censemus. In hoc Regali Conventu Prędicatorum Valentiæ, die 28. Junii 1720.

Fr. Seraphinus Thomas Miguel,
Mag. & Doct.

Fr. Josephus Bono,
Mag. & Qualif. S. Officii.

APPROBATIO D. MICHAELIS VIVES, PHIL. MAG. ac bis Profess. S. Theol. Doct. Exam. Synod. & Parochi ad Sanctum Laurentium.

JUssû Perillustris D. D. Franciſci de Yanguas Velandia, Presbyteri, J.U.D. Metropolitanæ Burgensis Ecclesiæ Canonici, & Valentini Archiepiscopatûs Officialis, & Vicarii Generalis, perlegi, & evolvi Epitomen hanc Cursûs

Theo-

Theologici ad mentem D.Thomæ Doct.Ang. ad Cleanthis lucernam ingeniosè elaboratam per R.A.P. Fr.Vincentium Ferrer, Dominicanum, Præsentatum in Sacra Theol. & in Valentina nostra Universitate S. Theol. Doct. & Cathedræ Ethicês Moderatorem,ac S.Officii Qualific. in qua Auctor, quantum pro addiscenda tuendaque Thomistica doctrina desiderari potest, summâ dexteritate pertractat, eâ brevitate, quæ claritati minimè obest, adeò ut tritum illud, *Dum brevis esse laboro, obscurus fio*, longè absit. Verùm & illud, ex quo Summa Theologica D.Thomæ ad sydera usque ab omnibus effertur,nempè,esse omnium Ss.PP. Epitomen,Scholasticorum laborum metam, & penes ultimum limitem, in qua, ut Possevinus ait, D.Thomas omne tulit punctum, & videtur reliquis omnibus præscidisse viam, quâ aliquid, aut augustius, aut plenius,aut brevius fieri possit. Et, juxta Six. Senen. indissolubili pacis fœdere conjunxit quatuor illa invicèm pugnantia, *brevitatem* scilicèt, *copiam*, *claritatem*, & *securitatem*: Id ipsum, inquam, de nostra Epitome dicendum fore, existimo. Præcipuas enim disputationes, quæstiones, argumenta, & difficultatum nodos,qui à Theologis nostri temporis controverti consuevêre, supra communem cothurnum eò perducit, ut quid ulteriùs dici, aut replicari possit, non video. Dignum sanè opus, quod in Thomistarum manibus frequenter habeatur, evolvatur, proteraturque, ut in promptu quisque habeat argumentorum tela, quibus contrariorum opiniones confodiat, & ab argumentis ex adverso se facillimè expediat. Nihil in eo deprehendi, quod inoffensò pede percurri non possit, & à vero & recto Catholicorum dogmatum & morum tramite deviet. Sic censeo,salvò,&c.Valentiæ XXIV.Julii,anno M.DCC.XX.

Doct. Michaël Vives,
Rector S.Laurentii.

Imprimatur,
Tanguas, Vic. Gen.

APPRO-

APPROBATIO R. A. P. M. Fr. BERNARDI ARMENGOL de Folch, in Valent. Academia S. Theol. Doct. & Cens. Valentinæ Prov. Regii ac Militaris Ord. B. M. de Mercede, Redempt. Captivorum, privativè in Aragoniæ Regnis, Provincialis.

DUM jussû Regii Supremi Senatûs, non sine ingenti voluptate, perlegerem *Epitomen Cursûs Theologici ad mentem D. Th. Doct. Angelici*, Authore Reverendiss. P. M. Fr. Vincentio Ferrer, Sacri Ordinis Prædicat. Phil. & Theol. Mag. Doctore, & Professore Valentino, ac S. Officii Qualificatore; singulare quid nactus sum & absimile vinoni mirandæ illi, quam Esther 10. assequutus est Mardochæus. Vidi enim vastissimum diversarum doctrinarum pelagus, angustas parvi fontis claritatis redactum in margines. Animadverti immensam Solis magnitudinem, theologicorum dogmatum profusum splendorem, in nitidum, quanquàm parvum rivum, contracta fulgoris. Perspexi demùm exundantem, sinuosum, effusumque benè munitarum sententiarum amnem, ad cohærentes solidarum resolutionum fonticuli crepidines coarctari. Sacram igitur Sanctissimi Thomæ Theologiam, quæ rivulus in ejus Summa, in fluvium, in lucem, in Solem, in vastum tot illustrium commentariorum Mare sese expenderat; in excultissima, quam præsentat ingeniosus Author, *Epitome* contristam, repressam, atque in compendiû versam contemplatus sum. Sanè dùm jussa peragens, quid viderim, pronuntiavi; jàm, quid de his senserim, quæ obsequens sum admiratus, satìs superquè detexi. Labor sanè magnoperè necessarius, non modò quia studiosę juventutis progressibus accomodatus (ut humilis ejus Author inscribit;) sed etiam quia, comparatę adultorum sapientum scientiæ firmiùs tuendæ, plurimùm profuturus. Dignissimum profectò opus quod publicâ luce fruatur. Quippè Fidei puritatem minimè temerat, omninò tuetur. Christianis moribus haud quaquàm absonum, omninò cohęrens. Non in eo quidquam Regio Juri, authoritativè detrahitur, per omnia consulitur. Sic sentio, &c. pridiè nonas Julias 1720.

Fr. Bernardus Armengol de Folch,
Almę Mercedariæ Val. Prov. Præsul.

LI-

LICENCIA, Y PRIVILEGIO.

Dieron licencia los Señores del Consejo, para imprimir este Libro, y los otros tres del *Epitome Cursûs Theologici, ad mentem D. Thomæ Doctoris Angelici*; su Autor el P. M. Fr. Vicente Ferrer, del Orden de Predicadores, Cathedratico de la Universidad de Valencia. Y les tassaron à ocho maravedis cada pliego, como mas largamente consta por certificacion dada por Don Joseph de Bordonaba, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno de el Consejo, por lo tocante à Valencia, Cataluña, y Aragon.

Assimesmo concede su Magd. licencia, y Privilegio por diez años, para imprimir dichos Libros, al dicho su Autor: Y manda, que nadie, sin su permisso, les pueda imprimir, vender, ni introducir en estos Reynos, aunque sean impressos fuera de ellos. Como consta por Real Cedula de su Mag. dada en Castilblanco à 2. de Febrero del año 1730.

Erratum,	*Pag.*	*Lin.*	*Correctum.*
peripateca,	7.	9.	peripatetica.
Montati,	84.	24.	Montani.
crespere,	ibid.	35.	crescere.
derfectionem,	87.	6.	perfectionem.
vident,	96.	18.	videt.
Pater,	202.	13.	Patet.
dedet,	219.	4.	debet.
qui,	228.	33.	quin.
illus,	298.	1.	illius.
radicile,	364.	12.	radicale.
non attributali,	374.	25.	attributali verò.
posst,	398.	14.	posit.

Leviora penitùs eluere, tædiosum & inutile. Facilè quis ea deprehendet & corriget.

PRÆ-

ANGELICÆ D.Thomæ doctrinę tribuendum eſt,quòd Epitome noſtra, illi innixa, ejuſque mirabilem copiam, ordinem, ac breviloquentiam, pro viribus, æmulata, tantum Theologis arriſerit, quantum vel eventus ipſe demonſtrat: notum enim, quàm avidè undiquè conquiſita, & ubiquè excepta ſit. Nec operam noſtram in ea concinnanda, probari ac placuiſſe, dîſplicet. Imò, dùm pluribus, & maximè Tyronibus, non parùm profuiſſe audimus; plurimùm gaudemus, voti cômpotes: Hic quippè noſtris fuit ſcopus in hoc negotio, vigiliarum & ſudoris pleno, aſſumendo, ſicut & Angelico Doctori in adornanda Summa Theologica: *Conſideravimus nanque* (ut ipſius verbis utamur) *hujus doctrinæ novitios, ex his quæ à diverſis conſcripta ſunt, plurimùm impediri: Partìm quidem propter multiplicationem inutilium quæſtionum, articulorum, & argumentorum. Partìm etiam* propter diſciplinæ inverſionem. Partìm demùm propter faſtidioſam eorundem repetitionem. *Hæc igitur, & alia hujuſmodi, evitare ſtudentes; tentavimus cum confidentia Divini auxilii, ea quæ ad ſacram Doctrinam pertinent, eô modô tradere, ſecundum quòd congruit eruditioni incipientium*: nimirùm,*breviter,ac dilucidè*. Hæc cùm aperta ac firma ſit Communis Doctoris ſententia; abeant, ſi qui ſint, illam detrectantes, & viderint, quid tandèm ipſi indulgendo genio agant, niſi ſtudioſam morari prolixitate juventutem. Nos autem,cùm in prima hujus Operis editione, rem pro votis eveniſſe noſcamus: nihil illi addere, vel adimere, ſatiùs duximus; ſed novam hanc,accuratiorem,& à pluribus typorum nęvis defecatam exhibere.

DIS-

DISPUTATIO PROOEMIALIS,

De Natura, & Dotibus S. Theologiæ.

DUBIUM I.

Utrum S. Theologia sit verè & propriè Scientia?

1 SACRA Theologia est, *Habitus per discursum ex principiis revelatis procedens, quô* (ut Aug. ait) *Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*: Quippè illius est docere, quid ex sacris, divinisque & litteris & institutis, consequens sit, quid contra repugnans: quemadmodum Fides catholica & piis opitulatur, & adversùs impios defendatur. Hinc necessaria simpliciter fuit semper in Ecclesia, sive hâc, sive illâ methodo tradita. Quod & apertè habetur ex illo ad Tit. 1. *Oportet Episcopum esse amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere*; & ex pluribus aliis Scripturæ locis,

quibus docemur, Deum Ecclesiæ suæ providisse de Doctoribus, sapientiâ, scientiâ, &c. & nec hæretici ipsi, PP. doctrinam & sanam Theologiam reprobantes, id negare possunt, cùm ipsimet, se Doctores & defensores Fidei, suâque doctrinâ eam legitimè explicari, profiteantur.

2 Convincitur preterea ratione D. Thomæ a. 1. Homo siquidem ordinatur in Deum etiam ut finem supernaturalem: cùm ergo agenti propter finem necessaria sit cognitio finis, ut eò dirigat suas actiones; plura de illo debet cognoscere, quæ non nisi divinâ revelatione haberi possunt; sed ad hæc explicanda, & ab impugnatoribus defendenda, necessaria est S. Theologia: ergo. Necessaria insuper est ad ea etiã, quæ naturali ratione investigari possunt de Deo; cùm hujusmodi, & à paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum, cognoscantur: ergo.

3 Hinc inferes, D. Thomam nomine *sacrę doctrinæ revelatæ*, non Fidem, sed Theologiam intelligere. Quod ulteriùs constat: tum, quia illam appellat *scientiam* in *Sed contra*: tum, quia aliàs æquivocè procederet, cùm in reliquis articulis de Theologia determinatè loquatur. Et sanè mirum esset, quòd in quæstione procœmiali Theologiæ, non de illius, sed de Fidei necessitate ageret, de qua iterum 2. 2. q. 2. a. 3. differit ex professo: undè hîc & diminutus esset, & superfluus. Sed benè nota, Cajetanum non docere (prout aliqui moderni existimant, undè illum impugnant) D. Thomã loqui de aliquo habitu abstrahente à Fide & Theologia, quẽ nomine *sacræ doctrinę* intelligat. Imò vult, quòd de utraque simul ejus conclusio procedat; sed quòd non agit talitèr determinatè de una, quin simul includat aliam: De Fidei autem necessitate, agit 2. 2. specialiter, & per se; hîc verò, ad explicandam Theologiæ necessitatem dumtaxat. Hæc autem doctrina valdè probabilis est.

4 Nec obstat contra nostram, quòd cognitio ultimi finis (propter quam asseritur necessaria sacra doctrinæ) habeatur per Fidem: etenim ex absoluta Fidei necessitate, quã immediatè convincit inducta D. Thomæ ratio, optimè infertur necessitas Theologiæ, ad quam spectat, Fidei veritates

ro-

roborare, explicare,& defendere; ſed hoc ſubſumere omiſit S.Doct. tanquàm clariſsimum ex primo. Meritò etiam non inquirit: *Utrum, præter naturales ſcientias, debeat dari alia ſacra ſcientia, &c.* Nec enim debebat Theologiam *ſcientiam* nominare, antequàm oſtenderet ſcientiam eſſe; quod art. ſeq. præſtat: Undè congruentiùs eam generali nomine *ſacræ Doctrinæ* appellare debuit.

5 Sumpta verò Theologia, prout *Scholaſtica* dici ſolet, juxta methodum à Petro Lombardo primò inventam, & à D.Thoma ad miraculum auctam, quâ ex tunc preſsiùs, ordinatiùſque traditur; non eſt ſimpliciter neceſſaria Eccleſiæ, quippè quæ ſine illa multis ſæculis floruit; eſt tamen apprimè utilis, tum ut faciliùs capiatur, firmiùſque teneatur, tum ut hæreticorum errores apertiùs detegantur, & refellantur efficaciùs.

6 Dices: Multi ſunt abuſus in Theologia Scholaſtica, tot nimirùm inutiles ſubtilitates, quę citra ſalutis diſpendium ignorari poſſent & deberent, & quibus docemur diſputare, non vivere; ſcholæ namque factionibus plenę ſunt: non igitur neceſſaria, ſed potiùs inutilis & noxia cenſenda eſt Theologia Scholaſtica. R.cú ſapientiſſ.Cano lib.8.de locis, plures quidem in multorum Theologorum tractationes irrepſiſſe abuſus: *Sunt enim* (inquit) *quidam Theologi aſcriptitii, qui univerſas quæſtiones frivolis argumentis abſolvunt, & pondus rebus graviſsimis detrahunt. Fuerunt etiam nonnulli quaſi ad diſcordiam nati, qui tunc optimè diſſeruiſſe ſe putant, cùm contra dicta ſuorum dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quàm concertationibus, rixiſque totas cartas implere. Sed defectus iſti, & ſi quę ſunt ſimilia mala, non Scholę, ſed hominum vitiò contingunt; & propter nonnullorum exceſſus, non eſt omnium corona traducenda.*

Recentiores hæretici in Theologiam Scholaſticam totis viribus debacchantur, ejuſque Interpretibus maledicunt. Nec mirum; quia ut lepidè ait laudatus Canus, *Agnoſcunt lupi canes, & eos odiò proſequuntur.* Sic Theologorum nomen hæreſeon fautoribus inviſum eſt, & exoſum Novatoribus, quorú inſidias Scholaſtici præcavent. His prælibatis,

7 Conclusio est affirmativa, & intelligitur de Theologia, quæ habetur in via, de qua solùm agit hîc D.Thom. Theologiam autem Patriæ esse verè Scientiam, ostenditur alibi non semel, hîc supponitur. Conclusio est D.Thomæ, & ferè communis contra Duran. Scot. Aureo. & quosdam RR. Probatur autem evertendo fundamentum oppositorú: Habitus Theologiæ, etsi careat evidentiâ, inclinat in assensus determinatè veros: ergo essentialiter distinguitur ab habitu opinativo, estque virtus mentis: ergo cùm non sit ars, aut prudentia, quia speculativus; nec intelligentia, quia discursivus; erit essentialitèr Scientia, aut Sapientia.

8 Prætera, D.Th. in 1.ad Anib.q.1.Prol.a.1.enumerans ex professo requisita ad veram rationem scientiæ; evidentię non meminit: *Ad rationem* (inquit) *scientię duo requiruntur, unum ex parte conclusionum, scilicèt, quòd ex aliquibus necessariis deducantur: aliud ex parte principiorum, scilicèt, quòd sint vera.* Philosophus etiam scientiam diffiniens 6.Ethic. evidentiam non requirit: *Est* (inquit) *rem per causam cognoscere, & quòd illius est causa, &c.* evidentia igitur non est de conceptu scientiæ ut sic, sed solius purè naturalis, cui aliundè convenire nequit certitudo, quàm ex principiorum evidentiâ; quę proinde, non tàm ratione sui, quàm ratione certitudinis, ad scientiam requiritur: erit igitur Theologia, tametsi inevidens, verè scientia; & quidem omnibus naturalibus longè perfectior, cùm procedat ex principiis revelatis, omnem naturalem certitudinem excedentibus. Et hoc expresè docere videtur D.Thomas locô mox laudatô; cùm enim sibi obiecisset: *Omnis scientia est de apparentibus; at Theologia est de credibilibus: ergo, &c.* respondet: *Ad 1. dicendum, quòd quamvis credibilia, de quibus est Theologia, non sint apparentia secundùm lumen naturę, sunt tamen apparentia secundùm lumen Fidei.* Nec propterea negamus, Theologiam secundùm se, sive etiam secundùm perfectum statum quem potest habere, posse resolvere conclusiones in principia evidentia: quod sanè, & non ampliùs, innuere videtur D.Thom. hîc a.2. in corp. & ad 1.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

9 Oppones 1. D.Thomam in 3.d.33.q.1.a.2.qa.4. dicentem: *Si autem esset aliqua scientia, quæ non posset reduci ad prima principia naturaliter cognita, non esset ejusdem speciei cum aliis scientiis, neque univocè Scientia diceretur*; at Theologia est hujusmodi: ergo. *Præterea*, 2.2.q.1.a.5. & alibi, docet, scientiam esse incomposibilem cum fide erga eandem veritatem; Theologia autem cum fide compatitur. *Demùm*, in 3.d.23.q.2.a.4.qa.1. negat fidei divinæ, & prophetiæ, rationem virtutis intellectualis, ob defectum evidentiæ: ergo ista est de conceptu illius, & consequenter de ratione scientiæ. *Confirmatur*: Evidentia est in scientia radix certitudinis:ergo si ista est de conceptu scientiæ, & illa.

10 R.ad 1.mentem D.Thomæ esse, quòd talis scientia, quia supernaturalis saltem extrinsecè & objectivè, distingueretur specie & genere proximo à purè naturalibus: inde enim infert, virtutes morales infusas eô modò distingui ab acquisitis. Sicut ergo virtutes infusæ sunt nihilominùs simpliciter virtutes, & univocè conveniunt in genere remoto virtutis moralis cum acquisitis: sic de Theologia & scientia per se infusa dicendum est,respectivè ad scientias purè naturales. *Ad* 2.resp. loqui D.Thomam de scientia evidenti, seu purè naturali; ut patet ex ratione, quâ perpetuò utitur. Et sanè,scientia & sapientia per se infusæ, inter dona Sp.S. ab Apostolo enumeratæ, optimè cum fide cohærent.

11 Ad 3.resp.D.Thomam ibi,& 1.2.q.57.expressè differere de virtutibus intellectualibus in specie,de quibus agit Phil. tanquàm sibi cognitis, & de quarum ratione est evidentia: quapropter ab earum numero & genere proximo excludit fidem & prophetiam, tanquàm quid excellentius. At, cùm his apertè conveniat diffinitio tum virtutis ut sic, tum intellectualis; ideò eas alibi virtutes mentis appellat: Sicut virtutes morales per se infusæ,dicuntur & sunt simpliciter virtutes,quia diffinitiones virtutis ut sic,& moralis, ab Arist.traditæ,illis adaptantur. *Ad conf.*resp.non solam evidentiam esse radicem certitudinis: assensus enim Fidei divinæ est obscurus, & certissimus; & idem apparet in scientia

per

per se infusa: In solis ergo scientiis purè naturalibus oritur certitudo ex evidentiâ.

Si autem quæras, cur certitudo est omninò de quidditate scientiæ, non autem evidentia? Resp. quia sine certitudine non salvatur essentia virtutis intellectualis, de cujus conceptu est non posse labi in falsum; benè verò sine evidentia, ut patet ex dictis. Hinc inferes, diffinitionem illam scientię, *Habitus certus & evidens, &c.* esse solius scientię humanæ purè naturalis, & quidèm connaturaliter habitæ; diffinitionem verò suprà allatam ex 6. Ethic. esse essentialem pro omni scientia, naturali, supernaturali intrinsecè, aut extrinsecè, humanâ, Angelicâ, & Divinâ.

12 Opp. 2. Scientia est de universalibus & necessariis; at Theologia agit de singularibus, ut de Christo D. Beatissima Virgine, aliisque; & de contingentibus, ut de actibus humanis: ergo. *Conf.* Assensus scientificus est necessarius; at assensus conclusionis theologicę est liber, sicut assensus principiorum illius: ergo. *R.* Theologiam non concludere aliquid de singularibus & contingentibus ut talibus, sed sumptis sub ratione essentiali & specifica, quæ, propter suam excellentiam, in uno solo individuo reperitur: qua ratione, Philosophia & Astronomia plura de Sole & Luna demonstrant. Vel dicendum, quòd licèt scientia naturalis, à lumine primorum principiorum dependens, non sit nisi de universalibus & necessariis; Theologia tamen, quia descendit & pendet ex divina revelatione, ad singularia & contingentia se extendente, de his agere potest, prout divinæ subsunt cognitioni, quæ immobilem eis prębet certitudinis firmitatem.

Ad conf. resp. assensum scientificum purè naturalem & evidentem, esse necessarium, cùm pendeat ex principiis evidenter notis, quibus proinde intellectus necessariò assentitur; assensus autem theologicus, ab assensu principiorum libero pendens, liber absolutè sit, necesse est. Est nihilominus sciętificus, quia certissimus & infallibilis; in quo differt ab assensu conclusionis syllogismi rectè dispositi in materia probabili, adhuc suppositò assensu principiorum; quanvis utrobique sit necessitas consequentiæ.

DU-

DUBIUM II.

Utrum Theologia noſtra ſtrictè ſubalternetur ſcientiæ Dei & Beatorum, maneatque in Patria?

13 AD 1. reſp. negativè : Deficit enim, ut minimùm, una ex potiſsimis conditionibus ad veram ſubalternationem requiſitis juxta principia peripatetica, videlicet, *quòd principia ſcientiæ ſubalternatæ, ſint concluſiones ſubalternantis*: ſiquidem articuli Fidei, qui ſunt principia Theologiæ pro hoc ſtatu, ſunt etiam principia Theologiæ Beatorum; quanvis illis evidentia, nobis obſcura. Quia tamen Theologia noſtra dependet in evidentia principiorum à Theologia patriæ ; ideo dicendum eſt, habere illam modum ſcientię ſubalternatę reſpectu hujus. Quod videtur præcisè intentum D.Th. Et ſic vitantur plura argumenta, quę non parum moleſtant cupientem rigoroſam ſubalternationem ſuſtinere.

Nec dicas cum Cajet. & aliis, ſolam dependentiam in evidentia principiorũ, eſſe ad ſubalternationem eſſentialiter requiſitam; reliquas verò conditiones à Metaphyſicis aſsignari ſolitas, illi accidere: Quippè, ſi hoc eſſet verum, omnis ſcientia naturalis ſtrictè ſubalternaretur intelligentiæ, quod communi ſententiæ adverſatur.

14 Ad 2. reſp. affirmativè cum frequentiori Thomiſtarum ſententia. Et ratio eſt: tum, quia dona ſapientiæ & ſcientiæ, licèt prout in viatoribus à Fide dependeant, & per illam regulentur ; remanent nihilominus in Patria, juxta D.Th. 1.2.q.68.a.6. ergo pariter: Tum, quia *habitus ſcientiæ hic acquiſitæ, ſecundùm quòd eſt in intellectu, manet in anima ſeparata*, ut docet exprofeſſo D.Th. inf. q.89.a.5. & 1.2.q.67.a.2. & in 3.d.31.q.2.a.4. Conſonat inſuper tritum illud Hieron. ad Paulam : *Diſcamus in terris talem ſcientiam, quæ nobiſcum perſeveret in cœlis.*

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

15 Opp.1. contra 2.concl. illud 1.Cor.13. *Scientia destruetur*, quod de sola Theologia intelligi potest, cùm certum sit, reliquos habitus scientificos in Patria remanere. Respondet D.Thomas loco 1.adducto: *Ad 1.dicendum, quòd Apostolus non loquitur ibi de scientia quantùm ad habitum, sed quantùm ad cognitionis actum; unde ad hujus probationem inducit: Nunc cognosco ex parte.* Eadem habet in reliquis locis, & super verba Apost. ubi ita concludit: *Et secundùm hoc, Apostolus hîc dicit, quòd scientia destruetur, scilicèt, secundum conversionem ad phantasmata.*

16 Sed instat S.Doct. *Quòd secundùm hoc, videtur, quòd etiam charitas evacuetur per futuram gloriam, quia ipsa est imperfecta in statu viæ, per comparationem ad statum patriæ.* En instantiam sanè difficilem, quam multis urget in M. S. contra nostram sententiam Sap. M. Fr. Petrus de Matilla, Primarius Salmant.& Regis Catholici à Confess.Sed immeritò; illi enim occurrit D.Th.ceù doctrinę suę planè adversæ,dicendo,quòd *imperfectio est de ratione scientiæ proùt hîc de Deo habetur,inquantùm scilicet, cognoscitur ex sensibilibus; non est autem de ratione charitatis, ad quam pertinet cognitum bonum diligere:& ideo,superveniente perfectione gloriæ,cessat scientia; charitas autem non cessat,sed magis perficitur: quia quantò perfectiùs cognoscitur Deus, tantò etiam perfectiùs amabitur.* Hæc S. Doct.

Quanvis ergo habitus Theologię maneat perfectior in patria,sicut & charitas; discriminantur tamen in eo, quòd Theologia destruitur quantùm ad id, quod est materiale in scientia,scilicet phantasmata, & quantùm ad modum intelligendi,per conversionem scilicet ad phantasmata,ut loquitur S.Doct.locô cit.ex 1.2.& quia hujusmodi imperfectiones sunt de ratione Theologię vialis, dicitur quòd *destruetur.* Charitas autem nunquam excidit: quia imperfectiones quas habet in via, non sunt de ratione illius, adhuc proùt vialis(de ratione quippè illius,etiam prout in via,solùm est, bonum cognitum diligere;) sed accidunt ei ratione subjecti duntaxàt, ut docet q.de charit.a.12. Unde nec quoàd forma-

male, nec quoàd materiale èxcidit, aut deſtruitur.

Imperfectio igitur eſt de ratione Theologię prout hîc habetur, ſeu vialis; non autem de ratione Theologię: quemadmodum imperfectio eſt de ratione pueri, non autem de ratione hominis (exemplum eſt D.Thomæ.) Sicut ergo adveniente perfectâ ætate, ceſſat quidem pueritia, ſed humanitas fit perfecta: ſic ſuperveniente perfectione glorię, ceſſat quidem Theologia prout vialis, ſive proùt hîc habetur, ſcilicet, quatenùs Deus cognoſcitur ex ſenſibilibus; ſed Theologia fit perfecta, ſicut & Charitas. Apoſtolus igitur contraponit Charitati Theologiam, ſive ſcientiam de Deo, non abſolutè ſumptam, ſed prout hîc habetur; & conſequenter argumentum fallaciter procedit ab inferiori ad ſuperius negativè. Arguitur enim ſic: *Juxta Apoſtolum, noſtra Theologia prout hìc habetur, non permanet in patria: ergo juxta Apoſtolum, noſtra Theologia non permanet in patria.* His rectè perpenſis, ruunt omnia quę in oppoſitum adducit laudatus Magiſter.

17 Opp.2. Obſcuritas convenit habitui Theologiæ ratione principiorum: ergo eſſentialiter: ergo. *Præt.* Habitus Fidei, quia obſcurus, nequit in clarum tranſire: ergo. *Deinde*: Nullus actus obſcurus reddi poteſt clarus idem manens: ergo. *Tandem*: Certitudo & evidentia Theologię manentis in patria, eſſet ſupernaturalis, cùm procederet ex lumine & viſione ſupernaturalibus: ergo & Theologia ipſa eſſet ſupernaturalis: ergo Theologia noſtra, quę naturalis eſt juxta dicenda, aut tranſit in ſupernaturalem, quod repugnat planè; aut non manet in Patria.

18 Ad 1. neg. conſeq. quia obſcuritas nec principiis Theologię convenit eſſentialiter. *Ad* 2. reſp. quòd habitus Fidei eſt eſſentialiter obſcurus; Theologia autem accidentaliter tantùm. Diſtinguenda eſt ergo cauſalis antecedentis, & neganda conſequentia. *Ad* 3. reſp. diſparitatem eſſe, quia obſcuritas eſt prędicatum individuale actûs, non autem habitûs, propter majorem hujus latitudinem, ſicut de libertate dici ſolet; & propterea habitus charitatis, liber in via, manet neceſſarius in patria; quod actui Charitatis probabiliter negatur. *Ad ult.* neg. ant. Certitudo enim & evidentia Theo-

lo-

logię in patriam translatę, remanet naturalis, quia per discursum naturalem derivatur ex visis in Verbo : Sicut etiam certitudo nostrę Theologię est naturalis propter eandem rationem, tametsi principia ex quibus derivatur, supernaturalia sint. Unde & argumentum nimis probat.

DUBIUM III.

Utrum Theologia sit una scientia in specie atoma, & simplex qualitas?

19 CONclusio est affirmativa, ferè communis,& satis nota ex his quę in Poster. imò & in Proœmialibus Logicę à tempore M.Soto tradi solent de unitate & simplicitate scientiarum. Breviter igitur (nè acta agamus) probatur , & 1.quoàd 1.partem. Quia ejus objectum formale est unum,nempè, revelatio virtualis seu revelabilitas,sub qua attingit omnia ad quæ se extendit. *Confirm.* Fides theologica est una specie virtus, quia omnia attingit sub revelatione actuali,seu formali: ergo & Theologia erit una in specie atomâ scientia, quia omnia considerat sub revelatione mediata seu virtuali,sive revelabilitate. Hinc facilè rejiciuntur sententiæ Molinę, Granados , & Vazquez : Quia, sive Theologia demonstret ex altera præmissa Fidei & altera naturaliter nota, sive ad moralia se extendat ; sub eâdem semper virtuali revelatione procedit: ergo.

20 Quoàd 2.verò partem, probatur ex D.Thoma 1.2. q.54.a.4. demonstrante , omnem habitum esse simplicem qualitatem,seu formam; quia potentia,cui habitus proportionari debet (cùm sit illius perfectio) est simplex,& omnis compositionis expers, quia omnia attingit sub eadem ratione formali,ut patet in intellectu,& visu:ergo & habitus erit simplex. Hinc evidenter apparet , D. Thomam ex eodem principio inferre potentiarum,& habituum unitatem,& simplicitatem;ex eo nimirùm,quòd omnia attingant sub eâdem ratione formali. Sed non propterea utramque confundit: nam ex eodem principio plura inter sese distincta inferri

pos-

posse, certum est; ex eo enim quòd corpus sit coloratum, deducitur, esse quale, & esse quantum; quę valde diversa sunt.

21 Imò nec probat Doct. S. habitum esse incompositum, aut simplicem, quia est unus specie (ut quidam perperàm existimant) unitas enim, specifica aut numerica, & simplicitas, sunt ex terminis prorsùs inconnexæ: quandoquidem hęc quantitas, est una specie & numerô, sed composita: & qualitas ut sic, simplex quidem est, sed non una specificè, aut numericè. Et sanè quidam ex antiquis existimantes, Theologiam, aut quamlibet aliam scientiam, esse cõpositam qualitatem; propugnant nihilominùs unitatem earum specificam: Simplicitas ergo potentiæ, aut scientiæ, non est earum unitas, nè quidem numerica, nec infertur ex illa; sed est prædicatum quoddam pertinens ad earum specificationem. Et hæc benè nota, ut plures vites allucinationes.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

22 Opp. 1. contra rationem primæ partis. Ratio formalis *quæ* Theologiæ, est Deus, ut docetur ar. 7. ratio verò formalis *sub qua* illius, est abstractio ab omni materia negativè: ergo revelabilitas, nec est ratio formalis *quæ*, nec *sub qua* Theologiæ: ergo falso innititur principio ratio adducta. *Resp.* revelabilitatem respectu Dei, esse rationem formalem *sub qua* Theologiæ; at respectu abstractionis, esse rationem *quæ*. Itaque hoc complexum, *Deus revelabilis*, est ratio formalis *quæ* Theologiæ, attacta sub peculiari abstractione à materia tanquam ratione *sub qua*. Revelabilitas verò prout determinat Deum, ipsumque constituit in ratione objecti Theologiæ, sortitur munus rationis *sub qua*: Sicut in objecto Philosophiæ reperiuntur tria hæc: ens, sive substantia mobilis, mobilitas, & abstractio à materia singulari. Mobilitas respectu abstractionis, est ratio *quæ*: at respectu entis, aut substãtiæ mobilis, est ratio *sub qua*. Hinc habes, Theologiam agere de revelabilitate in concreto, licèt non in abstracto. Hæc si attentè consideres, plura non contemnenda solves.

23 Opp. 2. Ratio formalis assentiendi conclusioni illatæ ex utraque præmissa de Fide, est specie diversa à ratione formali assentiendi conclusioni illatæ ex altera naturali; illa enim

enim est sola revelatio virtualis, hæc autem ex revelatione virtuali,& lumine naturali consurgit: ergo. *Conf.* 1.Certitudo conclusionis primi generis, major est certitudine conclusionis secundi generis; propositio quippè de Fide certior est omni propositione naturali. 2. *Assensus* philosophicus circa conclusionem illatam ex duplici præmissa evidenti,habet diversam rationem formalem ab assensu philosophico circa conclusionem deductam ex altera præmissa probabili, cùm ille scientificus sit, iste opinativus: ergo. Tenet consequentia,magis enim distat præmissa naturalis à supernaturali, quàm probabilis ab evidenti.

24 R.neg.ant. Ad prob. neg.ant. quoàd secundam partem. Præmissa siquidem naturalis concurrit ad conclusionẽ theologicam ancillando & deserviendo lumini superiori, quô illustratur & elevatur,quatenùs per Theologiam approbatur: hujus enim est examinare principia naturalia, quibus utitur, conferendo illa cum revelatis, discernendo qualiter,& in quo sensu habeant veritatem.*Dupliciter* (inquit D. Th.q.2.Prologi ad Anib.a.2.)*potest una scientia supponere aliquid ab alia: uno modo ut principium quo de aliis judicet; & sic inferior scientia accipit à superiori. Alio modo sicut illud de quo judicetur; & sic scientia superior accipit ab inferiori. Hoc autem modo recipit hæc doctrina ab aliis,& non primo: ipsa enim judicat de his quæ sunt in aliis scientiis per principia propria, & non econversò. Et quidquid* (addit hîc a.6. ad 2.) *in aliis scientiis invenitur veritati hujus scientiæ repugnans,totum ab ea condemnatur ut falsum.*

Veritas igitur naturalis, dum assumitur à Theologia ad inferendam conclusionem, approbatur & judicatur conformis, seu non repugnans principiis Fidei; & ut sic judicata & approbata, reducitur ad altiorem rationem formalem, & elevari dicitur à superiori lumine;non quia aliquid intrinsecum recipiat, per quod reddatur supernaturaliter certa; sed quia intellectus, propter dicta, magis illi adhæret, estque aliquô modô supernaturaliter certus de illa: Quare proùt sic certificata,concurrit ad conclusionem sub lumine virtualiter supernaturali revelabilitatis, quod præstare non poterat se-

cun-

eundùm se considerata. Videantur Joann. à Sancto Thom. & Marinis.

25 Ad 1.conf. resp. majorem illãm vel minorem certitudinem, esse accidentalem: siquidem uterque assensus ex vi luminis ejusdem speciei procedit tanquam à ratione *sub qua*: unde & negantes præfatas conclusiones, eâdem censurâ notantur. *Ad* 2. resp. disparitatem esse; quia prœmissa probabilis incapax est concurrendi sub lumine scientifico: at naturalis adjuncta supernaturali, potest elevari modô dictô, & cum ea, sub eodem lumine & ratione formali, influere in conclusionem theologicam: Præmissa igitur naturalis magis distat materialiter & entitativè à supernaturali, quàm probabilis ab evidenti; secùs sub ratione attingibilis sub eodem lumine & ratione formali.

26 Opp.3. Abstractio à materia est quid intrinsecum subjecto scientiæ, ut optimè notat Cajet. ergo cùm Deus, Angeli, homines, & alia de quibus agit Theologia, diversimodè abstrahant à materia, sub diversis abstractionibus attingentur à Theologia; ac proinde erit hæc multiplex species. *Negatur* conseq. Sicut enim omnia ad quæ se extendit Theologia, attingit ratione Dei revelabilis, qui est objectum attributionis, seu subjectum illius: ita & sub abstractione ab omni materia negativè, propriâ ipsius Dei, illa considerat; quanvis secundùm se, & juxta proprias naturas, diversimodè abstrahant à materia. Undè Theologia sub unica abstractione procedit, & consequenter est una.

27 Opp.4. contra 2.part.concluſ. Dispositio communiter dicta, quæ est genus ad habitum, est composita; diffinitur enim, *ordo habentis partes*: ergo & habitus est compositus, & consequenter scientia. *Argumentum* hoc, si quid probat, cóvincit, omnem habitum, intellectivum, volitivum, practicum, speculativum, obscurum, evidentem, infusum, acquisitum, esse compositum; quod nullus admittit. *Resp.* ergo, optimè salvari habitum esse *ordinem habentis partes*, quatenùs actuat potentias ad diversos actus virtualiter in ipso contentos, qui propterea partes potentiales illius dici possunt. Sic Cajet. Vel (ut aliis placet) quatenùs plures spe-

cies

cies ordinat & disponit, ut illis promptè & faciliter utatur. Vel tandem, quia subjectum illius, nempè anima, habet partes potentiales, cùm habeat potentias realiter distinctas; nec requiritur quòd habitus habeat in se partes, ut exponit M. Soto cap. de qualitate. Alia argumenta solvuntur in Logica.

DUBIUM IV.

Utrum S. Theologia sit formaliter simul & eminenter speculativa, & practica simpliciter?

28 CONclusio est affirmativa, & prob. 1. quia cùm Theologia tractet de Deo, ut à nobis consequibili; habet pro fine intrinseco perfectam Dei consecutionem, seu æternam beatitudinem; at hæc praxim & speculationem includit, juxta omnes: ergo & Theologia; scientia enim, à fine quem ab intrinseco respicit, sumit rationem speculativæ, aut practicę, juxta illud Philos. *Speculativę finis veritas, practicæ autem, opus.* Prob. min. quia visio seu contemplatio intuitiva Dei, in qua beatitudo essentialiter consistit, juxta D. Thom. est etiam praxis, regulat quippè amorem beatificum; fruitio etiam, quam Scotus existimat beatitudinem essentialem, est antecedenter speculativa, cum sequatur contemplationem: demùm beatitudo utrumque hunc actum ad sui complementum desiderat juxta omnes: ergo & speculationem, & praxim.

29 Prob. 2. conc. Objectum Theologiæ, nempè Deus, cùm sit prima veritas, & ultimus finis, est etiam prima regula speculationis, & praxis, ut sæpè docet D. Th. & maximè 2. 2. q. 54. a. 3. ad 2. ergo. *Conf.* Metaphysica est speculativa, quia agit de Deo ut prima veritate; Moralis verò est practica, quia de ultimo fine mediisque ad ipsum conducentibus differit: ergo cum Theologia utrumque præstet, erit simpliciter speculativo-practica: non secùs ac Fides, à qua sumit principia, & intellectus noster, scientiaque divina, cujus Theologia est quædam impressio, imitatio, sigillum & imago, ut D. Thom. ait.

Hinc,

30 Hinc, licèt practicum & ſpeculativum in inferioribus eſſentialiter differant; ſacra tamen doctrina, una exiſtens, comprehendit utrumque; utpotè ſcientia altioris ordinis, & exemplata à divina, cujus eſt participatio & imago; quantò autem altior eſt ratio, tantò ad plura ſe extendit una exiſtens; nam quę in inferioribus ſunt diſperſa, poſſunt adunari in ſuperioribus: ſicut viſivum & auditivum in ſenſu communi; vegetativum, ſenſitivum, ac intellectivum in anima rationali. Quâ doctrinâ facilè occurres omnibus quæ objici poſſent, & quę in oppoſitione inter practicum & ſpeculativum fundantur; quæ proindè ſolùm in inferioribus ſcientiis locum habent. Vide 2.2. q.8. a.3. ad 2.

31 Sed benè nota, Theologiam magis eſſe ſpeculativam, quàm practicam, quia magis & diutiùs in divinis contemplandis immoratur; nullus tamen actus Theologiæ eſt adeò ſpeculativus, quin aliquid praxeos habeat; contemplatio enim divinæ perfectionis, excitat voluntatem ad affectus, tantę perfectioni & bonitati congruentes; *nihil*, enim, *ita cor hominis ad Dei amorem inflammat, ſicut Theologia*, ut ait Abbas Antiochus orat. 128. Quæ verba expendens ejus Interpres, hæc addit in margine: *Theologia, theophiliam ingenerat.* Ex dictis habes, Theologiam eſſe practicam, non modò reſpectu objecti ſecundarii, ſeu actuum humanorum; ſed etiam reſpectu primarii, nimirùm Dei, ut acquiſibilis.

DUBIUM V.

Utrum Theologia ſit entitativè naturalis?

32 COncluſio eſt affirmativa, & frequentior in Scholis. Prob. autem 1. Omnis habitus ſtudio & labore noſtro acquiſitus, eſt entitativè naturalis; at Theologia eſt hujuſmodi: ergo. Utraque præmiſſa eſt probanda, & quidem major conſtat ex communi Theologorum conſenſu, pro eodem ſumentium habitum naturalem, & acquiſitum: ſicut ſupernaturalem & infuſum. *Virtus autem* (inquit pro omnibus D.Th. 1.2.q.63.a.2.) *ordinans ad bonum, ſecundùm*

dùm quòd modificatur per legem divinam, & non per rationem humanam; non potest causari per actus humanos, quorum principium est ratio, sed causatur solùm in nobis per operationem divinam; & ideò hujusmodi virtutem diffiniens Augustinus posuit in diffinitione virtutis, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Et a.4. ostendit virtutes naturales specie differre ab infusis, hac ratione: *Quælibet differentia in diffinitione posita mutata, diversificat speciem; sed in diffinitione virtutis infusæ ponitur*, quam Deus in nobis sine nobis operatur: *ergo virtus acquisita, cui hoc non convenit, non est ejusdem speciei cũ infusa.* Constat præterea inductivè, nullum habitum supernaturalẽ nostris actibus acquiri, sed immediatè à Deo infundi, sive sit virtus Theologica, sive moralis, sive Sp.S.donum.

33 Si dicas cum Contensono, virtutes supernaturales debere infundi cum gratia, cujus sunt proprietates; secùs Theologiam; quæ insuper supponit Fidem, à qua produci potest tanquam ab habitu primorum principiorum. *Contra est*, quia Fides & Spes non sunt proprietates à gratia inseparabiles quoàd infundi, & conservari; & tamen acquiri non possunt, sed à Deo immediatè infunduntur: ergo. *Tum*, quia prudentia supernaturalis etiam supponit Fidem, sicut omnes virtutes morales supernaturales, Charitatem, per quam voluntas adhæret fini ultimo supernaturali, qui se habet in operabilibus respectu electionis mediorum, sicut prima principia in speculabilibus respectu conclusionum; quin propterea sint acquisibiles: ergo.

34 Minor autem principalis constat experientiâ, & traditur à D.Th. hîc a.6.ad 3. docente, quòd hæc doctrina *per studium habetur, licèt ejus principia ex revelatione habeantur*; quod sæpè alibi docet. *Resp.* Ildefonsus Michaël, habitum Theologię à Deo infundi, sed prævio labore & exercitatione per actus Theologię, quos Deus expectat, ut illum infundat. *Sed contra est*, quia si studium theologicum nullum haberet influxum in habitum; hunc Deus æquè infunderet ad præsentiam cujuslibet alterius exercitii, sicut communiter dicitur adversùs errorem negantium causis secundis influxum in suos effectus; consequens autem & ex-

pe-

perientiæ, & ipsi respondenti adversatur.

35 Prob. 2. concluſio. Assensus theologici, cùm procedant immediatè à principio naturali, nimirùm, à naturali lumine attingente connexionem concluſionum cum principiis; naturales sint, necesse est: ergo & habitus cujus sunt actus. *Dices* cum M. Matilla & aliis, lumen naturale concurrere ad assensum theologicum per modũ conditionis dumtaxàt. *Sed contra* est: Tum, quia intellectus ut assentiatur concluſioni deductæ ex principiis supernaturalibus, nullâ eget elevatione, sed satis est, quòd cognoscat dependentiam illius à principiis; quod quidem per lumen naturale habetur: ergo cùm intellectus verè effectivè concurrat ad talem assensum, etiam lumen illius naturale efficienter in illum influet: Tum, quia aliàs non esset major Theologus, qui majori acumine esset præditus; quod experientiâ constat esse falsum.

36 Prob. 3. Quia Theologia à nullo Theologorum recensetur inter virtutes supernaturales, aut theologicas. *Tandem* & urgentiùs: Inferens concl. theologicam ex duplici prœmiſſa de Fide certus de veritate earum, incertus tamen de bonitate consequentiæ, haberet assensum concluſionis merè naturalem, utpotè opinativum: ergo etiam si certus esset de bonitate consequentiæ: Quod enim naturale est, nequit reddi supernaturale per adventum rei merè naturalis, cujusmodi est cognitio bonitatis consequentiæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

37 Opp. 1. D. Thomam sæpè appellantem Theologiam *Scientiam revelatam*, & *divinitùs inspiratam*. *Resp.* id convincere, Theologiam esse radicaliter & prœsuppositivè supernaturalem, quatenùs tota innittitur principiis Fidei supernaturalibus; quod sanè nullus ambigit.

38 Opp. 2. Objectum Theologiæ est supernaturale, & idem cum objecto Fidei: ergo sicut Fides est entitativè supernaturalis propter objectum, ita & Theologia. *Resp.* objectum Theologiæ esse naturale, Deum scilicèt, quatenùs per discursum naturalem plura de illo demonstrari possunt: Objectum enim dicitur naturale, vel supernaturale, respe-

ctivè ad vires naturales alicujus potentiæ, quatenùs eas superat, vel eis commensuratur: Objectum igitur Fidei, & Theologiæ, est quidem materialiter idem, sed formaliter diversum.

39 Opp.3. Habitus non solùm specificatur ab objecto, sed etiam à principiis: ergo cùm principia Theologiæ sint supernaturalia, & ipsa erit talis. *Præt.* Assensus theologicus, cùm sit effectus assensûs supernaturalis principiorum, debet esse supernaturalis: ergo & habitus. *Demùm*: Intentio supernaturalis finis, infert electionem supernaturalem mediorum: ideoque admittendæ sunt virtutes electivę seu morales infusæ, sive supernaturales: ergo ad assensum supernaturalem principiorum, sequi debet assensus supernaturalis conclusionis. Tenet consequentia, quia sicut se habet finis in operabilibus, ita principium in speculabilibus.

40 Ad 1. datô, habitum scientificum specificari à principiis, resp. specificari ab illis ut stant sub lumine inferente conclusionem, quod cùm naturale sit respectu conclusionis theologicę, evadit hęc naturalis, tametsi principia entitativè & materialiter supernaturalia sint. *Ad* 2. resp. assensum principiorum influere in assensum conclusionis theologicæ mediô lumine naturali: causa autem supernaturalis optimè potest producere effectum naturalem, interpositâ causâ naturali, licèt non immediatè: sicut econversò, potest causa naturalis influere remotè in effectum supernaturalem, mediâ scilicèt causâ proximâ supernaturali. *Ad* 3. resp. disparitatem esse, quia electio mediorum immediatè procedit ex intentione finis; unde si hæc est supernaturalis, & illa: assensus autem concl. theologicæ, mediô lumine naturali procedit ex assensu principiorum. *Insuper*, electio est causa finis in ordine executivo; unde finis supernaturalis exigit media, & consequenter electionem, supernaturalia; assensus autem conclusionis, solùm est effectus assensûs principiorum.

41 Opp.4. Theologia est practica, quatenùs differit de virtutibus supernaturalibus, excitat supernaturales voluntatis affectus erga perfectiones divinas, quas contemplatur, dirigit,

rigit, & aliqualiter influit in beatitudinem ſupernaturalem, quam pro fine intrinſeco habet: ergo eſt ſupernaturalis. *Negatur* conſeq. principium enim ſolùm remotè & directivè influens in actum ſupernaturalem, poteſt eſſe naturale; ut patet in Logica directivè influente in aſſenſum concluſionis theologicę, qui, juxta opponentes, ſupernaturalis eſt. Influxus autem Theologiæ in ſupernaturalia, non eſt effectivus & proximus, ſed directivus ſolùm & remotus: amor enim, ſeu affectus ſupernaturalis, per actum Fidei aut Prudentię infuſę regulatur: Nec eſt aſsignabilis actus ſupernaturalis ad ſupernaturalem beatitudinem ordinatus, non requirens habitum ſupernaturalem à Theologię habitu realiter diſtinctum, à quo proximè & effectivè eliciatur.

42 Opp. 5. Certitudo Theologiæ eſt ſupernaturalis: ergo & ipſa Theologia. Prob. ant. *Tum*, quia ſolùm haberi poteſt ex principiis ſupernaturalibus Fidei, aut viſionis beatificæ: *Tum*, quia ſuperat cujuſlibet ſcientiæ naturalis certitudinem: *Tum* demùm, quia exigit conjungi cum clara Dei viſione; nihil autem naturale petit cum ſupernaturali conjungi: ergo.

43 Neg. ant. Certitudo enim concluſ. theologicæ, major quidem eſt certitudine cujuſlibet ſcientię naturalis, cùm ex principiis ſupernaturalibus oriatur; verùm, quia mediò lumine naturali derivatur ex illis, ſupernaturalis eſſe nõ poteſt. Ad illam ergo, ultrà lumen ſupernaturale cognoſcens veritatem principiorum, concurrit, & quidem proximè & immediatè, lumen attingens connexionem eorum cum concluſione; quod naturale eſt, & *theologicum* vocamus. *Per* quæ patet ad reliquas ant. prob.

DUBIUM VI.

Utrum Theologia ſit dignior aliis Scientiis, & ſtrictè Sapientia?

44 CConcluſio eſt affirmativa. Et quoàd 1. partem prob. quia præſtat cæteris ſcientiis in fine,

objecto, & certitudine: Finis siquidèm illius, est beatitudo æterna; objectum, Deus; certitudinem autem habet ex lumine divinæ scientię, quæ decipi non potest: ergo. *Quoàd* 2. autem prob. Tum, quia Metaphysica est sapientia, eò quòd attingit res per altissimam causam formalem, nempè, rationem entis communissimam, ut dicitur infrà q. 19. a. 6. sed Theologia etiam attingit omnia per altissimam causam efficientem, scilicèt, Deum, qui est proprium illius objectum, & cujus causalitatem nulla res subterfugere valet: ergo. Tum, quia non solùm infert conclusionem ex principiis, quod proprium est scientiæ; verùm etiam judicat de principiis aliarum scientiarum, quin & ipsorum articulorum Fidei credibilitatem explicat, declarat, tuetur: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

45 Opp. 1. contra 1. partem, Theologum interdùm pati nonnullos dubitationis motus, tum circa principia Fidei, tum circa conclusiones ex iis illatas; quos non experitur habens scientiam naturalem, cujus intellectus quietè adhęret veritati. *Resp.* cum D. Th. hîc a. 7. ad 1. dubitationem quæ accidit in aliquibus circa articulos Fidei, non esse propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectûs humani, qui solet esse inquietus donec clarè veritatem intueatur; quod Fidei obscuritas non patitur. Unde principia Theologiæ certiora sunt secundùm naturam, & solùm quoàd nos minùs certa.

46 Opp. 2. contra 2. Scientia, & sapientia, sunt species oppositę dividentes genus virtutis intellectualis, & consequenter incompatibiles in eodem habitu: cùm ergo Theologia sit scientia, non erit sapientia. *Dist. ant.* Scientia peculiariter dicta, & sapientia, sunt species oppositę, concedo: scientia secundùm conceptum communissimum scientiæ, neg. ant. & conseq. Itaque duplex conceptus scientię distinguendus est: alter communis ad scientiam & sapientiam, alter contradistinctus & oppositus sapientiæ. Primus dicit præcisè, cognoscere rem per causam: secundus importat cognitionem rei per causam inferiorem. Sapientia ergo & dividit virtutem mentis, quatenùs est cognitio rei per causam

sam altissimam, & est scientia, quatenùs est cognitio rei per causam. Et hæc, citra aleam, est mens D.Th. Videatur 1.2.q.57.a.2.ad 1.

47 Inquires: Quodnam sit objectum attributionis, specificationis, seu adæquationis, Theologiæ? *Resp.* cum D. Th. hîc a.7. esse *Deum sub ratione deitatis.* Per *Deum sub ratione deitatis*, intelligitur Deus ut in se est, & quatenùs complectitur omne prædicatum divinum, ut reale sui constitutivum. Prob.quia Deo respectu Theologiæ conveniunt omnia quæ objecto attributionis à Philosophis tribuuntur: Tota quippè Theologia virtualiter continetur veluti in mensurâ in Deo; cujus deinde cognitionem per se primò intendit, ut nomen ipsum sonat; ad quem præterea refert quæcumque considerat; de quibus tandem, vel in recto, vel in obliquo, ipse prædicatur: ergo.

48 Sed oppones D. Thomam q. 1. prologi, a.4. asserentem; *Ens divinum per inspirationem cognoscibile, esse subjectum hujus scientiæ; Deum autem esse objectum principale. Resp.* D.Thomam loqui de objecto extensivo, amplectente materiale & formale, ut interpretatur Magist. Bañes. Vel loqui juxta diversas aliorum sententias, quas concordare volens, dixit: *Si autem volumus invenire subjectum quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quòd ens divinum cognoscibile per inspirationem, est subjectum hujus scientiæ.* Sic exponit Magist.Albelda. *Ad* id quod additur, dicimus, quòd cùm Deus sit singularis, est simul objectum attributionis & principalitatis respectu Theologiæ; quod insinuare videtur S. Doct.ibi per hæc verba: *Ad 1.dicendum, quòd Deus non est subjectum nisi principaliter intentum, & sub cujus ratione, omnia quæ sunt in scientia, considerantur.* Quæ ultima verba objecto attributionis dumtaxat adaptari possunt; & consequenter de objecto principalitatis, non excludente, sed potiùs includéte rationem objecti attributionis, loquitur Sanct. Doct.

49 Hinc colliges, quòd si nihil de Deo revelatum esset; scientia ex revelatis circa creaturas procedens, nec esset, nec dici posset *theologia*; nec tunc Fides esset *theologi-*

gica, propter variationem objecti formalis, de quo fusiùs in Tract. de Fide, Deo dante, differemus: Sicut de Spe quâ Beati sperant gloriam proprii corporis, & aliorum beatitudinem, docet D. Th. non esse *theologicam*, ob defectum objecti virtutis theologicæ.

DUBIUM VII.

Utrum S. Theologia sit argumentativa, & quot sint loci theologici?

50 PRimam dubii partem triplici conclusione resolvit D.Th.a.8. Prima est: Sacra doctrina, seu Theologia, non argumentatur ad sua principia probanda, quę sunt articuli Fidei; nulla quippè scientia probat sua principia: Sed ex eis procedit ad aliquid ostendendum; sicut Apost.1.Cor.15.ex Resurrectione Christi, argumentatur ad resurrectionem communem probandam. *Secunda*. Theologia disputat argumentando contra negantes illius principia, si aliquid eorum concedunt: sicut per authoritates sacræ doctrinæ disputamus contra hæreticos, & per unum articulum, contra negantes alium. Et ratio est, quia Theologia est scientia suprema, cujus proprium est principia sic tueri; ut patet in metaphysica, suprema inter physicas. *Tertia*. Theologia contra negantes universa ejus principia, disputat solvendo tantùm contrarias rationes, quæ cùm sint contra certam veritatem, solubiles sunt.

51 Circa 3. concluf. adverte cum Cajet. & Ban. dupliciter posse solvi argumenta facta contra Fidem: unô modô ex creditis; aliô modô ex scitis, vel simpliciter, vel quantùm ad aliquid. V.g. Si objicienti contra Fidem Trinitatis, quòd omnis res una numero, est una hypostaticè, respondeat quis, *Nego ant. quia Deus est trinus*; tunc respondet ex creditis, sed hujusmodi solutio non est *theologalis*, sed cujuslibet fidelis est sic respondere. Si verò respondeat, *Nego ant. si res illa sit infinita*; tunc respondet ex scitis, non simpliciter (neque enim scit, sed credit, rem infinitam esse plu-

plures hypoſtaſes) ſcit tamen, non repugnare intellectui, quòd eſſentia infinita ſit in pluribus ſuppoſitis. Porrò ſi alius objiciat contra Myſterium Euchariſtiæ ſic: Accidentis eſſe, eſt ineſſe: ergo ſi accidentia ſunt in hoc Sacramento, ſequitur quòd inſunt ſubſtantiæ. Tunc reſpondebit Theologus ex ſcitis ſimpliciter, quòd accidentis eſſe, non eſt ineſſe actualiter, ſed aptitudinaliter. Et hujuſmodi ſolutiones ex ſcitis, *theologales* ſunt; Theologia enim utitur aliis ſcientiis tanquam ancillis, ad diſſolvendum objectiones propriis principiis contrarias. Vide laudatos DD.

52 Sed oppones contra 1. concl. Ex uno principio Fidei, aliud principium concluditur: Apoſt. enim 1. Cor. 15. oſtendit communem mortuorũ reſurrectionem, ex eo quòd Chriſtus reſurrexit: ergo ſacra doctrina argumentatur ad ſua principia probanda. *Præterea*. D. Th. in Summa contra Gentes, noſtræ Fidei dogmata plurimis rationibus, etiam naturalibus, perſuadet. *Tandem*, quia hæc eſt neceſſaria conſequentia: *Chriſtus reſurrexit: ergo mortuus eſt*: ergo poteſt Theologus unum principium efficaciter ex alio probare.

Ad 1. reſp. quòd quanvis reſurrectio mortuorum ſit articulus Fidei, & Theologiæ principium; Apoſtolus tamen argumentabatur contra negantes hujuſmodi principium, & admittentes aliud, ſcilicèt, Chriſtum reſurrexiſſe, ut patet ex littera; undè objectio ſecundam concluſionem confirmat, ſed primam non infringit. *Ad* 2. reſp. quòd D. Th. ibi non intendit demonſtrare Fidei dogmata, ſed vehementer perſuadere, eſſe poſsibilia, nec rationi naturali adverſa. *Ad ult.* reſp. conſequentiam illam & ſimiles, eſſe prorsùs inutiles, niſi fiant ad eos qui negant unum principium, & concedunt aliud: Quare, ſimpliciter loquendo, Theologia non argumentatur ad probanda ſua principia.

53 Secundam dubii partem reſolvit S. Doct. in ſolutione ad 2. ejuſdem art. ubi tres enumerat locos, ſive ſedes, aut capita, ex quibus, tanquàm ex fontibus, ſua argumenta haurit Theologus. Primum ac potiſsimum caput, eſt authoritas Sacræ Scripturæ. Secundum, eſt authoritas aliorum DD. Eccleſiæ, quâ utitur Theologus quaſi arguendo ex propriis,

ſed

sed probabiliter. Tertium, quô quasi extraneô utitur, est humana ratio, & Philosophorum authoritas.

54 Theologi verò recentiores, distinctionis gratiâ, decem assignant locos, de quibus omnium primus methodicè, & juxta eloquentissimè, egit sapientiss. Melchior Canus in medullato illo volumine, verè aureo, *de locis theologicis*; in quo, citra aleam, eximius elegantiæ nitor, sublimis sapientia, & profunda eruditio, de palma contendunt. Primus, est authoritas Scripturæ Sacræ. Secundus, Apostolicarum traditionum authoritas, quas rectè dixeris cum laudato Cano, *vivæ vocis oracula*, quippè ab ipso Christo per Apostolos de aure in aurem ad nos pervenerunt. Tertius, authoritas Ecclesiæ Catholicæ. Quartus, Universalis & OEcumenici Concilii diffinitio. Quintus, authoritas Summi Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ. Sextus, authoritas SS. PP. Ecclesiæ. Septimus, authoritas Theologorum Scholasticorum, cui adjungitur authoritas Juris Pontificii Peritorum. Octavus, momentum rationum naturalium. Nonus, authoritas Philosophorum, quibus adjungitur Cæsarii Juris-Consultorum authoritas, qui veram philosophiam moralem profitentur. Decimus est, historia humana, à Scriptoribus omni exceptione majoribus, enarrata, sive majorum relatione tradita.

55 Hi omnes decem loci comprehenduntur in tribus à D.Th. assignatis; ad authoritatem enim Scripturæ Sacræ, reducuntur quatuor sequentes, in quibus divina authoritas continetur; omnes siquidem divinæ revelationi innituntur. Deinde, ad authoritatem SS. PP. Ecclesiæ, reduci potest Scholasticorum & Philosophorum authoritas, tanquam aliquid minus. Ad tertium denique caput cujus meminit D. Thomas, cætera, quæ inter decem numerata sunt, facilè reducuntur. Porrò de his argumentorum sedibus ex professo agere, nec hujus est loci, nec nostro congruit instituto; prolixam quippè exigit disputationem. Videri possunt Canus, Gravina de Cath.Presc. Bellarm.lib.1.de Verbo Dei, & lib. 4. de Verbo Dei non scripto. Bañes hîc, & 2.2. q.1. a.10. Contens.lib.5.dissert.præamb. alijque.

Cir-

56 Circa ſextum locum, ſcito, quòd in materia Fidei, vel circa intelligentiam Scripturarum, communis PP. ſenſus facit argumentum irrefragabile, ita ut oppoſitum ſit erroneum, vel ſaltem errori proximum; dum enim omnes Sancti DD. ita concordant in materia Fidei, ſignum eſt, Eccleſiam ita ſentire & approbare; nec Sp. S. ſineret, omnes Eccleſiæ oculos ita, in re tanti momenti, univerſaliter cæcutire. In rebus autem ad Fidem non pertinentibus, communis PP. conſenſus, quanvis non ſit irrefragabile argumentum; eſt tamen adeò validum, ut oppoſitum judicandum ſit temerarium. *Nec obſtat*, quòd D. Th. aſſerat, ex authoritate SS. DD. tantùm probabiliter Theologum argumentari: Vel enim non loquitur de communi DD. conſenſu, ſed de teſtimonio alicujus, vel aliquorum DD. ut apertè indicat teſtimonium ab Aug. ibi inductum: Vel, ſi loquitur de communi conſenſu DD. loquitur formaliſsimè de illo ut humano; non prout involvit firmitatem ex Eccleſiæ approbatione. Itaque conſenſus SS. PP. in materia Fidei, & in re gravi ad mores pertinente, formaliter & ex ſe, præbet argumentum adeò certum, ut oppoſitum ſit valdè temerarium; arguitivè verò (ut ita dicam) ſive à poſteriori, irrefragabile affert argumentum, ita ut qui aliter ſenſerit, errori ſit proximus. Vide Canum lib. 7. cap. 3. per totum. Et idem dicendum de communi conſenſu Scholaſticorum in materia Fidei, aut morum, ut expreſsè docet idem Canus lib. 8. cap. 4. ubi validiſsimè confirmat hanc concluſionem, numerò tertiam, *Concordem omnium Theologorum Scholæ de Fide aut moribus ſententiam contradicere, ſi hæreſis non eſt, at hæreſi proximum eſt.*

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Sacra Scriptura ſub una littera habeat plures ſenſus?

57 MIrum, quàm paucis exprimit D. Th. omnia, quibus ſuffultus Theologus, in fœcundiſ-

ſi-

sima hujus dubii materia optimè discurrere valeat. Illius igitur premendo vestigia, id ipsum & nos præstare tentabimus. Pro quo sit

Prima conclusio. Sacra Scriptura sub una littera habet plures sensus, scilicet, *litteralem*, quô voces significant res, qui & *historicus* appellatur; & *spiritualem* seu *mysticum*, quô res significatæ per voces, iterum significant. Est certa secundum Fidem; constat enim ex ipsamet Scriptura: *Scriptum est enim* (ait Apost. ad Galat. 4. 22.) *quòd Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera* (en sensum litteralem) *quæ sunt per allegoriam dicta: hæc enim sunt duo testamenta*; (ecce sensum allegoricum, qui spiritualis est.) Idem convincitur ex aliis Scripturæ locis, & unanimi PP. consensu.

58 Secunda conclusio. Sensus spiritualis est triplex, scilicet, *allegoricus*, seu figuratus, *tropologicus*, seu moralis, & *anagogicus*, seu sublimis. Quorum natura tritis illis versibus exprimitur: *Littera gesta docet; quid credas, allegoria; Moralis, quid agas; quid speres, anagogia.* Prob. quia quæ sunt in Scriptura, vel significant pertinentia ad Ecclesiæ statum & fidem, unde oritur sensus allegoricus; vel referuntur ad mores & animam, & hic est moralis; vel ad vitam æternam, & hic est anagogicus: ergo.

59 Tertia conclusio. Certum est etiam secundùm Fidem, omnes quatuor præfatos sensus in Sacra Scriptura inveniri. Constat ex ipsa Scriptura, ut latè ostendit M. Bañes. Et quidem de allegorico, quem quidam negarunt, convincitur apertissimè ex ep. ad Hebræos cap. 8. 9. & 10. nisi fortè dicatur, omnia quæ ibi de Tabernaculi ornatu commemorantur, non esse olim à Deo instituta tanquàm figura eorum quæ in novo Testimento fiunt, sed allusiones quasdam & comparationes inter utrumque Testamentum; *quod quidem asserere, non erroneum tantùm, sed hæreticum existimo* (inquit citatus Doctor.)

60 Sed benè nota cum D. Thoma quodl. 7. q. 6. a. 2. ad 5. *Quòd quatuor isti sensus non attribuuntur S. Scripturæ, ut in qualibet ejus parte, sit istis quatuor sensibus exponenda; sed*

quan-

quandòque istis quatuor, quandòque tribus, quandòque duobus, quandòque unô tantùm. Illud Psal. 86. *Fundamenta ejus in montibus sanctis*, ad litteram exponitur de Metropoli Palæstinorum, scilicèt, Jerusalem; allegoricè, de Ecclesia; moraliter, de mente forti; & anagogicè, de æterna & cælesti Patria. Nota præterea, non omnia quæ in sacris litteris ad mores nostros diriguntur, sub morali sensu contineri; ut cùm Christus ajebat, *Diligite inimicos vestros*; hic enim sensus tantummodò litteralis est; sed tunc sensus *moralis* dicitur, quando, quę ad mores nostros pertinent, sub rerum gestarum figura nobis insinuantur. Quod ubiquè ostendit, & semper accomodatissimè Mag. Greg. sed maximè in aureo opere in libros Job: *Ejus enim mysteria tàm subtiliter & disertè nobis aperuit, ut nihil ultrà addendum videatur*, ut ait D. Th. in fine prologi in laud. lib. Observa demùm, has voces, *allegoria, anagogia, tropologia*, secundùm sui etymologiam, parùm differre. *Allegoria* enim dicitur, quasi *sub alio dictum*. *Anagogia*, quasi *subductio*, aut *sursum ductio*, eò quòd mens altiùs fertur, quàm voces sonant. *Tropologia* verò, idem est, ac *figurata locutio*; & propterea, omnem alium sensum à litterali, hisce tribus nominibus significant interdùm SS. PP.

61 Quarta conclusio. Novum Testamentum explicari etiam potest secundùm quadruplicem sensum. Est communis contra Abul. q. 28. in Matthæum, negantem inveniri in illo sensum allegoricum. Sed facilè prob. quia Christus D. cum esset utriusque populi, Judæorum, & Gentium caput; suis factis ac mirabilibus, non modò antiqua adimplebat, sed etiam futura in Ecclesia figurabat: undè satis commodè, multa Christi facta, allegoricè explicantur à SS. PP. Frequentior nihilominùs est allegoria in veteri Testamento, quàm in novo.

62 Quinta conclusio. Unius loci plures possunt esse sensus litterales. Est omnium DD. Scholasticorum. Et constat: sunt quippè nonnulla Scripturæ loca, videnda apud Bañes, quibus DD. SS. duplicem asserunt sensum litteralem. Sufficiat nunc ponere in medio illud Psal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, quod de æterna Christi nativitate intel-

li-

ligit Apost.ad Hebr.1. de illius autem resurrectione intelligi videtur ab eodem Apost.Act.13. & de ejusdem nativitate ex Matre intelligi congruenter potest. Suffragatur prętereà ratio D.Thomę : sensus enim litteralis ille est,quem immediatè per ipsas voces,propriè, vel impropriè sumptas,Scripturæ Author significare voluit : ergo cùm Deus, qui est Author Scripturæ, unicâ cognitione omnia intelligat,potest unicâ oratione plures sensus significare. Hic meritò temeritatis communiter audit Adamus Sasbout, oppositum tenens super Isa. in principio. Hinc etiam habes, sensum parabolicum, seu metaphoricum, sub litterali contineri; fundatur siquidem in immediata vocum significatione, tametsi translatitia, & metaphorica.

Sed oppones cont. hanc concl.quòd multiplicitas sensûs litteralis,confusionem,æquivocationé, & deceptionem, parit, ut ex se patet, & innuit etiam D.Th. hîc ad 1. *Resp.* hujusmodi diversos litterales sensus,habere semper inter se aliquam proportionem, similitudinem, sive ordinem : ubi autem est proportio seu ordo, æquivocatio non est ; hæc enim exigit, significari plura ut plura. Nec D. Th. aliud insinuat dum ad primum ait, omnes sensus spirituales fundari supra unum, scilicèt, litteralem ; plures namque sensus litterales ordinati inter se, unus reputantur, cùm æquivocationem excludant.

Accedit, quòd multiplicitas sensuum, tunc æquivocationem parit, quando est occasio deceptionis; quod tunc contingit, quando in altero sensu potest esse falsitas, quod in præsentia impossibile est. Undè potiùs pertinet ad majestatem dicentis, quòd possit unicâ oratione plures sensus amplecti.

Sexta conclusio. Ex solo sensu spirituali non, conficitur certum argumentum ex sacris litteris ; benè tamen, si certus sit ex alio loco litterali Scripturæ. Prima pars constat; Theologia enim symbolica, seu mystica, non est argumentativa, ut ex Dionys. asserunt PP. & Theologi. Et quoàd secundam probatur : quia illò Deut.23. *Non alligabis os bovi trituranti*, utitur Apost. 1.Cor.9. ad probandum, spirituallem

lem operarium à fidelibus ali debere; quô teſtimoniô ad idem probandum efficacitèr uti poſſumus. Hinc, ſi ſenſus ſpiritualis alicujus loci, habeatur communi PP. conſenſu; efficax ex illo deducitur argumentum. Si verò ſolùm ab aliquibus ſit intentus; ab illo magis vel minus probabile argumentum deſumemus, juxta majorem vel minorem Doctorum numerum, vel qualitatem.

65 Si inquiras: Uter ſenſus ſit potior? litteralis, an myſticus? Reſp. ut plurimùm, ſpiritualem; at non ſemper. Primum conſtat: cùm enim ſenſus ſpiritualis plerumque ſit de rebus altioribus, nempè de Chriſto, & Eccleſia; nobilior, & à Spiritu Sancto magis intentus eſt (tametſi non primò & proximè) quàm litteralis; quod apertè indicat Paulus in illo, *Non alligabis os bovi trituranti*, dicens: *Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos utiquè hoc dicit?* Hinc Origenes dixit, quòd *ſenſus ſpiritualis eſt ſicut anima, litteralis ſicut corpus.* Secundum etiam patet: quia ſi ſenſus litteralis contineat aliquam Chriſti actionem ſtudioſam, per quam Chriſtus ſignificet, nos ipſum imitari oportere; tunc, ſenſus litteralis præſtat morali, cùm ipſa Chriſti actio plus in infinitum Deo placuerit, quàm omnes noſtræ actiones.

66 Si iterùm quæras, quid ſit ſenſus accomodatitius? Reſp. non eſſe propriè ſenſum explicativum Scripturæ: Sed tunc aliquam Scripturam in ſenſu accomodatitio intelligimus, cùm per alluſionem, ea quæ dicuntur de uno, applicamus alteri, dum currit aliqua ſimilitudo: quemadmodùm adaptatur parenti nimiùm amanti filium, illud Poëtę: *Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis.* Vide Gonzalez diſp. 10. ſect. 4. Qui exactiùs hæc noſſe deſiderat; legat Driedonem lib. 2. de Eccleſ. dogmat. Sancteſpagnin. Iſagog. ad ſacras litteras: Sylveſtrum in Conflato, & in Roſa aurea in principio: alioſque Scripturæ Interpretes. Ac de prima & graviſsima quęſtione hactenùs. De reliquis autem, latiſſimè patet diſputandi ratio: ſed nos, quoad poterimus & licebit, in breves anguſtias ſequentibus Tractatibus contrahemus.

TRA-

TRACTATUS I.

DE EXISTENTIA, Natura, & Attributis Dei.

67 CONTEMPLATA, præcedenti disputatione, Theologiæ naturâ, profundissima objecti illius arcana perscrutari aggredimur: Et quia existentia, & unitas Dei, basis sunt omnium, quę in Sacra Doctrina pertractantur, ab illis exordium sumat speculatio nostra, æquum est. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Existentia & Unitate Dei.

DUBIUM I.

Utrum Deum esse sit per se notum?

68 ANte dubii resolutionem adverte, nullam dari propositionem nobis dumtaxàt, & non secundùm se, per se notam: Undè quæ ad sensum patent, ut hæc, *nix est alba*, & similes, *notæ* quidem *nobis* dici possunt; at non *per se notæ*, cùm earum prædicatum non sit de intrin-

trinseca ratione subjecti, nec prętereà immediatæ sint, nec necessarię. Hôc suppositô, sit

69 Conclusio: Hæc propositio: *Deus est*, seu *existit*, secundùm se & absolutè, est per se nota; secùs quoàd nos, sive nobis. Probatur 1. pars, quia illius prædicatum est de intrinseca ratione subjecti, nam esse seu existentia Dei, est ipsa ejus quidditas seu essentia. *Præt.* Nulla alia major, aut immediatior connexio dari potest inter prædicatum & subjectum: ergo aut illa propositio, aut nulla alia, erit absolutè per se nota. *Secunda* etiâ pars prob.tum, quia nobis evidens non est, aut per se notum, illius prędicatum esse de intrinseca ratione subjecti; quidditas enim subjecti, scilicèt, Dei, nobis non est per se nota: tum, quia tali propositioni non necessariò, sed liberè assentimur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

70 Opp. 1. contra rationem primæ partis. Prædicata harum propositionum, *Deus est Trinus*, *Deus est Pater*, & similium, sunt de intrinseca ratione subjecti, illique immediatè & necessariò conveniunt; at non sunt per se notę, adhuc secundùm se, cùm solâ fide cognosci possint: ergo. *Dist.* maj. Sunt de intrinseca ratione subjecti, proùt in se est; C. maj. Proùt hôc nomine *Deus*, ex sui institutione, significatur; N.maj. Hęc autem propositio *Deus est*, ideò est per se nota, juxta D.Th. quia prędicatum est de intrinseca ratione & quidditate Dei, quatenùs hôc nomine *Deus*, ex sui institutione, significatur. Nomen quippè *Deus* impositum est, juxta S.D. infrà q. 13. a. 8. *ad significandum aliquid super omnia existens*: Unde, ex vi suæ impositionis, est nomen absolutum, solùmque formalissimè significat id, quod in Deo essentiale est & absolutum; cujusmodi est esse, seu existentia; non autem notionalia, aut relativa, quæ nominibus notionalibus significantur, & quę in diversa classe sunt, ac essentialia & absoluta, tametsi cum istis realiter identificentur. Hinc corruit ratio, quâ Platelius movetur ad asserendum, propositionem per se notam secundùm se, *non nisi valdè impropriè esse per se notam*; existimat enim, hanc propositionem, *Deus est Trinus*, & similes, esse per se notas secundùm se, quas certum

tum est, solùm impropriissimè esse per se notas.

71 Opp.2. cum Molina: Conceptus quibus constat propositio mentalis, vel attingunt res ut sunt in se, vel non: si secundum, propositio mentalis, nec secundùm se, nec nobis erit per se nota: si primum, tàm nobis, quàm secundùm se erit per se nota, modò prædicatum sit de intrinseca ratione subjecti: ergo dari non potest propositio mentalis per se nota secundùm se, quę non sit etiam per se nota nobis: ergo hæc, *Deus est*, talis non est. *N.min.* pro 1.part. Si sermo sit de conceptibus quos format quis de vocibus; non enim per illos, sed per conceptus quos voces ex vi suæ significationis exposcunt, regulanda est veritas propositionis mentalis. Unde propositio mentalis erit secundùm se per se nota, si voces exigant conceptus repręsentantes res, quarum una sit de intrinseca quidditate alterius, quidquid sit de conceptibus, quos format proferens vel audiens illam. De propositione ergo formali, seu mentalis sit, seu vocalis, intelligitur conclusio D.Thomæ, & nullatenùs de objectiva, quæ cùm *oratio significans* non sit, sed significatum, propositio propriè talis esse non potest.

72 Dices cum Godoy: Secundę intentiones subjicibilis & prædicabilis, in conceptibus objectivis subjectantur: ergo & secundę intentiones subjecti & prędicati; prædicabile siquidem est, *quod potest prędicari*; quod nihil est aliud, quàm quod secundam intentionem prædicati potest in se recipere: ergo propositio objectiva est propriè talis. *N. conseq.* Prædicabile enim est, quod potest prædicari per attributionem & identitatem; hoc autem recipere non debet in se secundam intentionem prædicati, sed in suo substituto, vel signo. Itaque conceptus mentalis, & objectivus, idem omninò sunt in esse intelligibili & in supponendo, quia ille pro isto substituit; ac per consequens secunda intentio prędicabilis & prædicati, idem subjectum in esse intelligibili respiciunt, quanvis hęc in conceptu mentali subjectetur, illa in objectivo.

73 Oppones 3. contra 1.part. Propositiones istæ, *Petrus existit*: *Existens existit*, non sunt per se notæ; existentia enim

enim eſt extra eſſentiam rei creatę : ergo nec iſta, *Deus exiſtit*, cùm exiſtentia Dei, illius eſſentiam conſtitutam ſupponat per noſtros conceptus. *Prętereà.* Hæc non eſt per ſe nota, *Deus ſubſiſtit*; non euim eſt per ſe notum, ſubſiſtat nè ſubſiſtentiâ abſolutâ, cùm hęc à pluribus negetur ; an relativâ, hæc quippè non eſt de intrinſecâ ratione & quidditate Dei, quatenùs hoc nomine *Deus* ſignificatur, ut diximus n. 70. ergo. *Ad* 1. reſp. diſp. eſſe, quia exiſtentia & ſubſiſtentia divinæ, ſunt prędicata identificata cum eſſentia, cui neceſſariò conveniunt, eamque realiter conſtituunt, quidquid ſit de conſtitutione metaphyſica : quæ omnia negantur cuilibet exiſtentiæ creatæ. *Ad* 2. N. ant. ad prob. N. conſeq. Stat enim, eſſe per ſe notum, *Deum ſubſiſtere*, quin per ſe notum ſit, eum ſubſiſtere ſubſiſtentiâ abſolutâ, aut relativâ: Sicut poteſt primum demonſtrari à poſteriori, non autèm ſecundũ: Et de Chriſto Domino poterat demonſtrari quòd ſubſiſtebat, ſed non, quâ ſubſiſtentiâ. Poteſt ergo demonſtrari & eſſe per ſe notum, aliquod prædicatum in genere convenire ſubjecto, quin demonſtrari poſsit aut notum eſſe, ſub qua ſpecie illi conveniat.

Imò & poteſt aliquod prædicatum disjunctivè dici de ſubjecto, propoſitione per ſe notâ, quod de illo cathegoricè non poſsit enuntiari, propoſitione verâ & per ſe notâ ; ut patet in illo principio per ſe noto, *Quodlibet eſt, vel non eſt*, cujus prędicatum eſt hoc disjunctum, *eſt, vel non eſt* ; nulla tamen pars verificatur de ſubjecto, utpotè ambæ propoſitiones ſequentes ſunt falſæ, nempè, *Quodlibet eſt, Quodlibet nõ eſt*. Nec obſtat, quòd non poſsit intuitivè cognoſci Deũ ſubſiſtere, quin intuitivè cognoſcatur, quâ ſubſiſtentiâ ſubſiſtat: quia cognitio intuitiva videt rem in ſe ipſa ; ſecùs cognitio abſtractiva.

74 Oppones 4. contra ſecundam. Ut propoſitio ſit nobis per ſe nota, non oportet quòd cognoſcamus quidditativè ſubjectum ; nam hæc, *Deus eſt, vel non eſt*, eſt nobis per ſe nota, non minùs quàm iſta, *Quodlibet eſt, vel non eſt*; nec tamen Deum quidditativè cognoſcimus: ergo. *Præt.* Hæc, *Deus eſt colendus*, etiam eſt nobis per ſe nota, cùm ſit

primum principium synderesis: ergo. *Ad* 1. dist. ant. Si prædicatum sit negativum, vel complexum ex positivo & negativo; C. Si positivum, & incomplexum; N. Si enim prædicatum coalescat ex duplici contradictorio; redditur propositio per se nota nobis, ex vi contradictionis, independenter à quidditate subjecti; cùm debeat altera prædicati pars necessariò & immediatè convenire subjecto, quidquid sit de hujus quidditate, ut patet in propositionibus objectis, & similibus. Si autem prædicatum sit negativum, ut in hac, *chymera non est*, satis est cognoscere *quodquid est* significationis vocum, id est, quid per voces significetur: unde talis propositio & similes, sunt per se notæ, saltèm sapientibus. Nequit ergo aliqua propositio esse per se nota illis, quibus illius subjectum non est quidditativè cognitum, vel absolutè & re verâ, vel saltem quantùm ad id quod exigit attributio prædicati illius. *Ad* 2. dicatur, illam propositionem non esse per se notam nobis, cùm demonstretur per majestatem & beneficentiam Dei. Vel dic, esse per se notam & immediatam practicè, & suppositò quòd sit; secùs speculativè, & nullâ factâ suppositione.

75 Oppones 5. Hoc nomine *Deus* significatur id, quò majus significari non potest; sed per se notum est, existere id, quò majus significari non potest, cùm existere sit aliqua perfectio: ergo. *Respondet* D. Th. quòd licèt Deus sit id quò majus significari non potest; hoc tamen non esse per se notum omnibus, cùm quidam crediderint, Deum esse corpus. Datò autem, quòd hoc nomine *Deus* quilibet intelligat id, quò majus significari non potest; non tamen inde sequitur, quòd intelligat, id quod significatur per nomen, esse in rerum natura, sed in apprehensione intellectûs tantùm. Ad formam ergo, datâ maj. dist. min. Per se notum est, existere in actu signato id, quò &c. C. in actu exercito, N. hoc enim relinquitur demonstrandum per discursum.

76 Oppones 5. Cognoscere Deum esse, est omnibus naturaliter insertum, juxta Ansel. & alios PP. ergo. *Dist.* ant. cum D. Th. Cognoscere Deum esse, in aliquo communi, sub quadam confusione, quatenùs scilicèt, Deus est homi-

nis

nis beatitudo, quâ homo naturaliter cognoscit, est omnibus naturaliter insertum, C. Cognoscere Denm in particulari, sive simpliciter, N. Sicut veritatem esse in communi, est per se notum omnibus; non autem, primam veritatem esse. Dici etiam potest, PP. vocare cognitionem illam *naturaliter insertam*, quia per discursum ex creaturis nobis obvium habetur.

77 Inferes ex dictis, hanc propositionem, *Deus est Trinus*, esse beatis per se notam, si per ly *Deus* intelligatur ratio divinæ essentiæ proùt in se est, & quatenùs ab illis intuetur; secùs si per ly *Deus* significetur quidditas Dei quatenùs est prædicatum quoddam absolutum commune tribus Personis (prout à viatoribus accipitur) prout sic enim, propositio non est per se nota secundùm se. *Nota* in fine, Aristotelem 1. Post. c. 2. propositiones per se notas secundùm se tantùm, vocare *positiones*; per se notas autem omnibus, *dignitates*, vel *maximas propositiones*. Nota prętereà pro majori dictorum penetratione, subjectum propositionis per se notæ nobis, vel quoad nos, debere cognosci quidditativè seu essentialiter, saltèm inadęquatè. Porrò cognitio quidditativa, debet esse clara & evidens de quidditate rei: unde quanvis in via habeamus cognitionem confusam & obscuram de Dei quidditate per fidem, vel opinionem; ipsum tamen quidditativè non cognoscimus, nec aliquod ejus prędicatum.

DUBIUM II.

An hæc propositio, Deus est, *sit demonstrabilis?*

78 COncluſ. Deum esse, demonstrari potest à posteriori, etiam à viatoribus, lumine naturali; sed à priori, nè à Beatis quidem. Est communis & certa, & quoàd 1. part. prob. Tum ex illo Rom. 1. *Invisibilia ipsius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ex illo etiam Sap. 13. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ, poterit Creator horum videri.* Tum, quia aliqui effectus Dei sunt nobis notiores: ergo per illos, &c. *Pro* 2. autem parte, prob. Quia hæc propositio, *Deus est*, est per se nota se-

cundùm se; & consequenter prædicatum est de intrinseca quidditate subjecti: ergo est indemonstrabilis à priori; nihil quippè dari potest in subjecto, prius ejus quidditate, & essentiâ. *Datò* autem, existentiam Dei virtualitèr distingui ab essentia; adhuc non potest demonstrari per essentiam: hoc autem repugnare, vel ex eo constat, quòd si essentia est nobis quidditativè cognita, propositio erit nobis per se nota; si secùs, nec demonstrabilis; medium enim ad demonstrandum, debet evidenter præcognosci.

79 Dices: Talis propositio non est Beatis per se nota, sed demonstrabilis à priori, sicut & Deo ipsi, quantunvis subjectum illius, sit Deo comprehensivè cognitum; illis verò quidditativè: ergo. Prob. ant. Hæc propositio, *Deus est Omnipotens*, & similes, sunt à priori demonstrabiles à Deo, & Beatis, cùm habeant scientiam attributorum: ergo pariter. N. ant. Ad prob. dicendum, disp. esse, quia inter essentiam, & attributa (exceptô primô) datur medium, virtualiter ab illis distinctum; secùs inter essentiam, & existentiam: Omnia siquidem attributa dimanant ab essentia, mediâ existentiâ; non quidem tanquàm principiô emanationis, sed tanquàm conditione principii, qualiter ad agendum concurrit. Vide D. Godoy disp. 2. à n. 133.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

80 Opp. 1. contra 1. part. Quidquid demonstratur, demonstratur per prius; scientia enim, quantunvis à posteriori, est *cognitio rei per causam*; sed Deo, utpotè entium primo, non datur prius: ergo. *Deinde*: Creaturæ, utpotè effectus Dei improportionati, sunt improportionatę ut nobis Deum manifestent: ergo. *Sunt* præterea contingentes: ergo non potest per illas demonstrari Dei existentia. *Ad* 1. dist. maj. Demonstratur per prius cognitum, C. necessariò per prius existens, N. *Ad* 2. dist. ant. Ut Deum manifestent quoàd quid est, seu essentiam, C. quoàd an est, seu existentiam, N. *Ad* 3. dist. ant. Sunt contingentes quoàd existentiam, id est, sic existunt, ut possint non existere, C. quoàd dependentiam, N. suppositò enim quòd sint, necessariò & essentialiter dependent in fieri, esse, & conservari à Deo.

Opp.

81 Opp.2. Hæc propositio, *Deus est*, est objectum Fidei: ergo non potest esse objectum demonstrationis; aliàs possent esse in eodem circa idem Fides & Scientia simul. *Dist.ant.* Si Deus consideretur ut Author supernaturalis, quô sensu dixit Apost. *Credere oportet accedentem ad Deum quia est*,C. Si ut Author naturæ, sub dist. est objectum Fidei, respectu illius qui de Dei existentia habet demonstrationem, N. respectu illius, qui non habet demonstrationem,C.

82 Opp. 3. Existentia Dei est prædicatum re vera quidditativum Dei: ergo indemonstrabilis; quidditas enim Dei demonstrari non potest. *Dist. ant.* Est prædicatum quidditativum Dei, ut in se est, C. ut enuntiatur à nobis de Deo, N. proùt sic enim, pertinet ad *an est*, non ad *quid est*: demonstrari ergo poterit,tametsi essentia indemõstrabilis sit.

83 Opp. 4. contra 2. part. cum Ill. Godoy: Prima passio demonstrabilis est à priori de subjecto, per medium aliqualiter à subjecto distinctũ,nempè,per diffinitionẽ illius, juxta plures primæ notæ Thomistas: ergo & existentia Dei poterit in via per illius quidditatem à priori demonstrari, saltèmadmissô, quòd virtualiter distinguantur. *Nego cons.* quia ut existentia Dei posset demonstrari à priori per essentiam, deberet hęc evidenter & quidditativè cognosci: distinctio autem virtualis inter essentiam & existentiam Dei, sufficit, ut possit hæc per illam demonstrari demonstratione theologicâ; non autem demonstratione evidentiam inducente (de qua solùm est dubium in præsentia) ad hanc enim requiritur, medium evidenter & quidditativè cognosci.

84 Instabis cum laudato Doct. Possumus in via evidenter cognoscere à posteriori & per effectus, aliqua prædicataessentialia Dei, ut quòd sit vivens, intellectivus,volitivus, &c. sed ex hujusmodi prędicatis optimè & à priori demonstratur Deum existere: ergo. *Dist. min.* Ex hujusmodi prædicatis,cognitis à priori, & cognitione terminatà ad illa in se ipsis, C. cognitis à posteriori, N. Talia enim prædicata cognita in se ipsis, prioritatem habent; si autem solùm in & ex effectibus cognoscantur; posterioritatem ab his accipiunt respectivè ad cognitionem. *Vel* dist.maj.Aliqua

qua prædicata divina, quoàd *an est* eorum, C. quoàd *quid est*, N. Ex creaturis enim, non cognoscimus *quid sint* talia prædicata Dei; sed solùm *quòd sint*, seu quòd existant: quod est idem, ac attingere existentiam Dei: unde ex illis sic cognitis, procedere rursùs ad demonstrandam Dei existentiam, est apertè nugari.

85 Explicatur id ampliùs. Dum ex creaturis cognoscimus hanc propositionem, *Deus est intellectivus*, v.g. vel in ea, ly *est* non absolvitur à tempore, sed significat existentiam utriusque extremi: vel absolvitur à tempore, & solam terminorum connexionem importat: Si primum, tunc quod primò cognoscimus de Deo, est, quòd existit: Si secundum, tunc hęc consequentia nulla est: *Deus est intellectivus: ergo est*, seu *existit*. Sicut non valet: *Homo est intellectivus: ergo existit*, seu *est*. Ruit igitur undique fundamentum Dom. Godoy.

DUBIUM III.

Utrum Deus sit?

86 CConcluſ. est affirmativa, quam D. Th. probat in *sed cont.* ar. 3. ex illo Exodi 3. ex persona Dei, *Ego sum qui sum.* In corpore autem, quinque demonstrationibus, quibus, veluti quinque lapidibus limpidissimis, frons atheismi feritur.

Prima & manifestior sumitur ex parte motûs, quem sensû experimur, & sic formatur: Quidquid movetur, ab alio movetur; at hîc non est procedere in infinitum, quia sic, non esset aliquod primum movens; & perconsequens nec aliquod aliud movens; moventia quippè secunda non movent, nisi per hoc quòd sunt mota à primo movente; sicut baculus non movet nisi per hoc quòd est motus à manu: ergo necesse est devenire ad aliquod primum movens, quod à nullo movetur; & hoc omnes intelligunt Deum. Prob. maj. Quidquid movetur, est in potentia ad terminum motus: quidquid autem movet, in actu jam est; sed repugnat planè, idem esse in potentia & in actu simul respectu ejusdem: ergo. Hæc ratio

tio desumitur ex 7.Physic.& fusiùs expenditur 1.contra gent. c.13.ubi vide Ferrariensem.

87 Secunda sumitur ex ratione causæ efficientis, & sic formatur: Quidquid efficitur, ab alio efficitur; imposibile enim est, quòd aliquid sit causa efficiens sui ipsius, quia sic, esset prius se ipso, quod repugnat; sed in efficientibus per se ordinatis, impossibile est, quòd procedatur in infinitum: ergo necessè est ponere aliquod primum efficiens;quod omnes Deum nominant.Prob.min. In efficientibus per se ordinatis,primum est causa medii,& medium ultimi:ergo si non fuerit primum efficiens,non erit ultimum, nec medium: remotâ enim causâ,removetur effectus; at si procedatur in infinitum in efficientibus,non erit primum efficiens, ut patet: ergo nec erit effectus ultimus,nec efficientia media;quod patet esse falsum: ergo vera est minor. Hâc ratione convincitur,dari unum primum efficiens prioritate dignitatis, à quo cætera in agendo dependeant,ipsum à nullo, quod subsistit, etiamsi omnia simul agerent. Et benè nota, agentia per se subordinata, infinita esse non posse; & datô oppositô, ad unum nihilominus dignitate primum deveniendum esset.Solutio igitur Aureoli, & Suarez, non subsistit. Desumpta est hæc ratio ex 2. Metaph.

88 Tertia desumitur ex posibili, & necessario; quæ talis est: Plura inveniuntur in rebus posibilia esse, & non esse, sive contingentia, cùm generentur & corrumpantur; quod autem posibile est non esse, quandoque non est: ergo si omnia essent posibilia non esse, aliquando nihil fuisset in rebus: ergo etiam nunc nihil esset,quia quod non est,non incipit esse nisi per aliquid quod est: si igitur nihil fuit ens,imposibile fuit,quòd aliquid inciperet esse, & sic modò nihil esset; quod patet esse falsum: ergo non omnia sunt contingentia, sed oportet aliquid esse necessarium in rebus: hoc autem, vel habet causam suæ necesitatis, vel non: si habet, cùm non posit procedi in infinitum, venietur ad necessariũ per se, non habens causam necesitatis aliunde, sed quod est causa necesitatis in aliis; quod omnes dicunt Deum. Ex 2. & 4.Metaph.

Quar-

89 Quarta sumitur ex gradibus qui sunt in rebus, & est hujusmodi: In bono, vero, & aliis, datur majus & minus, quatenùs diversimodè accedunt ad id quod est maximè tale: ergo datur aliquid quod est verissimum, optimum, & per consequens maximè ens, quod omnibus entibus sit causa esse, bonitatis, & cujuslibet perfectionis; & hoc dicimus Deum. Ex Aug. 8. de Civit. cap. 6.

90 Quinta sumitur ex gubernatione rerum, & sic procedit: Quæ carent cognitione, assequuntur finem; non casû, cùm semper, aut frequentiùs, eôdem modô operentur: ergo ex intentione: ergo diriguntur in finem ab aliquo cognoscente & intelligente, à quo omnes res naturales ordinantur ad finem; & hic est Deus.

91 His rationibus (ut optimè advertit Cajet.) concluditur, inveniri in rerum natura, quædam prædicata propria Dei; non curando, quomodò, vel qualiter sint. V. g. in prima infertur: *ergo datur primum movens immobile*, non curando, an illud sit anima cœli, vel mundi: hoc enim quæretur in quæst. seq. Et sic de reliquis. Concluduntur igitur hæc prædicata, *Movens immobile*, *Primum efficiens*, *Necessarium non ex alio*, *Maximè bonum & optimum ens*, & *Primum gubernans intelligendo*; quæ omnia, sunt propria Deo. Unde laudatæ rationes efficacissimè, tametsi implicitè, probant Deum esse.

92 Adverte etiam cum Illust. Marinis & aliis, his quinque viis, complecti D. Thomam omnia, quæ ad manifestationem Attributorum manuducere poterant, & quæ deinceps successivè manifestat. Ex prima enim, quæ ducit ad manifestationem immobilitatis, deducitur attributum *immutabilitatis*, ex quo deducuntur atributa *immensitatis*, & *æternitatis*. Ex secunda, quæ ducit ad notitiam primi efficientis, habetur attributum *Omnipotentiæ*. Ex tertia, quæ tendit ad stabiliendum aliquod ens à se, & necessarium, deducitur *omnis perfectio*, *bonitas*, *immaterialitas*, *actus purus*, &c. Ex quarta, per quam gradimur ad notitiam primi & maximi entis, habemus in eo *simplicitatem*, *eminentiam*, *incorporeitatem*, *infinitatem*, *unitatem*, *quòd non sit*

in

in prædicamento, quòd sit suum esse. Ex ultima tandem, quæ ad primum Gubernatorem nos reducit, habemus ejus *sapientiam, voluntatem, ideas*, cæteraque omnia ipsi ut sic necessaria.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

93 Deum esse negant Athei; sed in tantam impietatem, potiùs corruptæ voluntatis impulsû, quàm intellectûs deceptione, labuntur: potiùs malunt Deum non esse, quàm negant; undè ait Propheta Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Et radicem hujus supremæ dementiæ detegens, subdit, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. In corde*, inquit, *non in mente*, quia nollent dari Deum, *Omninò*, quippè, *vellent, Deum peccata sua, aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire*, ut Ber. ait. Antiqui Athei, sicut & moderni, ut Andreas Aretinus, Lucilius Vaninus, & Spinosa, nullum contra divinitatis existentiam afferunt alicujus ponderis argumentum; nec enim, ut diximus, ad impietatem tuendam, rationibus moventur, sed vitiis. Quod autem ex prospero statu malorum, & infortunio bonorum, opponunt; dissolvetur infrà, dum de Providentia Dei agetur.

94 Oppones autem primò contra primam rationem: Non omne quod movet, debet esse in actu, nec quod movetur, in potentia; aliàs viventia non possent moveri à se, cùm repugnet, idem respectu ejusdem esse simul in actu & in potentia: ergo non omne quod movetur, ab alio moveatur, necesse est. *N. assumptum.* Ad prob. N. sequelam: ad prob. dist. ant. Repugnat idem respectu ejusdem esse simul in actu & in potentia; secundùm idem, & eôdem modô, C. secundùm diversa, vel diversô modô, N. Unde nec repugnat, quòd idem moveat se ipsum; vel sit movens simul & motum sub præfata diversitate. Quare intellectus, respectu ejusdem intellectionis, est movens & motus, sub diversis tamen modis: nam est movens, inquantùm applicatus à Deo, efficit intellectionem; est autem motus per ipsam intellectionem (quę quidam motus realis est, tametsi intentionalis) quatenus in se recipit illam: Est præterea motus, quatenùs priùs

ali-

aliquâ prioritate recipit in se applicationem à Deo ut intelligat. Et idem dic de voluntate respectu volitionis. Alia autem viventia, secundùm unam partem movent, & secundùm aliam moventur.

95 Hæc doctrina est expressa D. Th. concludens enim explicationem illius principii, *Omne quod movetur, ab alio movetur*, ait, *Impossibile est ergo, quòd secundùm idem, & eôdem modô, aliquid sit movens, & motum, vel quòd moveat se ipsum: omne ergo quod movetur, oportet ab alio moveri.* Mens ergo S.D.non est, quòd idem se ipsum movere non possit (omnia quippè viventia, quę motu reali moventur, & de potentia vitali transeunt realiter ad actum vitalem, & moventur ab alio, in quo differunt à Deo;& movent se,in quo à non viventibus distinguuntur) sed solùm vult,quòd idem non possit se ipsum movere, seu esse simul movens & motum, secundùm idem, & eôdem modô, ut explicatum est. Hinc, non oportet distinguere in intellectu, aut voluntate, duas partes, quarum una moveat, & alia moveatur. *Nec similiter* opus est restringere cum Godoy inductum principium, ut de solo motu physico intelligatur:nam si hoc esset verum, cùm Angelus movens Cœlos, moveri non possit motû physicô, sed intentionali duntaxàt; non Dei, sed hujusce Angeli existentia convinceretur ratione D.Thomæ.

96 Hinc tandem habes, qualiter motus cordis sint vitales. Primus quidem vitalis est, quia quanvis ad illum moveatur cor à generante,est tamen principium & origo omnis motûs vitalis subsequentis: reliqui verò (seu diversi sint à primo, seu diversę partes ejusdem motûs cõtinui successivi) vitales sunt,quia efficiuntur à corde,movente se per primum ad illos. Cor igitur ad primum motum movetur ab alio, alietate suppositi; sed ad subsequentes, & movet se, & movetur ab alio, alietate solius modi: movet enim, ut applicatum per primum motum; movetur autem, secundùm se inspectum, quatenùs recipit motum. Et idem dicendum de voluntate,dum per intentionem movet se ad electionem, & de intellectu, dum per assensum præmissarum applicatur ad assensum conclusionis.

Opp.

97 Opp.2. contra secundam: Non repugnat idem se ipsum conservare: ergo nec efficere aut primò producere, cùm conservatio sit continuata productio, & eadem actio cum prima rei productione. Ant.prob. Tum, quia probabile est, Corpus Christi producere instrumentaliter actionem conversivam panis in ipsum; quę quidem ipsum Christi Corpus sub speciebus conservat: Tum, quia Corpus Christi reproducitur dum panis in ipsum convertitur, ut nonnullis placet: ergo cùm actio conversiva sit instrumentaliter ab ipso Christi Corpore, potest idem se ipsum reproducere: ergo & primò producere, aut conservare. *Resp.* principium illud, *Quidquid efficitur, ab alio efficitur*, intelligi à D.Th. de efficientibus principalibus; unde subsistit omninò ratio, etiam admissô, posse idem se ipsum instrumentaliter conservare, aut reproducere *Vel* dicendum, admitti posse, idem se ipsum conservare posse, aut reproducere, secundùm aliquem peculiarem modum essendi; secùs absolutè, & quantùm ad esse quod in se habet; quod enim reproducitur, necesse est destrui, aut anihilari, ante reproductionem, ut iterum producatur.

98 Opp.3 contra eandem: Collectio omnium efficientium, est quid ab alio non causatum; at Deus non est: ergo quanvis ratione istâ convincatur existentia entis omnia causantis & incausati, non propterea astruitur Dei existentia. Prob.maj. Licèt singula efficientia creata, ex quibus eorum collectio resultat, causata sint; non propterea ipsa collectio causata ab alio est: sicut quanvis singula possibilia, ex quibus collectio omnium possibilium constat, excedantur ab alio possibili, ideoque repugnet creatura omnium possibilium perfectissima; non propterea collectio ipsa excedatur ab aliquo possibili: ergo. *Nego majorem.* Ad prob. N. ant. ad prob. N. conseq. Hæc enim consequentia est optima: *Singulæ causæ sunt ab alia causatæ: ergo & collectio earum causata est*; hæc autem nulla: *Singulæ creaturę possibiles excedantur ab alia: ergo & ipsa earum collectio excedi debet ab aliquo creato vel creabili.*

99 Et benè nota, hunc modum arguendi in quibusdam ma-

materiis tenere; sed minimè in aliis. In istis non tenet: *Singulę creaturę possibiles sunt finitæ: ergo & collectio earum finita est. Singulæ creaturæ possibiles sunt terminus inadæquatus Omnipotentiæ: ergo & collectio earum, &c. Singula possibilia produci possunt: ergo & collectio eorum produci potest.* In istis autem tenet: *Singule creaturę possibiles aliquid sunt ab Omnipotentia distinctum: ergo earum collectio: Singulæ creaturæ existentes, aliquid sunt re verà creatum: ergo earum collectio.* Hæc igitur consequentia tenet: *Singulę, seu omnes divisivè causę, causatæ sunt: ergo & earum collectio est causata.* Et ratio est, quia collectio ipsa causarum, non aliter causari potest, quàm omnes & singulas causas divisivè causando, id est, unamquamque extra causas ponendo; collectio enim ipsa, præcisivè à singulis, causari non potest. Comparatio autem in ratione excessûs fieri etiam potest ab ipsa collectione secundum se in ordine ad aliud quidpiam.

100 Sed dices: Hæc conseq. non tenet: *Singulę creaturę hujus collectionis producibiles sunt: ergo & collectio ipsa producibilis est*: ergo nec ista valet: *Singulæ causę hujus collectionis productæ sunt: ergo & collectio ipsa producta est.* Resp. disp. esse, quia quòd collectio possibilium producibilis sit, involvit, posse Omnipotentiam exhauriri; quod repugnat planè: quam quidem repugnantiam non involvit, quòd singulæ creaturæ possibiles producibiles sint, ut patet; quare hoc secundum non infert primum. At verò, quòd collectio causarum efficientium producta dicatur, nullum affert inconveniens; undè ex quo singulæ causarum sint productæ, infertur quamoptimè, collectionem esse productam.

101 Opp. 4. contra 3. Creatura ab æterno producta, esset contingens, & possibilis non esse, at falsum est, quòd quandoque non fuerit: ergo & principium illud assumptum à D. Th. *Quod possibile est non esse, quandoque non est.* Resp. adductum principium verificari etiam de creatura ab æterno producta, modò ly *quandoquè* importet, non tempus aut instans reale, sed signum aliquod rationis. Cæterum D. Th. loquitur reapsè de creaturis contingentibus, quæ in hac providentia productæ sunt in tempore; quapropter vera est

pro-

propositio, etiamsi ly *quandoque* importet tempus: nam juxta Fidem, omnia in tempore facta sunt.

DUBIUM IV.

Utrum dari possit ignorantia invincibilis existentiæ Dei?

102 CONclusio est negativa, & communis contra nonnullos quos sequitur Pletelius, judicantes possibilem in adultis, saltem ad breve tempus, inculpabilem incogitantiam, seu inadvertentiam Dei, quam *ignorantiam negativam* vocant. Prob. autem: *Tum* ex Scrip. imprecante maledictionem Deum ignorantibus Psal. 76. *Effunde iram tuam super gentes, quæ te non noverunt*; illosque inexcusabiles indiscriminatim pronuntiante Rom. 1. ergo supponitur, ignorantiam Dei, in quibuscumque reperiatur, esse vincibilem: *Tum* ex PP. passim docentibus, totam naturam, Dei existentiam prædicare *tam clarè, ut & Scita, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo, super terram, hanc vocem audiat*, ut ait Chrysost, hom. 9. ad Populum. Sic etiam loquitur Hieronym. ep. 3. ad Nepotianum. *Deus* (inquit Aug. in Psal. 74.) *ubique secretus est, ubique publicus; quem nulli licet, ut est cognoscere; & quem nemo permittitur ignorare.* Minutius Felix in Octavio: *Parentem omnium* (ait) *non minoris sceleris est ignorare, quàm lædere.* Cyprianus lib. de vanit. Idol. *Hæc est* (inquit) *summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis.* Greg. lib. 17. Moral. cap. 3. super illud Job, *omnes homines vident eum*, ait: *Omnis homo, ex hoc ipso quòd rationalis est conditus, debet ex ratione colligere, eum qui se condidit Deum.* Postremò, Damasc. lib. 7. de Fide, c. primo dicit: *Notitia Dei omnibus à natura insita est; neque id aliquis ratione utens ignorare potest*: ergo.

103 Probatur ratione: *Tum*, quia præcepta quædam naturalia nullus potest invincibiliter ignorare, ut suò locò dicemus: ergo nec illorum Authorem; ratio enim ipsa dictat, ab aliquo esse lata, & sic confusam saltèm Dei existentis in-

ingerit notitiam. *Tum*, quia si posibilis esset in adulto ignorantia invincibilis Dei, esset posibile peccatum grave purè philosophicum; at consequens proscriptum est tanquàm temerarium & erroneum ab Alexandro VIII. die 24. Augusti anno 1690. ergo. Prob. sequela: Peccatum rectę rationi graviter dissonum, quod tamen nec offensa Dei esset, nec mortale, nec pœnâ æternâ dignum; esset peccatum grave purè philosophicum; sed in hoc posset labi ignorans invincibiliter Deum: ergo. Maj. constat ex doctrina ipsa damnata, quæ, ut habetur ex Brevi laudati Alexandri, erat hujusmodi: *Peccatum philosophicum seu morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectę rationi: theologicum verò & mortale, est transgresio libera divinę Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque pœnâ æternâ dignum*: ergo vera est maj.

104 Minor verò prob. Ignorans invincibilitèr Deum, posset homicidium, mechiam, & alia id genus scelera, graviter rationi dissona, perpetrare, ut per se patet; at hęc peccata, nec offensa Dei essent, nec mortalia, nec æternâ pœnâ digna: ergo: Prob. min. Tum, quia impossibile est Deum offendi, nisi aliquô modô cognoscatur: Tum, quia nullum peccatum ab ignorante invincibiliter Deum perpetratum, esset, imò nec esse posset, aversio voluntaria à Deo, quia ignorantia invincibilis, totaliter excludit rationem voluntarii; ideòque excusat à peccato operantem, ut contra Jansenium diffinitum est ab eodem Pontifice: ergo peccata illa nec mortalia essent, nec æternâ pœnâ digna: tenet consequentia, peccatum enim mortale, essentialiter, & præcipuè importat voluntariam aversionem à Deo, cui respondet pœna damni. Et ideò D. Th. 2.2. q. 20. a. 3. ait: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione à Deo, quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.* Quibus validè confirmat rationem nostram, ut consideranti patebit.

105 Dices forsàn, Pontificem reprobasse posibilitatem absolutam peccati philosophici, perpetrati cum ignoran-

rantia vincibili existentiæ Dei; secùs ut deductam ex invincibili. *Sed contra est*, primò: quia Defensores possibilitatis absolutæ peccati purè philosophici, illam deducebant ex ignorantia invincibili existentię Dei, ut videre est in Rod. Arriaga, 1.2. tract.de act.hum. d.19. sec.10. ubi, postquam possibilem asseruit ignorantiam invincibilem Dei, per hæc verba, *Negari nequit, posse, saltem divinitùs, in aliquo homine esse ignorantiam Dei invincibilem, & verò crediderim, de facto sæpè id contingere:: Est valdè probabile, eam ignorantiam sæpè contingere*, extemplò, de peccato philosophico sermonem instituens, ait: *Concluso sit: Illud malum morale cum ignorantia Dei invincibili, sive vocetur peccatum, sive non, non est condignum pœnâ æternâ.* Similiter & alii, qui peccati philosophici Authores communiter audiunt, non aliundè, quàm ex ignorantia invincibili Dei, illius possibilitatem inferebant, ut fatetur Dominicus Viva in Theologica Trutina damnat.thes. versans dictam propositionem damnatam, n.3. tametsi, illos omnes excusando, dicat, solùm docuisse, *veluti hypothetice ac speculative* (verba sunt illius) *quòd si per impossibile quis haberet invincibilem Dei ignorantiam, aut de Deo actu invincibiliter nullatenùs, nè implicitè quidem, cogitaret, dum advertit, furtum v.g. esse rationi dissonum; in tali casu, peccatum non foret Dei offensa, nec peccatum theologicum, sed purè philosophicum, eò quòd impossibile sit Deum offendi, nisi aliquò modò cognoscatur.* Et hinc, conatur ibidem liberare Propugnatores quarundam thesium publicè expositarum Divione anno 1686. (in quibus, sicut in aliis Musipontinis ann.1689. repertam, damnatamque fuisse fertur doctrinam peccati philosophici) causatus in sensu pariter hypotetico fuisse loquutos.

106 Utùt sit, certum est, omnes quotquot possibilitatem, sive absolutam, sive conditionam, peccati philosophici docuerunt, illam ex possibilitate absoluta, aut conditionata ignorantiæ invincibilis Dei intulisse, nullumque illam deduxisse ex ignorantia Dei vincibili: Imò nec poterant: quippè, evidentissimum est, peccatum cum ignorantia Dei vincibili perpetratum, purè philosophicum esse neutiquàm posse; deductum autem ex ignorantia Dei invincibili (si hęc

pos-

posſibilis foret) verè eſſe tale, cùm theologicum eſſe non poſſet, ut oſtentum eſt: ergo Pontifex damnans abſolutam poſsibilitatem peccati philoſophici, illam proſcribit, ut deductam ex poſsibilitate abſoluta ignorantię invincibilis exiſtentiæ Dei, cùm aliunde non deduceretur à docentibus illam, imò nec deduci poſſet ab aliquo, qui Theologiam vel à limine ſalutaverit: ergo ruit penitùs hæc evaſio.

107 Prætereà: Abſoluta poſsibilitas peccati philoſophici, etiamſi deducta ex abſoluta poſsibilitate ignorantię invincibilis Dei, plura involvit inconvenientia. Duo innuare ſufficiat: Primum eſt, quia tale peccatum, à recente baptizato comiſſum, quantunvis enorme & iteratum, nec gratiâ baptiſmali, nec jure ad beatitudinem, illum privaret ergo cum ſolis illis decedens, æternam beatitudinem conſequeretur, contra illud Apoc. 21. v. 27. *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* Secundum, quia ſi puer infidelis, cum ſolo illo peccato, & originali, decederet; nec Cœlum ingredi poſſet, ob originale: Nec detruderetur in infernum; peccatum enim philoſophicum non eſt æternâ pœnâ dignum, propter originale autem nullus ad infernum damnatur: Nec ad Limbum mitteretur; cùm peccatum philoſophicum, ratione cõverſionis ad commutabile bonum, ſit dignum pœnâ ſensûs, quæ ibi non infligitur: Nec tandem ad Purgatorium iret; nam ibi ſolùm in gratia decedentes puniuntur: ergo novum quoddam & hucuſque inauditum receptaculum deſignari deberet, ubi infelix ille pœnas lueret; quod quàm grave inconveniens ſit, nemo non videt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

108 Opp. 1. cum Molina: Cognitio Dei, non eſt nobis immediatè à natura inſita, ſed habetur per diſcurſum: ergo cùm ſint aliqui adeò hebetes, & veluti plumbei, ut incapaces ſint demonſtrationis & diſcurſûs (quales ſunt in ſylvis enutriti) in illis ſaltèm, dari poteſt ignorantia invincibilis de exiſtentia Dei. *N. conſeq.* ad tollendam enim ignorantiam invincibilem, ſufficit probabilis, vel conjecturalis cognitio, vel quę per revelationem, aut aliorum inſtructionem

nem habetur. Quare, cùm in nullo, quantunvis stupido, adeò extincti sint rationis radii, ut, perspectò hoc Universò ita perfectè disposità, non sit illi aliqua cogitatio & cognitio probabilis, illi præesse supremum aliquem Moderatorem, cui sit parendum sequendo bonum honestum & rationis ductum, tenetur inquirere, quis sit ille, & quâ ratione colendus. Quòd si hoc spernat, vel negligat; habebit ignorantiam vincibilem & culpabilem de existentia Dei. Unde, quanvis dari possint infideles negativè, id est, inculpabiliter ignorantes mysteria nostræ Fidei, ut docet D.Th. 2.2. q.10. a.1. non tamen Athei negativè, quos Dei existentia impunè lateat: *A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit Creator horum videri*, ut dicitur Sap.13. Videatur D. Th. 1.2. q.94.a.6.& Granat.in introductione ad Symbolum Fidei.

109 Opp.2. Aliquæ nationes, antequàm à Misionariis edocerentur, nullum Deum agnoscebant: ergo. *Dist. ant.* Nullum Deum agnoscebant distinctè, transeat; confusè, saltèm sub conceptu Regentis supremi, ratione cujus tenebantur ulteriùs inquirere, N.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Deus ità sit unus & singularis, quòd repugnet dari plures Deos?

110 Conclusio est affirmativa, quâ exploditur politheismus, in quem tanta fuit Gentilium proclivitas, ut ad illorum arbitrium divinitas dispensaretur: *Apud vos* (inquit Tertulianus, eos lepidè carpens) *de humano arbitratu divinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius esse debebit.* Singulis rebus propria dispertiebant Numina: *Unusquisque* (ait Aug. l.4. de Civit. c.8.) *domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omninò sufficit: tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* Duodecim finxerunt pro sola aristà ad mesem usque perducenda. Tot porrò Deos confinge-

bant, ut à Deo irato, ad alium propitium confugerent. Unde Ovidius l.1.triſt.eleg.1. *Sæpe, præmente Deo, fert Deus alter opem. Jupiter in Trojam, pro Troja ſtabat Appollo.*

Deinde, ut haberent criminum fautores, & eò faciliùs laxarent habenas, quò proclive eſt imitari quod non piget venerari. Sed benè nota cum D.Th.1.cont.Gen.c.42. quoſdam ex Gentilibus, quanvis plures ponerent Deos, unum tamen Deum eſſe dicebant, à quo omnes alios creatos eſſe aſſerebant. *Unde magis* (inquit S.D.) *huic veritati videntur contrarii Manichæi, duo principia ponentes, quorum alterum alterius cauſa non ſit.*

111 Prob. concluſ. Tùm ex Scriptura unitatem Deo tribuente Deut.6. *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt.* Joann.17. *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum.* Epheſ.7. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma*: Tùm ratione. Primò: Nomine Dei, intelligimus ens ſummè & infinitè perfectum; at repugnat tale ens multiplicari, nam ſi darentur duo entia ſummè perfecta, deberent diſtingui per aliquam perfectionem, quâ alteruter Deus carêret: ergo. Optimè Tertul.l.1.cont.Marc. c.3. *Deus ſi non unus eſt, non eſt* ::: eſt quippè Deus *ſummum magnum, quod unum ſit, neceſſe eſt, par non habendo, nè non ſit ſummum magnum.* Secundò: Si duo eſſent Dii, poſſet unus velle conſervare aliquid, & alter nolle, cùm eſſent liberi; ſed non poſſet utriuſque voluntas impleri: ergo alteruter non erit omnipotens, & conſequenter nec Deus, cùm illâ perfectione carêret. Tertiò: Deus eſt ſupremus mundi moderator & rector: ergo unus; quæ enim diverſa ſunt & diviſa, in unum ordinem non conveniunt, niſi ab uno aliquo dirigantur; multa quippè meliùs in ordinem reducuntur per unum, quàm per plura. Egregiè Cyprianus lib.de Idol. vanit. *Si rex unus eſt apibus, & dux unus in gregibus, & armentis rector unus; multò magis mundi unus eſt rector, univerſa quæ ſunt, verbò jubet, ratione diſpenſat, virtute conſervat. Fieri non poteſt* (inquit Athan. orat. cont.Gent.) *ut hęc omnia invicèm contraria, in unum ordinem ſe colligerent, niſi aliquis eſſet moderator, qui ſimul omnia ſociaret.* Alias rationes uſque ad ſep-

ten-

tendecim, vide apud D.Th. l.cit. ex cont. Gen.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

112 Oppones 1. illud 1. Cor. 8. *Siquidem sunt dii multi, & domini multi.* Prætereà: Pluriès in Scriptura vocantur homines *dii*: ergo. *Resp. ad* 1. cum D.Th. infrà q. 11. a. 3. ad 1. quòd dicuntur plures dii, secundùm errorem aliquorum, qui plures Deos ponebant: unde subdit Apost. *Nobis autem unus Deus, &c. Ad* 2. *resp.* cum Catech. Rom. vocari *deos*, non more gentilium, sed quadam loquendi consuetudine, quâ significare volunt Scripturæ, excellentiam aliquam, virtutem, vel functionem, quæ Dei munere eis concessa sit.

113 Opp. 2. Nequit de Deo prædicari *unum*, quod est principium numeri, cùm istud sit de genere quantitatis; nec etiam *unum*, quod convertitur cum ente, importat enim privationem, Deo repugnantem. *Resp.* prędicari de Deo *unum*, quod convertitur cum ente: licèt enim in Deo nulla sit privatio; non tamen cognoscitur à nobis, nisi per modum privationis & remotionis; & sic nihil prohibet, aliqua privativè dicta, de Deo prædicari, sicut, quòd est incorporeus, infinitus; & ita similiter dicitur de eo, quòd sit unus.

DISPUTATIO II.

De Natura & quidditate Dei.

CUM natura divina concipiatur à nobis veluti fons & origo omnium quæ in Deo sunt, priùs de illa, quàm de Attributis agendum est. Sit igitur

DUBIUM UNICUM.

Quodnam sit constitutivum Naturæ divinæ?

114 CONclusio: *Physicum Naturę divinæ constitutivum, omnium perfectionum ipsius amplectitur collectionem; metaphysicum verò, nec in tali collectione, nec in infinitate, nec in ratione entis à se, nec in intellectivo & volitivo*

simul; sed unicè in intelligere consistit, non quidèm actuali, sed radicali. Conclusio habet septem partes, & quoàd quinque priores, est communis Thomist. quoàd reliquas verò, frequentior, contra PP.Salmant. Albelda, Joan.à S.Thoma, & Gonet. Prob.autem quoàd singulas: Et quidem prima, vel exinde constat, quòd physicè & realiter, omnia quæ sunt in Deo, sunt de illius essentia, cùm nullum in eo dari possit accidens. Secunda etiam patet, apprehendimus enim in Deo quędam prædicata ut radices aliorum, alia verò, ut radicata, & ut advenientia Deo jam essentialiter constituto: ergo non per collectionem omnium metaphysicè constituitur; metaphysicum enim Dei constitutivum nihil est aliud, quàm prædicatum, quod concipitur ut primum & radix cæterorum. Tertia inde convincitur: Quia infinitas (sicut etiam rationes *entis à se*, *veri*, *boni*, *existentis*, & similes) est prędicatum transcendens, & percurrens omnia omninò Dei prędicata: ergo si per infinitatem constitueretur Natura divina, per omnia Dei prędicata constitueretur.

115 Inde probata manet quarta, quæ ulteriùs suadetur: Nam aliàs, cùm nomen *Qui est*, propriùs & expressiùs significet rationem entis à se, quàm hoc nomen *Deus*, esset nomen proprius Dei, quàm *Deus*, quantùm ad id ad quod significandum nomen imponitur; cujus oppositum docet D.Th.inf.q.13.a.11.ad 1. Prætereà: Creaturæ irrationales essent propriè ad imaginem Dei; cùm enim re verâ sint, assimilantur Deo in ratione *entis à se*: ergo si hæc esset ultima Dei differentia, in hac assimilarentur ei, & consequenter essent propriè ad imaginem ipsius; quod adversatur D.Th.inf.q.93.a.2. Prob.quinta: Nam *volitivum*, de se est prædicatum supponens aliud, nempè, *intellectivum*: non ergo constituit metaphysicè naturam divinam, quæ per prædicatum, quod tanquàm primum & cæterorum radix concipitur, constituenda est. *Insuper*: Quia aliàs Natura divina communicaretur Spiritui Sancto ex vi formalis processionis, sicut communicatur Filio; ac proinde Spiritus Sanctus diceretur & esset Filius. *Demùm*: Quia homo non constituitur per esse principium intellectionis & volitionis simul,

sive

sive per intellectivum & volitivum ex æquo : ergo nec Deus.

116 Sexta pars demonstratur ratione D.Th.q.1.de potentia, a.1. ad 1. sic enim habet : *Est autem de ratione operationis habere principium, non de ratione essentiæ ; unde licet essentia divina non habeat aliqua principia, nec re, nec ratione; tamen operatio divina habet aliquod principium secundùm rationem.* Formatur autem ratio sic:Essentia divina nullum habet principium, nec re,nec ratione; at operatio habet principium: ergo. *Dices*, intellectionem divinam habere quidèm principium, sub conceptu operationis; non tamen sub conceptu ultimę actualitatis. *Sed cont.* est,primò, quòd intellectio, sub conceptu ultimæ actualitatis, exprimit rationem operationis ; exprimit quippè rationem actûs ultimi in linea operandi ; actus autem ultimus in linea operandi, est ipsissima operatio : ergo. *Præterea* : Intellectio sub conceptu operationis habet principium, quod sanè aliud esse non potest, nisi natura divina ; sed intellectio sub conceptu ultimę actualitatis nequit esse principium sui ipsius, inquantùm operatio est, quia nequit apprehendi quasi in potentia ad illam;id enim quod apprehenditur per modum principii in potentia,ad intellectionem, apprehenditur ut principium intellectivum, seu, ut operativum intellectionis: ergo.

117 Prob. insuper hæc sexta pars : *Tùm*, quia Natura divina debet constitui per id, quod concipi potest ut radix omnium attributorum; at intellectio,seu intelligere actuale, non est hujusmodi,nequit enim concipi ut radix intellectûs, voluntatis,& omnipotentię: ergo. *Tùm*,quia potentialitas virtualis inclusiva(quam gratis admittimus,arguendo ad hominem) non opponitur rationi actûs puri ; siquidem intellectio ipsa divina distinguitur virtualiter à volitione,ad quã proinde comparatur tanquàm in potentia virtuali, etiam juxta Adversarios ; aliàs enim, & volitio ipsa actualis naturam divinam constitueret : ergo ruit præcipuum Adversariorum fundamentum, quô moventur ad asserendum, non per intelligere radicale, sed per actuale, constituendam esse Naturam divinam. *Tandem* & efficaciter: Quia gratia habitua-

tualis est *formalis participatio naturæ divinæ*; non tamen intellectionis divinæ, cujus formalis participatio est visio beatifica: ergo vel natura divina non est formaliter intellectio actualis Dei; vel visio beatifica, potiùs quàm gratia habitualis, erit formalis participatio naturæ divinæ; at hoc secundum communi Theologorum sensui adversatur: ergo primum verum sit, necesse est.

118 Dices, gratiam habitualem, esse quidem participationem naturę divinæ, sed inadæquatam; sub munere scilicèt radicis proprietatum & operationum: visionem autem esse participationem ejusdem naturæ, sub munere actualissimæ intellectionis: & lumen glorię participare illam, sub munere virtutis intellectivæ: hæc autem tria munia in eodé indivisibili intelligere actuali reperiuntur. *Sed contra* est: primò, quia sicut gratia habitualis est participatio naturæ divinæ sub munere radicis, ita visio beata est participatio ejusdem sub munere intellectionis actualissimę: ergo si hæc munia ex æquo & quasi indivisibiliter constituunt naturam divinam; visio beata erit tàm perfecta & formalis participatio naturę divinę, quàm gratia; quod ab omnibus Theologis improbatur: Si autem ea munera, non ex æquo, sed ordine primarii, & secundarii, importentur in natura; hæc per munus radicis, quod utique prius est munere intellectionis, constitueretur. *Præterea*, quia si natura divina ex æquo staret in radice intellectiva, & actuali intellectione; complexum ex gratia, & visione, foret totalis & integra participatio solius naturę; quod est falsum: nam tale complexum est participatio naturæ, & attributi; beatitudo enim Dei, illius attributum est: ergo. *Tandem*: Quia licèt actus charitatis radicaret, per impossibile, gratiam habitualem, & reliqua supernaturalia dona; non propterea esset participatio naturę divinæ, sed divini amoris: ergo gratia, non quia radicat prædicta dona, sed quia participatio est virtutis intellectualis Dei, est participatio naturæ divinę; & propterea radicat præfata dona.

119 Septima demùm, & præcipua conclusionis pars, constat; tum ex dictis: Tum, quia natura seu essentia Dei, con-

constituenda est per prædicatum, quod in linea perfectissima primum sit, ac virtuale principium & radix cæterorum; at hujusmodi est intelligere radicale: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

120 Opp. contra 2. part. concl. Essentia divina constitui debet, etiam metaphysicè, tanquàm quid summè perfectum, & simpliciter infinitum: ergo constitui debet per collectionem omnium perfectionum. *Dist. ant.* summè perfectum & infinitum, in linea essentiali, C. in linea essentiali & attributali, N.

121 Opp. 2. contra 3. Existentia explicat majorem perfectionem, quàm reliqua prædicata divina, imò quasi determinat illa: omnium ergo est prædicatum perfectissimum, & consequenter naturam constituit. *Resp.* existentiam (datô quòd explicet majorem simpliciter perfectionem, quod falsum est) dicere tamen incompletionem, & transcendentiam; ideoque, nè in creatis quidem, dici essentiam, aut partem essentiæ, sed modum.

122 Opp. 3. contra 4. part. Deus, quasi diffiniens se, suamque essentiam explicans, expresit rationem entis à se, dùm dixit Moysi, Exod. 3. *Ego sum qui sum*: ergo. *Deinde*: Ratio entis à se, est prima quæ concipitur in Deo, ac veluti radix omnium perfectionum: explicat præterea majorem perfectionem, quàm alia prædicata divina: per illam demùm distinguitur Deus ab omni alia re; solus quippè Deus est ens à se: ergo. *Ad* 1. N. ant. illud enim dixit Deus, non quasi diffiniens se, sed quasi suam singularitatem enuntians: Etenim nomen *Qui est*, quantùm ad id à quo nomen imponitur, & quantùm ad modum significandi, est magis proprium Dei, quàm nomen *Deus*; at, quantùm ad id ad quod significandum imponitur, scilicèt, naturam divinam, est econversò, ut dicitur infrà q. 13. a. 11. Et licèt majorem explicet perfectionem & actualitatem, distinguatque Deum ab omni alia re, conceptu quasi transcendentali, communi essentiæ & attributis; non tamen conceptu essentiali: unde, quanvis primò concipiatur in Deo, non tamen ut radix; cùm enim transcendat etiam attributa, nequit ista radicare.

Di-

123 Dices: Licèt ratio entis à se per exclusionem essendi ab alio realiter, sit transcendens; per exclusionem tamen essendi ab alio virtualiter, transcendens non est; sed propria naturæ divinæ: ergo hæc per illam constituenda erit. N. conseq. Ratio enim entis à se per exclusionem essendi ab alio virtualiter, est quidem modus proprius naturæ divinæ; non tamen explicat prædicatum, in quo stet ipsa natura: quemadmodum & ipsa attributa, aliquid aliud sunt à modo essendi ab alio virtualiter, quem dicunt: unde & propriis nominibus significantur, ut *intellectus*, *voluntas*, &c.

Nota hîc contra Cornejo, rationem naturæ, & essentiæ, nè virtualiter quidem, distingui in Deo; imò nec in creatis, cùm adhùc in istis concipi non possit ratio naturæ, quin ratio essentiæ concipiatur: rationale v.g. concipi non potest ut principium discursûs, quin simul concipiatur in ordine ad esse. *Datò autem*, quòd virtualiter distinguerentur; in uno tamen eodemque prædicato constituendæ essent ratio naturæ, & ratio essentię: ut patet in homine, cujus essentia & natura in eodem rationali ponitur. *Nec* contra primum obstat, quòd D. Th. infrà q. 39. a. 2. ad 3. asserat, *aliqua dici unius naturæ, quæ unius essentiæ esse non possunt*: aliquam ergo distinctionem agnoscit inter naturam, & essentiam: ergo cùm minima sit virtualis, hanc admittit. *Non* inquam obstat; mens enim S. D. solùm est, quòd licèt essentia, & natura, sint virtualiter indistinctę; nihilominùs, ly una additum naturæ, minùs determinat, quàm si addatur essentię; nam unius naturæ dicuntur, quæ in aliqua operatione communi conveniunt: ideoque dicitur, quòd omnibus calefacientibus est una natura, non autem una essentia. Et hinc docet ibidem ad 9. quòd magis exprimitur unitas divina per hoc quod dicitur, *Tres Personæ sunt unius essentiæ*, quàm si diceretur, quod sunt *unius naturæ*. Nec etiam obstat, quòd natura, & essentia, dicantur per ordinem ad res diversę lineæ, operationem scilicet, & esse: quia non dicuntur per modum prædicati æquivalentis ad illas (quod arguit distinctionem virtualem) sed solùm per modum principii radicantis illas, quod non sufficit ad distinctionem virtualem, aliàs in ipso

con-

conceptu naturæ divinæ, eſſent plures virtualitates, cùm radicet relationes & attributa, ad diverſas lineas pertinentia.

124 Oppones 4. cont. quintam: Perfectiſsima vita intellectualis (per quam, dubio procul, conſtituitur natura divina) ſolùm explicatur completè & adæquatè per intellectionem, ſimul & volitionem: ergo. *Præterea*: Adminus conſtitui debet natura divina per principium perfectiſsimum vitæ intellectualis, quod ſcilicet ambiat omne genus vitæ intellectualis, & omne exercitium illius radicet; at hoc principium coaleſcit ex intellectivo & volitivo ſimul: ergo. *Reſp.* Naturam divinam conſtitui per prædicatum explicans perfectiſsimam rationem vitæ intellectualis, perfectione primâ & eſſentiali, cujuſmodi eſt ſola intellectio; non autem tam primâ, quàm ſecundâ, ut ſunt intellectio & volitio. *Ad ſecundam* reſp. conſtitui naturam Divinam per principiũ vitæ intellectualis perfectiſsimum, quaſi intenſivè, & in linea ſolùm eſſentiali; non quaſi extenſivè, & in omni linea: unde non per intellectivum & volitivum ſimul, ſed per intellectivum duntaxàt, conſtituitur; principium enim radicans duplicem operationem, quarum una ordine & dignitate antecedit aliam, per ſolam expreſsionem radicandi primam, eſſentialiter conſtituitur: ſicut rationale conſtituens hominem, explicatur per principium diſcurſûs, & non volitionis: animal etiam formaliter explicatur per principium ſentiendi, non autem appetendi; tametſi utriuſque operationis ſit principium.

125 Oppones 5. cont. ſextam: Intelligere actuale eſt prædicatum in linea perfectiſsima perfectiſsimum, eſt quippè in linea intellectiva actualiſsimum; *unumquodque* autem *tantum habet de perfectione, quantum habet de actu*, ut fert proloquium apud D. Th. frequentiſsimum: ergo. *Præterea*: Si natura divina conſtitueretur per radicem intelligendi, virtualiter diſtinctam ab actuali intellectione; conſtitueretur per aliquid virtualiter potentiale, id eſt, per aliquid virtualiter actuabile, & adhuc determinabile; at hoc repugnat conceptui actûs puri, omnem planè potentialitatis umbram exclu-

cludentis: ergo. *Resp. ad* 1. Naturam divinam constituendam esse metaphysicè per prædicatum, quod in linea perfectissima sit perfectissimum, & majorem explicet perfectionem, si sit primum & aliorum radix, & non aliter: ad constitutionem quippè metaphysicam, potiùs attèdi debet, quòd prædicatum sit primum & aliorum radix, quàm quòd sit perfectissimum: primum autem horum, competere nequit intellectioni divinæ. Axioma autem adductum, exponitur primò, si cætera sint paria, nempè, *Inter principia operativa, illa sunt perfectiora, quæ actualiora.* Idem de operationibus. Secundò exponitur de perfectione secundùm quid, non autem simpliciter; hęc enim nèdum ex actualitate, sed ex multis aliis sumenda est. Sic frequenter Thomistę, docentes, essentiam esse simpliciter perfectiorem existentiâ.

126 Ad secundum, quod est pręcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, N.maj. Distinctio enim virtualis inclusiva, nullam, nè virtualem quidem, infert potentialitatem; nam quæ sic distinguuntur, invicèm se formaliter includunt; quare nequit unum comparari ad aliud tanquàm actuabile, vel determinabile, & consequenter nec valet esse in potentia ad illud. Admissâ deinde maj. N.min. quam negare tenentur Adversarii, si consequenter procedant, ut ostensum est num. 117. Et nota benè, ut plura solvas argumenta, quòd inter prædicata divina ejusdem lineæ, quamoptimè dari potest distinctio virtualis; siquidem intellectus, sapientia, ars, prudentia, & consilium, ejusdem sunt lineæ intellectivæ; & nihilominùs virtualiter distinguuntur: in linea etiam volitiva, virtualiter distinguuntur justitia, misericordia, amor liber, & necessarius, &c.

127 Opp. tandem: In divinis communicatur natura divina Filio, ex vi formalis processionis; sed quod illi communicatur, est intelligere sub conceptu ultimę actualitatis subsistentis; procedit enim ut Verbum, cujus esse, est intelligi, cùm sit terminus intellectionis: ergo. *Resp.* Verbo divino, ex vi formalis processionis, communicari utrumque intelligere, & radicale, & actuale: quod sanè Authores oppositi negare non possunt, cùm inter utrumque intelligere nullam

lam agnoscant virtualem distinctionem. Unde, ex hoc nihil contra nos: imò quia Verbum est substantiale, quasi magis primò communicatur illi radix intelligendi;& quasi consecutivè ad radicem, communicatur illi intellectio. At,Spiritui Sancto neutrum intelligere communicatur, ex vi formalis processionis; sed velle duntaxàt, seu actuale,seu radicale: Salvatur ergo distinctio processionis Verbi, à processione Spiritûs Sancti, sive Natura divina (quæ Verbo, ex vi formalis processionis, communicatur) per intelligere radicale constituatur, sive per actuale.

128 Nota hîc contra Godoy, & Ferre, *intelligere radicale esse adæquatam quasi differentiam Dei; & consequenter, hanc non coalescere ex ratione substantiæ spiritualis,seu immaterialis à se, & ex radice intelligendi.* Sed oppones illorum fundamentum, nimirùm, quòd D.Th. inf. q.14. a.1. infert intellectivum, etiam radicale, ex immateriali; & quidem à priori:immaterialitas igitur est radix intellectivi,etiam radicalis, estque istô prior: ergo Natura divina constitui debet, saltèm inadæquatè, per immaterialitatem à se. *Resp.* immaterialitatem esse prędicatum de genere physico, sicut & materialitas,vel compositio materiæ, cui opponitur; unde, quanvis sit radix intellectivi,per istud debet constitui Deus, non per illam: differentia enim metaphysica quamoptimè oriri potest ex aliqua radice physica: sicut rationale hominis,ex forma entitativè spirituali desumitur,quin hæc sit differentia metaphysica hominis.

129 Nota prætereà, Naturam seu essentiam Dei, adæquatè explicandam esse, tanquàm per genus & differentiam, *per substantiam spiritualem à se, intellectivam sui comprehensivè.* Substantia siquidem spiritualis,prædicatum quoddam metaphysicum est, quasi genericum, sumptum ex ipsa immaterialitate physica. Nec enim assignari potest aliud prædicatum, quasi genericum. *Nec obstat*,quòd inferat differentiam: quia in Deo dari non potest genus, virtualiter exclusivè distinctum à differentiâ: nec istud quasi genus infert, quà tale, differentiam sui contractivam; sed id provenit ex radice physica, à qua desumitur genus.

DIS-

DISPUTATIO III.

De Simplicitate & Perfectione Dei.

130 PERFECTIONES absolutas & necessarias, Essentiæ divinæ constitutæ & completæ supervenientes, *Attributa* vocamus; quæ ab Hebræis *Sephirot*, id est, *quasi saphiri* dicuntur, quia illis veluti saphiris, ac gemmis pretiosis, mirè exornatur divina Natura. Inter ea autem primùm occurrit Dei simplicitas, quæ adeò summa est, ut nullam in eo compositionem, nè metaphysicam quidem, seu ex genere & differentia, patiatur, ut ostendit D.Th. q.3. removens sigillatim à Deo omnem omninò compositionis speciem repertam in rebus, nimirùm, ex partibus integralibus seu quantitativis, ex essentialibus physicis, materia scilicet & forma, ex natura & subsistentia, ex essentia & existentia, ex genere & differentia, & ex subjecto & accidenti: est enim Deus (ut alia, quibus singula convincit, ommittamus) primum ens, prima causa, actus purus, & ipsum esse, ut art.7. ratiocinatur. Vide infrà n.809. Doctori Ang. subscribunt universi Theologi, si unam metaphysicam compositionem excipias, quam summæ Dei simplicitati non repugnare, plures existimant; quod propterea in dubium vocare oportet. Et quia compositio est distinctorum unio, sequens dubium, illudque valdè celebre, prę̃mittendum est.

DUBIUM I.

Qualiter Attributa ab Essentia, & inter se, distinguantur?

131 CONclusio: *Attributa solâ distinctione virtuali, & rationis ratiocinatæ inclusivâ, secernuntur invicèm, & à Natura.* Excludit conclusio inter prædicta, omnem

nem prorsus distinctionem realem, videlicèt, entitativam, modalem, & formalem ex natura rei, quam *Scoticam* vocant. Et quoàd primum, est Fide certa, diffinita contra Gilbert. Porretanum, in Concilio Remen. sub Eugenio III. Quoàd secundum, est communis Catholicorum, apud quos malè audit Durandus, oppositum defendens. Quoàd tertium autem, communiter propugnatur in Scholis adversus Scotistas. Et probatur: *Tum*, quia distinctio Scotica summæ Dei simplicitati repugnare videtur: ea enim quæ realiter formaliter distinguuntur, compositionem realem formalem ex natura rei efficiunt, si inter se uniantur: sicut realiter entitativè distincta, realem entitativam; & ratione distincta, compositionem rationis: compositio quippè nihil est aliud, quàm *distinctorum unio*; at compositionem realem formalem ex natura rei, vel ipsi Scotistę rejiciunt à Deo, tanquàm ejus simplicitati adversam: ergo falsò, & inconsequenter, similem distinctionem agnoscunt.

132 Tum, quia juxta PP. atributa prędicantur prædicatione formali in abstracto de Essentia; at prędicatio formalis, identitatem formalem requirit inter extrema: ergo essentia & attributa identificantur formaliter: ergo non distinguuntur formaliter, seu ex natura rei. *Tum* demùm, quia si essentia distinguatur realiter formaliter ab attributis, comparabitur ad ista, per modum potentię realis formalis; & hæc ad illam, tanquàm actualitates reales formales, quod cum ratione actûs puri non cohæret: ergo. Mittimus rationes, quibus Logici implicatoriam esse suadent hanc distinctionem: adversus quam, & eas quas Gilb. & Durandus confinxerunt, latior redibit sermo in Tract. de Trinitate, à n. 674.

133 Quoàd id verò quod affirmat conclusio, constat ex dictis; nulla enim alia restat distinctio, & aliquam esse admittendam inter memorata, vel ipsa contradictoriorum verificatio apertè manifestat. *Sed* benè nota, nomine *distinctionis virtualis*, nos intelligere distinctionem fundamentalem rationis: distinctionem enim virtualem, quę hujusmodi non sit, & quam *intrinsecam* vocant, omninò à Deo remo-

ve-

vemus adversus quosdam RR. & M. Ferre. *Tum*, quia Conc.Florent.sess.15. & alibi, asserit, quòd *relatio est eadem re cum natura; solùm verò secundùm modum intellectionis nostræ differt.* Ubi particula exclusiva *solùm*, quamcumque aliâ distinctionem excludit: ergo pariter. *Tum*, quia D.Th. in 1.d.2.q.1.a.3.qa.4.id quod ex parte Dei datur distinctionis, dùm divina attributa illi asserimus, explicat per hoc, *quòd aliquid ex parte Dei correspondet nostris conceptibus.* Tum,quia distinctio rationis cum fundamento in re,sive virtualis,illud præbens, sufficit ad præstanda ea, propter quæ astruitur distinctio virtualis intrinseca; nam D.Th. semper recurrit ad distinctionem rationis,ad ea præstanda, ut patet infrà,quæst. 28.a.1.ad 1. & q.39.a.1.ad 2. Et sanè, si distinctio rationis non sufficit: nec sufficiet virtualis intrinseca,cùm verificatio contradictoriorum, realis absoluta sæpè sit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

134 Præcipuum Scoti fundamentum de verificatione contradictoriorum independenter ab intellectûs operatione (quô etiam utebantur Gilbertus, & Durandus ad suas stabiliendas distinctiones) dissolvetur inf.Tract. de Trin. à n. 679. Pro nunc dicimus, ad verificandas prædicationes contradict. vel quasi, independenter ab operatione intellectûs;sufficere distinctionem rationis fundamentalem,quam *virtualem* vocamus. Et quidem argumentum Scoti, aut nihil probat, aut convincit distinctionem realem absolutam inter Essentiam, & Paternitatem; Essentia enim realitèr absolutè communicatur Filio, cui realiter absolutè non communicatur Paternitas. Cùm autem D. Th. ad illas, & similes prædicationes verificandas, perpetuò recurrerit ad distinctionem rationis, sivè actualem, sive fundamentalem; mirari non desino moderni Scotistæ Franciſci Henno animositatem, qui asserere non dubitat, hunc recursum *periculosum ut minimùm* sibi videri: & per distinctionem virtualem,mysteria Trinitatis,& Incarnationis,*vix,aut nè vix, explicari posse.* Sed hæc nimio in suam distinctionem amori donanda sunt. Hôc igitur argumentô omissô,

135 Oppones 1. contra doctrinam modò insinuatam:

Im-

Impossibili omni intellectu creatô, impossibilis etiam foret distinctio rationis,& virtualis fundamentalis; at tunc verificarentur adhuc propositiones contradictoriæ de quibus est lis, v.g. istę: *Verbum procedit per intellectum*: *Verbum non procedit per voluntatem*: *Essentia communicatur Filio*: *Paternitas non communicatur Filio*: Nec enim mysterium SS. Trinitatis à possibilitate intellectûs creati pendere potest: ergo malè recurritur ad distinctionem rationis fundamentalem, aut actualem, &c. *Neg.min.* in illa enim hypothesi, hæc propositio v.g. *Paternitas non communicatur Filio*,esset falsa:tunc enim,unus & indivisibilis conceptus formaretur de Essentia, & Paternitate; unde falsò negaretur communicabilitas de re, tali conceptui correspondente. *Dices*: Id quod modò correspondet per modum significati formalis huic voci *Essentia*, communicaretur tunc Filio: & id quod *modò* correspondet huic voci *Paternitas*,non communicaretur Filio: ergo semper essent veræ istę propositiones: *Essentia communicatur Filio*: *Paternitas non communicatur Filio*.

136 Resp.ant. esse verisimum,sed consequentiam nullam. Veritas quippè hujus propositionis,*Paternitas non communicatur Filio*, non solùm pendet ex eo quòd significatum formale Paternitatis non communicetur; sed etiam ex eo quòd detur vox, quâ significatum illud exprimatur præcisivè ab Essentia, & quòd detur intellectus apprehendens Paternitatem conceptu diversô,à conceptu Essentiæ: nisi enim isti conceptus diversi sint, & vocum significata diversa; propositio negativa evadet falsa; eò quòd Essentia, quæ eidem conceptui correspondet,communicatur Filio,& consequenter, quod illi conceptui correspondet, verè dicitur *communicari Filio*, & falsò dicitur *non communicari*.

137 Ad intelligendum autem & explicandum Mysterium SS.Trinitatis in ea hypothesi,satis est,quòd eadem realitas,quę simul est Essentia & Paternitas, communicetur Filio,quâ parte est Essentia; & quâ parte Paternitas est, non communicetur: Per hoc enim præcisè,jam intelliguntur Pater & Filius unius & ejusdem Essentię, cum diversitate reali Personarum: nec ampliùs exigitur ex terminis,& pro omni

si-

signo. Unde in præfata hypothesi, non opus est intelligere distinctionem aliquam inter Essentiam,& Paternitatem; nec verificare prædictas contradictorias. *Quares*: In hypothesi illa impossibilitatis intellectûs creati, vel pro priori ad possibilitatem illius (cùm videlicet unus & indivisibilis conceptus formari posset de Essentia & Paternitate) affirmabitur *communicabilitas* de re,tali conceptui correspondente? Resp. affirmandam esse, non autem negandam.

138 Et ratio est, quia ad verificationem propositionis affirmativæ, satis est, prædicatum pro aliqua parte convenire subjecto; ad negativam autem verificandam, exigitur, quòd prædicatum nullâ ex parte subjecto conveniat; v.g. si vestis ex una medietate sit alba, & ex alia nigra; vera erit ista, *Hæc vestis est alba*; hæc autem falsa, *Hæc vestis non est alba*. Idem ergo dicendum in hypothesi, quòd eidem indivisibili conceptui correspondet id quod significatur nomine Essentiæ, & id quod significatur nomine Paternitatis; tunc ergo de objecto talis conceptûs,affirmabitur verè *communicabilitas*, & negabitur falsò. Et benè nota, argumentum istud etiam militare contra M. Ferre, & alios opponentes; distinctio enim virtualis intrinseca, stare non potest in hypothesi quòd nulla creatura esset possibilis; tunc quippè nulla esset æquivalentia ad res realiter distinctas, in qua ponunt distinctionem illam.

139 Opp.2. Essentia, & Attributa, diversis diffinitionibus diffiniuntur,independenter à fictione intellectûs: ergo. *Resp.* quòd in diversis illis diffinitionibus, non exprimitur fictio, supponitur tamen; dum enim diffinitur intellectus divinus v.g. *Id quô Deus proximè intelligit*, supponitur intellectus præcisivè cognitus, & ut quid à voluntate distinctum, cùm in re idem sint.

Oppones tandem: Propositiones istæ, *Essentia non est intellectus*, *Intellectus non est voluntas*, non sunt veræ in Deo; at inter earum prędicatum,& subjectum,datur distinctio rationis: ergo hæc non sufficit ut attributum negetur de Essentia,aut de alio attributo: ergo nec ut verificentur sequentes, *Filius non procedit per voluntatem*, *Spiritus S. non procedit per*

in-

intellectum. Pretereà: Essentia plùs distinguitur ab attributis & relationibus, quàm à se ipsa sub munere speciei, aut naturę; atqui à se ipsa, sub his conceptibus, ratione differt: ergo ab illis, plusquàm ratione. *Ad* 1. resp. disparitatem esse, quia in his, *Essentia non est intellectus, Intellectus non est voluntas*, termini non stant pro significatis formalibus, quasi appellando supra illa; sed stant pro Essentia, Intellectu, & Voluntate, ut sunt in se; ideoque sunt falsæ, & affirmativæ veræ. In his autem, *Verbum non procedit per voluntatem, Spiritus S. non procedit per intellectum*, supponunt termini pro significato formali, id est, *intellectus*, pro expresione intellectûs, & prout à voluntate distinguitur, & sic de aliis; ideoque sunt veræ, & affirmativæ falsæ. Et hoc in omni sententia est verum: qualitercumque enim distinguantur extrema, semper reddenda est ratio, cur istæ sint absolutè veræ, *Essentia est Paternitas, Intellectus est voluntas*; & istę absolutè falsæ, *Paternitas communicatur Filio, Filius procedit per voluntatem*: ratio autem alia esse non potest, nisi diversa terminorũ acceptio. Unde argumentum non est ad rem. *Ad* 2. N. conseq. sicut ista negari debet, *Istæ entitates distinguuntur inter se plusquàm illæ: ergo plusquàm distinctione entitativâ*; distinctio quippè, seu realis, seu rationis, seu virtualis, habet, intra suum respectivè genus, magnam latitudinem.

DUBIUM II.

Utrum ponenda sit in Deo compositio ex genere & differentia?

140 CONclusio est negativa, & communis Thomistarum, qui multis illam ostendunt in Logica circa prędicamentum substantię: quapropter breviter hîc prob. Quia talis compositio, cùm sit actûs & potentię, Dei simplicitati & perfectioni repugnat; simplicitas enim Dei est summa, & quâ major excogitari non potest: ergo. *Ut autem* evasiones præcludas; præ oculis habe, hanc compositionem, cùm sit rationis ratiocinatę, involvere potentia-

tialitatem se tenentem ex parte objecti, prębentis intellectui fundamentum ad concipiendum unam partem ut determinabilem per aliam: aliquam ergo realem compositionem, saltèm ex essentia & existentia, prærequirit ex parte fundamenti; aliàs esset rationis ratiocinantis duntaxat.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

141 Opp.1. Augustinum 5. de Trinit. c. 9. docentem, tria prædicamenta propriè dici de Deo, nimirùm, substantiam, relationem, & actionem; reliqua verò, metaphoricè. Damascenum præterea in Elementario, c.9.asserere, nomen relationis, propriùs dici de Deo, quàm de creaturis, juxta illud Ephes.3. *Ex quo omnis Paternitas in cælis & in terra nominatur*: ergo saltèm ratio relationis, est genus ad relationes divinas & creatas. *Ad* 1. resp. dici quidem illa propriè, & non metaphoricè de Deo; non tamen univocè, sed analogicè: sicut ratio entis, non metaphoricè, sed propriè dicitur de substantia & accidenti, quin univoca sit, aut genus ad illa. *Hinc* ad 2. N.conseq.

142 Opp.2. Compositio ex genere & differentia, non obest simplicitati Dei: ergo. Prob. ant. Primò, quia ratio scibilis est univoca ad Deum & creaturas, sicut ratio scientiæ ad Theologiam & alias scientias, ut quibusdam placet. Secundò, quia prædestinatio, & providentia naturalis, sunt species Providentię divinæ. Tertiò, quia ratio personæ & relationis, reperitur in Deo: ergo & compositio rationis ex conceptu communi earum, & particulari hujus personæ & relationis: sicut in creatura. Postremò, quia Persona Patris v.g. est quid compositum ex Essentia divina, & Paternitate; at non aliâ compositione, quàm rationis: ergo. *N.assumpt.* Ad primam prob. resp. sententiam illam, & nostræ conclusioni, & D. Th. doctrinæ directè opponi, nulli prętereà nitti fundamento; convenientia quippè univoca habituum, nō infert illam inter objecta, illos specificantia; de quo alibi. *Ad* 2.N.ant. Ratio enim providentiæ, non dividitur in prædestinationem, & providentiam naturalem, tanquàm in partes subjectivas, seu species, sed objectivas duntaxat; ideoque providentia est unicum & virtualiter indivisibi-

le

le attributum, ut latiùs suò locò dicemus.

143 Ad 3. N. conseq. nam Persona in divinis, non contrahitur ad hanc, vel illam Personam, per aliquam differentiam, à qua ratio communis abstracta sit, pręcisione objectivâ, ad universalitatem & compositionem rationis exactâ: *Personæ divinę* (inquit D.Th. infrà q. 30. a. 4. simile solvens argumentum) *habent unum esse; genus autem, & species, & quodlibet universale, prædicatur de pluribus secundùm esse differentibus*, id est, in quibus esse re ipsâ multiplicatur, & datur fundamentum ad pręcisiones objectivas. Idem dicendum de relationibus divinis; nō enim multiplicantur secundùm esse, aut essentiam; sed solùm secundùm explicitum, & conceptum *ad*. Inde *ad* 4. N. maj. compositio enim, quanvis rationis sit, requirit pluralitatem conceptuum cum præcisione objectiva; Essentia autem, & Paternitas, mutùo se includunt, ut alibi dicetur ex professo.

144 Opp. 3. Fictio intellectûs nostri efficientis compositionem rationis, nihil ponit in re: ergo nullam infert imperfectionem in Deo. *Prę.* Distinctio rationis, non obest summæ Dei identitati, in Essentia & Attributis: ergo nec compositio, simplicitati. *Tandem*: Datur in Deo distinctio rationis: ergo & compositio, quę nihil est aliud, quàm distinctorum unio. *Ad* 1. N. conseq. Licèt enim fictio nihil ponat in re; aliquid tamen, Dei simplicitati repugnans, in re supponit, ut dicatur & sit cum fundamento in re, aliquod scilicèt prędicatum, se habens per modum potentiæ, à quo sumatur genus, & aliquod se habens per modum actûs, à quo differentia sumatur. *Ad* 2. dist. ant. Distinctio inclusiva, C. Exclusiva N. ant. & conseq. *Ad ult.* dist. antecedens eòdem modò, & N. conseq. quippè ad compositionem rationis requiritur distinctio rationis exclusiva inter extrema; cùm enim compositio fiat per hoc, quòd unum alteri superveniat; oportet, quòd unum in altero non includatur. Si autè fieri posit compositio ex distinctis solâ distinctione inclusivâ, Dei simplicitati non repugnabit: sicut nec ejus identitati, talis distinctio.

DUBIUM III.

Utrum Deus sit summè perfectus, omniumque rerum perfectiones contineat?

145 QUia simplicia, in rebus corporalibus, sunt imperfecta, & partes; eò, post assertam Deo simplicitatem, de perfectione ipsius inquirimus. Conclusio est affirmativa, & Fide certa quoàd utramque partem: quoàd primam enim constat ex illo Psalm. 41. *Magnitudinis ejus non est finis*, pluribusque aliis: quoàd secundam autem, ex illo Exod. 33. *Ostendam tibi omne bonum*, id est, me ipsum, qui omnia bona contineo. Rom. 1. *In ipso sunt omnia*, & aliis innumeris. *Prob.* deinde quoàd 1. partem ratione D.Th. q. 4. a. 1. Quia Deus est primum principium efficiens, seu activum: ergo summè perfectus. Prob. conseq. Principium activum oportet esse in actu: ergo maximè activum, maximè in actu: ergo maximè perfectum; secundùm hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundùm quòd est in actu, nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundùm modum suę perfectionis; existenti autem in actu, ut sic, nihil deest; sed existenti in potentia deest id, quod in actu esse potest. *Quoàd* 2. autem prob. à D.Th. a. 2. Tum, quia in causa efficienti, effectus est nobiliori modò, quàm in se: vel formaliter, ut in causa univoca; vel eminenter, ut in æquivoca; at Deus est prima causa effectiva rerum: ergo. Tum, quia Deus est ipsum esse per se subsistens: ergo continet totam rationem essendi: ergo & perfectiones rerum omnium, quia omnes perfectiones pertinent ad perfectionem essendi.

146 Dices contra 1. rationem 2. p. maj. esse falsam; nam effectus prout in causa, nihil est, nec habet esse: ergo non est in illa nobiliori modò, quàm in se. *N. conseq.* quia major non loquitur de effectu materialiter & singulariter sumptò; sed sensus est, quòd *quidquid perfectionis est in effectu, reperitur perfectiori modò in causa efficienti*; illud enim esse quod causa efficiens habet in se ipsa, vel illud esse quod effectus ha-

habet in illa, est simpliciter perfectius, quàm esse quod effectus habet in se ipso; quanvis esse, quod effectus habet in se ipso, magis perficiat effectum, quàm esse, quòd habet in causa: quia scilicèt, effectus per esse quod habet in se, est in actu; per esse quod habet in causa, solùm est in potentia: *Sicut domus nobilius esse habet in mente artificis, quàm in materia; sed tamen verius dicitur domus, quæ est in materia, quàm quæ est in mente; quia hæc domus est in actu, illa autem domus est in potentia*, ut loquitur D.Th.inf.q.18.a.4.ad 3. Vide Cajet. & Marinis.

147 Ut autem scias, quomodò seu qualiter perfectiones rerum omnium sint in Deo; adverte, perfectionem esse in duplici differentia; alia enim est simpliciter & absolutè talis, alia autem secundùm quid, seu in determinato genere. Prima, quæ communiter dicitur *simpliciter simplex*, est, juxta Anselmum ab omnibus receptum in Prosologio, c.5. *Quæ in unaquaque re, melior est ipsa, quàm non ipsa*, id est, quę in quacumque re ponatur, sit illi perfectio, eò quòd in proprio conceptu specifico nullam explicat imperfectionem. Hujusmodi sunt, *Substantia, intellectus, voluntas, sapientia*, & id genus alia, quæ licèt secundùm modum essendi quem habent in creaturis, plures claudant imperfectiones (sapientia enim creata v.g. est habitus, seu qualitas intensibilis & remissibilis) at, secundùm suum conceptum formalem, nullam explicant imperfectionem, nam sapientia v.g. hôc modò considerata, est *Cognitio rei per altissimas causas.*

148 Perfectio verò secundùm quid simplex, est, *Quæ ex parte explicat perfectionem, & ex parte imperfectionem aliquam includit*, ut *rationale, sensitivum, &c.* includit, inquam, imperfectionem inseparabiliter. Quapropter Mag.Ferre, & siqui alii sunt, ponentes hujusmodi perfectiones in Deo formaliter eminenter, egregiè falluntur, existimantes, imperfectionem separabilem esse ab hujusmodi perfectionibus, quasi habeant aliquod prædicatum genericum explicans perfectionem, & aliud quasi specificum dicens imperfectionem: Falluntur inquam, quia hujusmodi perfectiones, in ipsa differentia specifica perfectionem important, imperfectioni admix-

mixtam, v.g. discursus, qui respectivè ad hominem, perfectio est undequaque; totò tamen genere rerum, non est perfectio sola, sed simul imperfectio; siquidem intelligere Angeli, vel Dei, propter suam perfectionem, caret discursu, qui sine imperfectione haberi non potest; unde si discursus poneretur in Deo, vel Angelis; non esset eis perfectio, sed imperfectio.

149 Tales igitur perfectiones, perfectiones quidem sunt huic, vel illi supposito, huic, vel illi naturæ; non tamen omni supposito, vel naturæ. Et per hoc differunt à perfectionibus, quas *simpliciter simplices* appellamus, quæ ubicumque enuntientur, perfectiones sunt, *meliorèsque ipsæ, quàm non ipsæ*. Unde ly, *In unaquaque re*, non intelligitur secundùm quòd est individuum hujus, vel illius naturæ, sed entis. Quapropter, *ratiocinare, latrare, ridere*, & id genus alia, perfectiones simpliciter non sunt; quia quanvis sint meliora individuo hujus, vel illius naturæ; non tamen entis, ut optimè notat Cajet. cap. 2. de ente & essentia. *Ex* his benè perpensis, constat, *perfectiones simpliciter simplices, esse in Deo formaliter eminenter; at secundùm quid tales, eminenter duntaxat*; & consequenter, posse illas absolutè & formaliter prædicari de Deo, secùs istas. *Constat* præterea, quid dicendum ad omnia quę contra hanc veritatem objici possent.

150 Inquires: An Deus & creaturæ, sint aliquid saltem extensivè perfectius, quàm solus Deus? *Resp.* negativè. Et constat ex dictis; tota enim creaturarum perfectio perfectissimè continetur in Deo. *Præterea*: Creatura, quantunvis perfecta, nihil addit supra divinam perfectionem, præter dependentiam, limitationem, & imperfectionem; at ex additione dependentiæ, limitationis, & imperfectionis, augeri nequit aut extendi divina perfectio: ergo, &c. Hinc, Aug. tract. 11. in Jo. *Si fueris* (inquit) *sine Deo, minus eris; si fueris cum Deo, major Deus non erit; non ex te ille major, sed tu sine illo minor.* Demùm: Persona Christi, quæ composita est, nè extensivè quidem perfectior est Personâ Verbi ante assumptionem humanitatis: sicut nec punctum additum lineæ, & instans æternitati, earum longitudinem, aut durationem augent, vel extendunt: ergo.

Oppo-

151 Oppones: Complexum ex Deo,& creaturis, claudit in se plures modos habendi perfectionem, quàm Deus solus, perfectioque in illo reperta,redundat in plura: ergo est extensivè perfectius: sicut plures Christi operationes meritoriæ,dicuntur extensivè magis meritoriæ,quàm una,quâvis non intensivè. *Præterea*: Complexum ex sapientia increata & creata, utriusque perfectionem includit: ergo perfectio in illo importata, & numerum facit, & ad plura se extendit,quàm perfectio solius sapientię increatæ: ergo perfectio talis complexi,est extensivè major,quàm,&c. *N. conseq.* Aliud quippè est, perfectionem magis extendi quoàd participari,vel dici; aliud, perfectionem esse extensivè majorem; primum quidem verificatur in complexo illo, non secundum: & quia opponentes, utrumque confundunt, propterea à veritate recedunt. Quis autem dicat, rationem entis aut perfectionis, Deo & creaturis analogicè communem,esse extensivè perfectiorem perfectione ipsâ divinâ,aut entitate Dei? & tamen de pluribus prædicatur illa, quàm ista. Exemplum autem adductum, non urget; unaquæque enim operatio Christi, eundem valorem meritorum habet; quare valor hic, per plures actiones diffusus, dicitur & est majus meritum extensivè: oppositum autem contingit in complexo dubii; quidquid enim perfectionis est in creaturis,absque ulla imperfectione reperitur in Deo;unde si quid addit complexum, imperfectionis est: quapropter dum extenditur ad prędicandum de creaturis, imperfectius evadit potiùs,quàm perfectius.

DISPUTATIO IV.

De Immensitate, & Æternitate Dei.

152 OMittimus hîc quęstionem de infinitate Dei, quia in libris Physicorum accurativè resolvitur. Unum tamen adverte cum Cajet. processum rationis, quâ D. Th. demonstrat, Deum esse infinitum per essentiam,

tiam, non esse hunc, ut opinatus est Scotus, *Omnis forma irreceptibilis in materia, est infinita simpliciter; Deus est perfectissima forma irreceptibilis: ergo, &c.* Sed discursus est iste: *Sicut infinitudo formæ, limitatur per receptionem in materia, sic infinitudo esse, seu existentiæ, limitatur per receptionem in essentia: ergo sicut forma irreceptibilis, retinet suam infinitudinem secundùm quid* (ex se enim est essentialiter finita & limitata, etiamsi nulli materię sit unibilis, ut patet in Angelis) *ita* esse *irreceptibile, remanet in sua infinitate simpliciter tali: ergo esse non receptum, nec receptibile* (quale est esse Dei, cùm Deus sit suum esse subsistens) *est infinitum simpliciter.* Et hinc corruunt omnia, quibus hanc rationem conantur infringere Scotus, & Vazquez. Hòc prænotatò, sit

DUBIUM I.

Utrum Deus sit in omnibus rebus, & locis?

153 PRima conclusio: Deus est intimè in omnibus rebus. Præter Scrip. testimonia, quibus expressè traditur, prob. sic: Deus operatur immediatè in omnibus rebus: ergo. Ratio est D.Th.q.8.a.1. imò Apost. Act. 17. loquens enim in Areopago de Deo, ait: *Quanvis non longè sit ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Ubi ex hoc antecedenti, *Deus operatur in nobis, dando & conservando vitam, motum, & esse,* infert, *Deum esse in unoquoque nostrum.* Et quidem à priori, quidquid dicat Molina; nam particulâ *enim,* utimur ad designandam causam, seu rationem à priori; non autem effectum, seu rationem à posteriori. Probat verò D.Th. conseq. *Oportet enim* (inquit) *omne agens conjungi ei, in quod immediatè agit,* & quidem non solâ conjunctione virtutis, sed etiam suppositi; id enim quod solâ virtute contingit passum, non immediatè, sed mediatè dicitur agere. Et hinc corruit evasio Scoti, & Vazquez. Nota autem, sensum illius principii assumpti à D.Th. videlicèt, *Esse cujuslibet rei, est proprius effectus Dei,* esse, quòd existentia, seu esse rerum, per se primò attingitur à Deo; ab agentibus ve-

verò creatis, non per ſe primò, ſed inquantùm agunt virtute & motione Dei : ideoque tribuitur Deo, tanquam proprius effectus, illis autem, tanquam effectus communis, ut explicat ipſe D.S.q.7.de potentia,a.2.

154 Secunda concluſio : Deus eſt in omnibus rebus, per *potentiam*, inquantùm ejus poteſtati ſubduntur; per *præſentiam*, inquantùm omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus; & per *eſſentiam*, inquantùm adeſt omnibus, ut cauſa eſſendi. Eſt adeò aperta, ut nullâ fuſiori explicatione egeat. Illâ confutatur triplex Antiquorum error, videndus in littera. Diſtinctionem autem horum trium modorum, inde penetrabis: Quia ſi per impoſsibile, Deus eſſet duntaxat in cœlo per eſſentiam, immediatè ibi ſolùm reſidens; ſi tamen omnia inferiora, ejus ditioni ſubderentur, eaque per Miniſtros gubernaret, eſſet in mundo per potentiam : Deinde, ſi per impoſsibile, hæc inferiora, ejus non eſſent ſubdita potentiæ, regimini, aut operationi; ſi tamen ea clarè intueretur, eſſet in omnibus per præſentiam. *Ultra* hunc triplicem generalem modum eſſendi Deum in rebus, eſt ſpecialiter in juſto, ſpecialiùs in beato, & ſpecialiſsimè in humanitate Chriſti. *Dicitur* prætereà ſpecialiter præſens in Cœlo, in Templo, in orantibus ſimul, in Conciliis in Spiritu S. congregatis, & in Summo Pontifice : & idem credendum de Superioribus legitimis, dum eos ſubditi in veritate, & animi candore, conſulunt. *Sunt* & Perſonæ Divinæ ſibi invicèm præſentes, per circuminſeſsionem, juxta illud, *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* De quibus omnibus præſentiis, ſuis reſpectivè locis, Deo dante, diſſeremus.

155 Tertia concluſio : Deus neutiquàm eſt in ſpatiis imaginariis. Prob. Spatia imaginaria nihil re verâ ſunt: ergo Deus nec operatur, nec eſt in eis. *Stultum* enim *eſt dicere, Deum eſſe in eo, quod nihil eſt*, ut ait D.Bonav. in 1.d.27.q.2. a.3. *Præterea* : Deus, ante mundi creationem, non erat in ſpatiis imaginariis: ergo nec modò, cùm eadem ſit ratio pro tunc, ac pro nunc. Ant. eſt communis PP. ſent. & omnium antiquorum vox, expreſſa in illis verſibus à B. Alb. Mag. in Comp. Theol. notatis: *Dic ubi tunc eſſet, cùm præter eum nihil eſ-*

esset. Tunc ubi nunc, in se, quoniam sibi sufficit ipse. Hinc inferes, Deum non esse in creaturis absolutè futuris, per potentiam,& essentiam; benè tamen per præsentiam: quia hîc & nunc jam sunt Deo præsentia in æternitate, & per scientiam visionis attinguntur ab eo, ut infrà dicetur à n.322.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

156 Argumenta contra rationem primæ concluſ. solventur in Tract. de Angelis, à num.838. Contra secundam autem, nihil occurrit quod difficultatem ingerat. Opp.ergo primò contra tertiam, Scripturas & PP. asserentes, Deum esse supra Cœlos,& extra mundum:ergo. *Resp.*sensum esse, *Deum, ejusque virtutem atque potentiam, supra Cœlos elevari, ac posse producere quidquid velit, supra Cœlos, infra abyssos, & ultra quoscumque terminos in rebus ab ipso statutos*;quod firmiter credimus. Dicitur etiam *supra Cœlos esse*,quatenùs in Cœlis est, non tanquam quid contentum in illis, sed tanquam qui continet illos.

157 Opp. 2. D.Th. quodlib.11. a.1. ubi ait: *Deus autem non solùm est in his quæ sunt, sed etiam in imaginatis, & præteritis, & futuris.* Et in 1.ad Anibal.d.37.q.2.a.2.dicentem: *Hoc adverbium* ubique,*refertur ad omnem imaginabilem locum ::: illud* enim *dicitur propriè esse ubique, absque quo,nullus locus imaginari potest*: ergo. *Resp.* D. Th. docere duntaxat, Deum esse in locis imaginariis ex suppositione quòd loca ista ponantur esse; hoc enim sufficit, ut de Deo verificetur, *esse ubique primò & per se*, ut ex contextu evidenter habetur, quippè in loco primò objecto,a.4.ait: *Per se igitur convenit alicui ubique esse, quando tale est, quod, quâlibet suppositione factâ,sequitur illud esse ubique*: *Et hoc propriè convenit Deo, quia quæcumque loca ponantur, etiamsi ponerentur infinita, præter ista quæ sunt; oporteret in omnibus esse Deum, quia nihil potest esse nisi per ipsum*; articulum autem adductum ex 1.ad Anibal. ita concludit: *Nec est possibile imaginari locum aliquem,ubi ipse non esset,illô locô positô; unde sibi verissimè & propriissimè competit esse ubique.* Et sanè de mente S.D. nullus dubitare potest,qui legerit ipsum in 1.d.37.q.2.a.3.sic probantem conclusionem nostram: *In nihilo nihil est; sed spatia ima-*

imaginaria nihil sunt : ergo Deus non est in illis. Quod & alibi sæpè docet.

158 Opp. 3. Deus est præsens rebus per aliquid sibi intrinsecũ, & coæternum: ergo est præsens rebus antequàm ipsæ existant ; sed antequam existant, sunt purum nihil, non minus quàm spatia imaginaria, futuritio quippè nihil intrinsecum est in rebus: ergo. *Dist. ant.* Per aliquid sibi intrinsecum, si consideretur secundùm rectum, C. secundùm rectum, & obliquum, N. Præsentia enim Dei in rebus per immensitatem, dicit de connotato res ipsas in se existentes; quia Deum esse ubique, importat quandam relationem Dei ad creaturas, fundatam super aliquam operationem, per quam Deus in rebus dicitur esse. Omnis autem talis relatio, non dicitur de Deo, nisi in tempore, sicut *Dominus*, & *Creator*. Sic D. Th. infrà q. 13. a. 1. & alibi. Deus igitur non est præsens rebus per immensitatem ab æterno ; nec modò, rebus non existentibus, sive futurę sint, sive posibiles.

159 Opp. 4. Immensitas, cùm sit attributum Dei, ab æterno illi convenit, & æternitate mensuratur : ergo & esse in omni loco tanquam quid superexcedens ; in hoc enim consistit formaliter immensitas : ergo & loca illa, in ordine ad quæ dicitur immensitas, æternitate mensurantur : quemadmodùm futura, æternitate mensurantur, eò quòd scientia Dei, illorum intuitiva, mensuratur illâ: ergo immensitas Dei replet jam de facto loca futura, vel quæ repletura est, tametsi non sint. *Resp.* immensitatem, quatenùs attributum Dei est, & quoàd prædicata essentialia, æternitate adæquatâ mensurari; in quolibet enim æternitatis signo verificatur, immensitatem esse ; secùs si sumatur prout de facto replet locum: sicut Omnipotentia, quatenùs est virtus potens ad extra producere; toti æternitati correspondet; non autem si consideretur ut de facto producens res ad extra : aliàs ab æterno illas produceret; quod est hæreticũ. Igitur absolutè loquẽdo, immensitas non replet hîc & nunc loca futura; Deus tamen illa ab æterno intuetur, ut repleta suâ immensitate, pro illa temporis differentia, quâ de facto replebuntur illâ.

160 Opp. ult. Quia ex nostra conclusione sequitur, quòd

quòd si Deus produceret novum mundum, mutaretur accedendo ad illum: vel si duos orbes distantes produceret, à se ipso divideretur, sicut & illi orbes: vel si lapis moveretur per illa inania, Deus cum illo moveretur per accidens; quæ omnia inconvenientia sunt. *Postremò* sequeretur, Deum de facto non esse ubi de facto est Corpus Christi glorioſum, quod quidem ita est super omnes Cælos, ut pedes ejus supra convexum Empyrei stare dicantur, ac proinde reliquum corporis, est in spatiis imaginariis: ergo.

181 *N. assumpt.* Non enim mutaretur Deus si novum mundum produceret: sicut non fuit mutatus producendo mundum in tempore, immotus enim omnia movet. Nec à se ipso separaretur, si orbes divisos crearet; quia Deus non est in loco quantitativè, nec ab eo contentus, definitus, vel circunscriptus; sed potiùs continet locum, *& portat omnia verbô virtutis suæ.* Sanè si Corpus Christi, tametsi in diversis ac disitis altaribus sit, à se ipso non distinguitur, quia non est in eis modô locali: multò minùs Deus in discretis orbibus à se ipso secaretur. Nec moveretur ad motum lapidis (datô quod sit possibilis motus localis ubi nullus est locus) sicut nec de facto movetur, quando corpora, in quibus est, moventur. Oportet igitur imaginationem transcendere, dum de spiritualibus agimus. *Nec ult.* inconveniens sequitur, quia Corpus Christi D. non est in spatiis imaginariis, ut expresè docet D. Th. in 3. d. 28. q. 3. a. 3. qa. 1. ad 1. *Dicendum* (inquit) *quòd non dicitur ascendisse super Cælos, quia extra Cælum Empyreum sit; sed quia in altissimam partem Cæli Empyrei ascendit.* Nec oppositum docet alibi, præsertim 3. p. q. 57. a. 4. ad 2. ibi enim non loquitur de Cælo Empyreo, Beatorum sede; sed de Cælo cognito ab Aristotele ut primô, quod est primum mobile, de quo optimè dicit S. Doct. quòd, quia non influit in Corpus Christi glorioſum, non opus est, quòd istud contineatur sub illo, tanquam locatum sub eo: illud autem Arist. 2. de Cælo, *Quòd extra Cælum non est corpus*, ait, intelligendum esse *de corporibus in solis naturalibus constitutis.*

DU-

DUBIUM II.

Quid sit æternitas, an soli Deo competat, & in quo ab ævo, & tempore differat?

162 SUpponimus, Deum esse omninò immutabilem; quod, ultra Scripturarum attestationem, convincitur à D.Th. hìc, q.9. a.1. ex ratione actûs puri, simplicitate, & infinitate ipsius: Ut enim aliquid mutetur, requiritur, vel ut perdat aliquid quod habet, vel acquirat quod non habet; at ratio actûs, puri omnem excludit potentialitatem, & consequenter privationem: simplicitas autem Dei, non permittit quòd aliquid ei dematur, cùm sit indivisibilis, nec quòd ei aliquid adjiciatur, aliàs faceret cũ eo compositionem: hoc etiam non patitur infinitas, comprehendens in se omnem plenitudinem perfectionis totius esse: ergo Deus est omninò immutabilis. Quòd si nonnumquam dicitur in Scripturis, Deum *pœnitere*, *dolère*, & *retractare sententiam*; accipiendum est, juxta PP. per ordinem ad effectus, quando scilicet, illos producit, quos à nobis extorquêre solet pœnitudo, dolor, & retractatio: Unde Aug. Deum alloquens, ait, *Amas, nec æstuas; zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles; opera mutas, non mutas consilium.* Quandoque etiam dicitur *moveri*, quatenùs se creaturis aliquò speciali modò communicat: vel quatenùs aliquem effectum sensibilem, vel inusitatum producit. *Movetur* (inquit Chrisol. ser. 3.) *misericordia Deus, qui locò dimoveri non potest, accurrit, non progressu corporis, sed pietatis affectu.*

163 Econtra, omnis creatura *mutationi subjecta est*, quia potentialis, composita, finita, ac imperfecta est, cui semper aliquid potest vel addi, vel auferri. Sed homo præ cæteris creaturis, maximè mutabilis est, & ut lepidè quidam ait: *Totus sphæricus & volubilis est*; mutabilis ex natura, sed longè mutabilior ex peccato; ideoque dicitur Tren. 1. *Peccatum peccavit Jerusalem, & ideò instabilis facta est.* Unde meritò comparatur homo Pavoni, cujus pluma (inquit Tert.) *vestis*

mul-

multicolor, discolor, & versicolor, nunquam ipsa, sed semper alia; etsi semper ipsa, quando alia: toties denique mutanda, quoties movenda. Hôc suppositô, sit

164 Prima conclus. *Æternitas* est, *Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Sic, post Boëtium, universi Theologi. Et bonitas diffinitionis inde constat, quia æternitati tribuit quidquid perfectionis est in tempore, uniformitatem scilicèt in mensurando, per illa verba, *Perfecta possessio vitæ*; removet deinde quidquid imperfectionis est in illo, nimirùm, successionem partium, per ly *tota simul*, & terminationem (ratione cujus habet tempus principium & finem) per ly *interminabilis*, id est, principiô & fine carens. Cùm igitur in cognitionem æternitatis, oporteat nos venire per tempus, sicut in cognitionem simplicium, per composita; recta erit diffinitio. *Ex dict.* infertur primò, æternitatem esse durationem; duratio enim est perfectio, intrinsecè, & essentialiter conveniens tempori: ergo & æternitati. Profectò, duratio nihil est aliud, quàm permanentia rei in suo esse; constat autem, Deum in suo esse permanere ratione æternitatis, sicut creaturæ ratione temporis: quapropter D. Th. in 1. d. 19. q. 2. a. 1. loquens de æternitate, ævo, & tempore, ait, *hæc tria nomina significare durationem.*

165 Nec obstat, quòd Boëtius non posuerit *durationem*, sed *possessionem*, in diffinitione; quippè respexit ad durationis etymologiam, derivatur enim à successione, & distensione partium; impositum tamen est durationis nomen, ad significandum permanentiam rei in suo esse; unde in conceptu durationis ut sic, nulla importatur successio, sicut nec imperfectio in conceptu substantiæ; licèt enim nomen substantiæ, à substando accidentibus derivetur, significat tamen rem per se subsistentem; ideoque Deo tribuitur, ut communiter docetur ex Aug. 7. de Trin. c. 5. *Infertur* 2. æternitatem esse intrinsecam & realem mensuram divini esse; ratio enim mensuræ, nullam dicit imperfectionem. Sicubi autem, oppositum insinuat D. Th. intendit solùm, excludere mensuram realiter à Deo distinctam.

166 Secunda conclus. Solus Deus est verè, & propriè æter-

æternus. Æternitas enim consequitur immutabilitatem, sicut tempus motum; at solus Deus est omninò immutabilis: ergo. Quòd si interdùm Scriptura Deo tribuit aliquas temporum differentias; ideo est, ut insinuet, durationem Dei, omnibus temporibus correspondere. Dicitur etiam, *antiquum dierum*, quia ratione æternitatis, omne tempus antecessit. Æternitas nihilominùs quadrifariàm participatur à creaturis, secundùm quatuor gradus immutabilitatis quam ab illo mutuantur, quorum primus est, secundùm diuturnitatè: & in hoc sunt corruptibilia, sed longæva valdè, ut montes, & colles. Secundus est, secundùm perpetuitatem respectu totius; & in hoc sunt elementa corruptibilia secundùm partes, & non secundùm totum. Tertius est, secundùm incorruptibilitatem substantialem simpliciter; & in hoc sunt corpora cœlestia & Angeli. Quartus est, secundùm immutabilitatem operationis ejusdem; & in hoc sunt Beati ratione visionis, quæ propterea dicitur *vita æterna* Joan. 17.

167 Tertia concl. Ævum differt à tempore, & æternitate, sicut medium existens inter illa. Pro cujus penetratione, adverte, nomine *ævi*, intelligi solùm mensuram durationis rerum incorruptibilium; nomine autem *temporis*, mensuram rerum sublunarium. *Scito* prætereà, æternitatem, ævum, & tempus, esse durationes essentialiter distinctas per hoc, quòd æternitas mensurat, omninò & totaliter immutabile, scilicèt, Deum O.M. ævum autem, immutabilia quoàd substantiam, mutabilia tamen quoàd operationes, seu motum, quæ vocantur *æviterna*, cujusmodi sunt Angeli, & cæli: tempus denique mensurat mutabilia quoàd substantiam, & quoàd operationes & motus, quæ vocantur *temporalia*; & id genus sunt omnia sublunaria. Et ratio est: quia sicut æternitas oritur ex omnimoda immutabilitate Dei; ita ævũ & tempus prodeunt ex tali, vel tali gradu immutabilitatis: ergo hujusmodi durationes essentialiter distinguuntur per immutabilitatem omnimodam, & per majorem vel minorem recessum ab ipsa. Quòd autem ævum habeat principium, & non finem, tempus verò utrumque, & æternitas neutrum; est differentia merè accidentalis: quia quanvis æviter-

terna & temporalia, semper, seu ab æterno, fuissent, ac semper futura in æternum essent; differrent adhuc inter se æternitas, ævum, & tempus. Vide D.Th.q.10.a.5.

168 Inquires 1. Utrum sit unum ævum tantùm? *Resp.* affirmativè. Quod quidem unicum ævum in supremo æviterno subjectatur, respectu cujus se habet, non solùm ut mensura, sed respicit illud etiam ut subjectum, alia autem æviterna, solùm ut mensura extrinseca. Sic D.Th.a.6. à quo minimè recedunt Capreolus, Cajet. Ferrarien. aliique Thomistę, plura æva admittentes; verum enim sustinent, impropriè loquendo: At, si propriè loquamur, unum est ęvum, sicut unum est tempus; & sic loquitur D.Th.

Inquires 2. Quâ durationè mensurentur visio beatifica, & unio hypostatica? *Resp.* mensurari ipsâmet essentiali æternitate divinâ; hoc tamen non habent essentialiter & primariò, sed tantùm participativè & secundariò. Sic D.Th. in 4.d.49.q.1.a.2.qa.3.& prob. Sunt quippè ordinis divini: ergo mensurari debent per primam & perfectissimam durationē talis ordinis, quę est ipsamet ęternitas essentialis Dei.

169 Dices: Ergo gratia, charitas, & reliqua charismata, mensurantur æternitate participatâ. *Dist.* conseq. In Patria, C. in via, N. Hic enim, per accidens & ratione statûs, mensurantur tempore: sicut eô mensuratur anima nostra, quæ extra viam posita, ævô mensurabitur, quô ex natura sua exigit mensurari. Itaque omnia supernaturalia exigunt, per se & ex natura sua, mensurari æternitate participatâ, ly *participatâ* non cadente supra mensuram, sed supra rem mensuratam. *Nota* in fine, quòd cùm rerum essentiæ, quæ dicuntur esse ab æterno, & veritates quæ dicuntur ęternæ, nihil reapsè sint extra Deum ab ęterno; mensurari non possunt æternitate in se ipsis: æternitas enim, cùm duratio sit, non mensurat nisi quod existit, & durat: proùt tamen in Deo sunt (vel tanquàm objectum divini intellectûs, vel tanquàm in Omnipotentia contentæ ut possibiles) æternitate mediatè mensurantur, quatenùs scilicèt, cognitio divina illas attingens, & Omnipotentia illas continens, ęternitate immediatè mensurantur.

TRA-

TRACTATUS II.

DE VISIONE DEI.

POST considerationem divinæ Naturę proùt est in se, procedit Ang. Doct. ad considerandam illā proùt est in cognitione nostra; in cognitione, inquam, illa ineffabili, quam *visionem beatificam* vocant Theologi, quâ sese Deus, revelatâ facie, in apertum prodit. De hac igitur fortunata Sanctorum Scientia, tria præcipuè cum S. Doct. meditabimur, quibus totam hanc faustissimam materiam complectemur, nimirùm, Visionis beatę posibilitatem, principia, & objectum. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De posibilitate Visionis beatificæ.

DUBIUM I.

Utrum intellectus creatus posit Deum videre per essentiam?

170 CONcl. est affirmativa, & Fide certa ex 1. Jo. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* 1. Cor. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem, facie ad faciem.* Ex diffinitione insuper CC. Remensis, Later. IV. & Florent. adversus Abaylardum, Almeri-

cum,& Armenos,asserentes,creaturam non posse ad claram Dei visionem pervenire, sed quôdam illius fulgore beari: quod etiam tenuerunt aliqui,quorum meminit M. Greg.18. Mor.cap.18. Accedit PP. consensus; nullus enim,nè Chrysost.quidem,ab ea recedit, quidquid immeritò conetur Vazquez; sæpè etenim S.D. inculcat, *Beatos, Regem ipsum*, scilicèt Deum,*contueri, non per introitum, non per ænigma,non per speculum; sed facie ad faciem: non amplius per fidem,sed per speciem.* Sic habet epist. ad Theodorum lapsum,ho.3. in epist. ad Philip.& ho.69.ad Populum; quô nihil clarius aut apertius pro conclusione catholica afferri potest.

171 Prob. deinde triplici ratione D. Th. Prima est: Creatura rationalis, cùm non sit deterioris conditionis reliquis,pervenire potest ad beatitudinem suam,id est,ad quam ordinata est; at hæc consistit,vel essentialiter,vel saltèm præsuppositivè, in visione Dei; ista enim est perfectissima illius operatio, quâ cum suo primo principio & ultimo fine perfectissimè conjungitur: ergo. *Secunda*: Talis visio, nec repugnat ex parte Dei, cùm sit maximè visibilis, utpote actus purus; nec ex parte intellectûs creati, cùm Deus contineatur intra sphæram objecti illius, ut dicetur dub.seq. ergo. *Tertia*:Quia aliàs remaneret inane naturale desiderium intellectûs creati videndi Deum,visis ejus effectibus: ergo. Hanc rationem innuit Aug.l.4.cont.Julian.c,3.dicens:*Naturali instinctu beati esse non vellemus,nisi esse possemus.* Sed de illa latiùs in tract. de Beat. Sufficiat pro nunc insinuare, D.Th. non loqui in ea de appetitu innato, sed de naturali elicito inefficaci, sive absoluto, sive conditionato; quod profectò sufficit ad congruentiam rationis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

172 Opp.1. Gen.32. dixit Jacob, *Vidi Deum facie ad faciem*; quin propterea Deum intuitivè viderit: ergo neque ex loco Apost. infertur conclusio. *Præterea*: Deus ab ipso Paulo dicitur *invisibilis,à nullo hominum videri posse, & habitare lucem inaccessibilem*: ergo. Resp. Paulum loqui de visione faciali Dei in se ipso,illam enim contraponit ænigmaticæ,& per speculum habitæ in via; & hæc insuper est commu-

munis PP. interpretatio : Jacob autem loquitur de visione Dei sub specie illius Angeli cum quo luctubatur, ut apertè habetur ex contextu. Nec ampliùs innuunt alia Scripturæ loca, objici solita. *Quando* autem Deus dicitur *invisibilis*, & *à nullo hominum videri posse*, intelligitur, vel de visione corporea : vel de intellectuali per vires naturæ habita : vel de comprehensiva: vel demùm, de visione in statu viæ juxta legem ordinariam. Prima expositio est Aug. & Cyrilli Hierosol. secunda Origenis, Amb. & Greg.M. tertia Nysseni, quarta Athanasii, Aug. & Greg. Quibus facilè solves quæcumque ex Scrip. opponunt hæretici : attende tamen, ut cuilibet testimonio objecto, eam, vel eas expositiones ex prælaudatis adaptes, quam, vel quas, conformiores contextui judicaveris.

173 Deus autem dicitur *inaccessibilis nostris viribus, acceditur tamen ad illum suis muneribus*, ut egregiè dicit Anselmus; quapropter verè dicitur *inaccessibilis*: sicut diceretur inaccessibilis Civitas, ad quam nullus, nisi ipsâ vulente & juvante, accedere posset. *Dices*: Ex quo Jerem. 32. dicitur, Deum esse *incomprehensibilem*, asserimus, nullô modô à nobis comprehendi posse : ergo ex quo dicatur invisibilis, inferri debet, neutiquàm posse videri. *N. conseq.* Quia ita dicitur incomprehensibilis, ut nunquàm comprehensibilis dicatur; at licèt dicatur invisibilis, sæpè tamen asseritur visibilis : nè igitur dicatur, Scripturas Scripturis esse contrarias, aliquâ ex prædictis expositionibus opus est. *Insistes*: Quando Scriptura aliquid alicubi negat Deo, quòd alibi tribuit illi; negatio propriè & rigorosè accipienda est, affirmatio verò, impropriè, & metaphoricè ; v.g. Illud Gen. 6. *Pœnitet enim me fecisse hominem*, intelligitur metaphoricè, eò quòd 1. Reg. 16. dicitur, *Et pœnitudine non flectetur*. *Resp.* ant. esse verum quando in Scriptura aliquid eôdem prorsùs modô negatur, quô affirmatur, ut contingit in exemplo objecto ; falsum verò, si diversimodè affirmetur, & negetur, ut cõtingit in proposito: Absolutè enim asseritur visionis possibilitas, non tamen absolutè negatur, sed tantùm sub aliquo modo, ut patet ex illo Exod. 13. *Non enim videbit me homo, & vi-*

vivet, quô sensu accipienda sunt alia similia. Hôc igitur modô, servatâ proportione, interpretanda sunt PP. testimonia, si quæ conclusioni catholicæ videantur adversa.

174 Opp. 2. Chrysost. hom. 14. in Joan. ubi ait, *Id quod est Deus, non modò Prophetæ non viderunt, sed nec Angeli, nec Archangeli, &c.* Respondet D. Th. Chrysostomum negare duntaxàt cognitionem comprehensivam Dei, quam sibi arrogabant Eunomius, & Anomæi, contra quos disputabat. *Sed instat* Vazquez: Tum, quia incredibile est, hæreticos illos adeò insaniisse: Tum, quia in eâdem hom. ait Chrysost. *Deus ante Incarnationem, fuit Angelis invisibilis; per Incarnationem autem, factus fuit visibilis*: ergo eandem cognitionem, quàm negat Angelis de substantia Dei ante Incarnationem, concedit illis post Incarnationem; at post Incarnationem, non concedit comprehensivam: ergo non istam, sed intuitivam, negabat illis ante Verbi Incarnationem. *Ad* 1. resp. præfatos hæreticos ad illam insaniam re ipsâ devenisse, ut apertissimè attestantur Chrysost. ipse hom. 1. contra Anomæos, ubi eos passim *stolidos* & *amentes* appellat, Basil. ep. 37. ad ipsum Eunomium, Theod. lib. 4. hæret. fab. c. 3. Hieronym. in cap. 11. Matth. Socrates l. 1. hist. c. 7. de quo vide Baron. ad ann. 366. Mirum sanè, incredibilem visam fuisse hujusmodi insaniam viro erudito, quem latêre non poterat illa Manichæi, & Montani, fingentium, se esse Spiritum S. idque portentum credidisse Tertullianum de Montano, & id genus deliramenta plurima, in quæ hæreticos reapsè incidisse, tradiderunt Viri gravissimi. *Ad* 2. resp. Chrysost. concedere Angelis, post Verbi Incarnationem, cognitionem aliqualiter comprehensivam Dei; non quidem secundùm propriam substantiam, sed secundùm carnem à Verbo assumptam; ante Incarnationem autem, omnem planè cognitionem comprehensivam illis negavit.

175 Opp. 3. Visionem intuitivam Dei fore infinitam, quia cognitio crescit ad incrementum perfectionis objecti. *Resp.* cognitionem crescere geometricè, sed non arithmeticè, ad incrementum perfectionis objecti; aliàs cognitio abstractiva Dei, & amor illius, haurirent ab illo infinita-

tatem: Sola ergo cognitio attingens infinitum infinitô modô, evadit infinita. *Instabis* 1. Omnia possibilia collectivè sumpta, cognosci non possunt quidditativè, quin cognoscantur modô infinitô : ergo nec Deus videri potest prout est in se, quin attingatur adęquatô, & infinitô modô. *Præterea*: Visio intuitiva Dei, quanvis solùm foret quidditativa, esset perfectior cognitione omnium possibilium extra Verbum; at hæc est infinita: ergo & illa ; cognitio enim finita, infinitam superare nequit. *Ad* 1.N.ant. talis enim cognitio possibilium, est finita, ut infrà ostendemus à n. 253. Admissô tamen oppositô,

R.disp. esse, quia implicat, cognosci quidditativè omnia possibilia, quin omnes modi intra illa contenti cognoscantur; quod est possibilia comprehendi: Deus autè potest cognosci quidditativè, quin cognoscatur quoàd omnia virtualiter & eminenter in ipso contenta, ac proinde, quin comprehendatur. *Ad* 2.N.cons. Cognitio quippè finita, potest excedere infinitam, si versentur erga diversa : sicut quantitas infinita, excederetur, juxta Philosophos, à substantia finitâ: & quilibet habitus supernaturalis, à minima substantia naturali superatur, juxta plures Theologos. Cognitio etiam, quâ Angelus videt Deum, tametsi merè quidditativa, præstat simpliciter cognitioni, quâ formicam comprehendit. *Hinc* patet, actum finitum, versatum erga objectum infinitum, posse excedere infinitos actus, infra se possibiles erga objecta finita: quemadmodùm Angelus, absque infinitate, excedit in perfectione essentiali formicam, & infinitas species materiales, quę Angelum inter, & formicam, intercedere possunt.

176 Opp. 4. Plùs distat Deus ab intellectu creato, quàm Angelus à visu corporeo; at iste elevari non potest ad videndum Angelum, ut ostendemus n.184.ergo. *Respondet* D.Th.in 4.d.49.q.3.a.1. ad 7. plùs quidèm distare entitativè; secùs proportionaliter, & in genere objecti : cùm enim Deus sit ens, continetur intra sphęram objecti intellectûs creati; Angelus autem, cùm non sit materialis, intra latitudinem objecti visûs, comprehendi non potest. Et sanè arg. si quid probat, convincit, nè abstractivè quidem,

dem, posse Deum à creatura cognosci.

Dices cum Herice: Proportio, seu habitudo potentiæ ad objectum, vel est ipsa entitas potentiæ, vel fundatur in illa: ergo quæ plùs distant entitativè, plùs distant proportionaliter. *Dist. ant.* Fundatur in illa, quatenùs dicit cum objecto convenientiam, per modum attingentis & attingibilis, C. quatenùs disconvenit cum illo, penès aliàs rationes, N. Deus enim, sub expresione veri, seu intelligibilis, convenit & proportionatur cum intellectu creato, sub expresione potentiæ intellectivæ; tametsi nullatenùs proportionetur, sub conceptibus entis infiniti, & finiti.

DUBIUM II.

Utrum Deus, ut clarè visibilis, contineatur sub objecto specificativo intellectus nostri?

SUpp. quasdam entis expresiones, exercitè sumptas, non contineri sub objecto specificativo, imò nec extensivo intellectûs nostri: cujusmodi sunt, *Deus, ut comprehensibilis, & ens materiale, quà tale*; quia intellectus noster neutiquàm potest Deum comprehendere, nec ens materiale, ut tale, cognoscere.

177 Concl. Deus sub expresione *visibilis*, exercitè sumpta, non continetur sub objecto specificativo intellectûs humani, sed sub extensivo dumtaxàt. Sic Magist. Joan. à S. Th. Ferre, Bolivar, Il. Montalvan, Escuder in M.S. & alii, contra Il. Godoy, Gonet, alioque. Et prob. quoàd 1. part. Omne contentum sub objecto specificativo cujuscumque potentię, potest ab illa naturaliter attingi; at Deus sub expresione visibilis, exercitè sumpta, non potest naturaliter attingi ab intellectu humano: ergo. Prob. maj. Quia objectum, ideò specificativum potentiæ dicitur, quia huic dat speciem, seu illam constituit in esse; & consequenter potentia illud naturaliter exigit, ad illud naturaliter inclinatur, & transcendentaliter refertur; sed hæc omnia apertè convincunt, posse ab illa naturaliter attingi: ergo.

Di-

Dices 1. majorem esse veram de objecto specificativo proportionato ; Deum autem,ut clarè visibilem , contineri sub improportionato tantùm intellectûs nostri. *Sed cont.*est: Tum, quia nihil potest esse magis proportionatum potentiæ, quàm versari erga suum objectum specificativum,à quo speciem & omnem perfectionem haurit:ergo idem est objectum specificativum,& proportionatum : Tum , quia nulla potentia,nullave res,habere potest pro objecto specificativo intrinseco, aut extrinseco,rem sibi indebitam & improportionatam, nt ex terminis patet: ergo objectum specificativum,non dividitur in proportionatum , & improportionatum.

178 Dices 2.Deum, ut clarè visibilem , non contineri sub objecto specificativo intellectûs humani, secundùm ultimam hujus differentiam , sed præcisè secundùm rationem sibi & intellectui Angelico communem;quare non oportet, quòd ab illo possit naturaliter attingi. *Sed contra* est: Primò,quia Deus,ut clarè visibilis,tàm supernaturale objectum est intellectui Angelico, quàm humano; uterque enim indiget elevatione ad videndum Deum : ergo quoàd hoc , nihil prorsùs differt inter utrumque: ergo si Deus,ut clarè visibilis, non continetur sub objecto specificativo intellectûs humani, secundùm ultimam hujus differentiam , nec continetur sub objecto illius , proùt convenit cum Angelico. *Secundò* : Quod non continetur sub objecto specificativo potentiæ, secundùm ultimam hujus differentiam,absolutè non continetur sub objecto specificativo potentiæ: ergo. Prob. ant. Quia sonus,v.g.non continetur sub objecto specificativo visûs,secundùm ultimam hujus differentiam, absolutè & verè non continetur sub illo,tametsi contineatur,secundùm aliquam rationem,visui & auditui communem,scilicèt,sensûs externi; sonus quippè est verè sensibile quoddam externum : ergo,&c.

179 Secunda autem pars conclusionis constat ex dictis: Deus enim de facto videtur ab intellectu beati: ergo,ut clarè visibilis , continetur sub objecto adæquato illius ; non specificativo : ergo extensivo. *Præterea* : Objectum extensi-

sivum potentiæ, non est novum aut distinctum objectum à specificativo, sed est quædam hujus extensio, per quam non explicat munus specificandi; at Deus, ut clarè visibilis, ita se habet ad intellectum humanum, quandoquidèm absolutè continetur sub objecto specificativo illius, non tamen explicat hujusmodi munus, sub expresione visibilis: ergo, &c. Maj. constat, quia potentia obedientialis, quæ terminatur ad objectum extensivum, non est nova aut distincta à naturali, terminatâ ad objectum specificativum; sed est nova illius expresio, ut est certum, & patet in ipso intellectu: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

180 Opp. 1. Nulla potentia ferri valet extra suum objectum specificativum, ut patet inductivè: quapropter nec visus sonum, nec auditus colorem attingere valet, & sic de aliis; at intellectus humanus potest videre Deum: ergo. *Dist. maj.* Absolutè, & veluti entitativè sumptum, C. sub aliqua forma, seu expresione nova, N. Et concess. min. N. conseq. Itaque potentia nullum objectum valet attingere, si absolutè & entitativè sumptum, non contineatur sub objecto illius specificativo; potest tamen attingere expresionem, formalitatem, aut reduplicationem, factam in objecto aliàs suo, tametsi talis formalitas contenta non sit formaliter sub ratione, à qua specificatur potentia. Quanvis ergo expresio *visibilis* in Deo, non contineatur sub objecto specificativo intellectûs creati; potest nihilominùs iste illam exercitè sumptam attingere, & intuitivè videre, quia scilicèt, Deus, absolutè & entitativè consideratus, cùm sit ens, continetur reapsè sub objecto specificativo illius. Hinc, visus elevari nequit ad sonum percipiendum, quia sonus, absolutè & entitativè consideratus, est omninò extra sphæram objecti illius, cùm non sit coloratus.

181 Opp. 2. Deus, ut clarè visibilis, continetur sub objecto specificativo intellectûs Angelici: ergo & humani, saltèm proùt iste cum illo convenit. Prob. ant. quia aliàs, intellectus angelicus, & humanus, essent ejusdem speciei, haberent quippè idem objectum specificativum, videlicèt, ens virtute naturali attingibile; consequens autem est falsum,

sunt

sunt etenim proprietates naturarum specie distinctarum: ergo. *Resp.* 1. Neg.conseq. quia specificativum potentiæ, est illud, quod specificat illam, secundùm rationem specialem,& in specie athoma cõstituit, ut patet inductivè. *Deinde*, N. ant. Ad prob.vel dicatur, præfatos intellectus specie distingui in ratione proprietatum, quanvis non in ratione potentiarum: vel, distingui etiam in ratione potentiarum, quia objectum illarum, quanvis materialiter idem, est formaliter diversum, quia diversimodè attingibile, nimirùm, independenter, & dependenter à phantasmatibus.

182 Opp. 3. Objectum specificativum intellectûs humani, est ens in tota sua latitudine, seu ratio communissima entis,sub qua continetur Deus,ut visibilis:ergo. *Præt.* Ipsa Dei visibilitas, est quidam modus seu expressio entis: ergo. *Dist.ant.* Attingibile naturaliter, seu potens terminare ordinem transcendentalem intellectûs ad se, C. attingibile per potentiam obedientialem, & non potens terminare ordinem transcendentalem, N. *Ad* 2.dist. etiam ant. Est quidam modus seu expressio entis, pertinens ad ordinem supernaturalem, C. naturalem, N. Patet ex dictis. Et argumentum probat, Deum, *ut comprehensibilem*, contineri sub objecto specificativo intellectûs nostri; in quo evidenter instatur.

183 Opp. ult. Nulla extensio fieri potest ultra objetum specificativum potentiæ, aliàs Deus,*ut comprehensibilis*, contineri posset sub objecto extensivo intellectûs creati, & iste posset bonum, ut bonum, attingere; possent & aliæ potentiæ extra sua objecta specificativa extendi; quod est inconveniens. *Dist.ant.* Nulla extensio novi objecti,C. expressionis,seu modi,objecti jam cõtenti sub specificativo,N. Quapropter intellectus neutiquàm extendi potest ad bonum, ut bonum; benè verò ad expressionem, quæ aliunde non afferat repugnantiam, quam secum fert Deus, ut comprehensibilis, respectu intellectûs creati; exigit enim infinitatem in potentia: Potentiæ autem irrationales, ob suam imperfectionem,elevari,aut extendi non possunt ad expressionem, non contentam sub objecto specificativo earum:

ideo-

ideoque non gaudent potentiâ obedientiali, quâ gaudent intellectus & voluntas, ob suam perfectionem.

DUBIUM III.

Utrum Deus videri possit oculo corporeo?

184 CONclusio est negativa, & communis, contra Antromorphitas, & Vadianos, asserentes, Deum esse corporeum, & consequenter visibilem oculis corporeis; est etiam contra nonnullos Catholicos, Deum quidem credentes spiritum, sed volentes nihilominùs, videri posse oculô carnis, de potentia absoluta. Prob. autem. Tum, quia nulla potentia sensitiva potest se extendere ultra corporalia, cùm sit actus organi corporei, & actus proportionari debeat ei, cujus est actus. Tum, quia Deus, cùm sit immaterialis & incorporeus, est extra sphæram objecti adæquati cujuslibet potentiæ sensitivæ: ergo repugnat planè, hanc elevari ad illum, aliudve spirituale percipiendum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

185 Opp. 1. illud Job 19. *In carne mea videbo Deum, &c.* & cap. 42. *Nunc oculus meus videt te.* Præt. Deus videri potest visione imaginariâ, ut constat ex Scripturis: ergo & sensibili. *Demùm*: Aug. 22. de Civit. cap. 29. innuere videtur, oculos corporeos elevandos esse in Patria ad videndum incorporalia: ergo. *Ad* 1. respondet D. Th. non esse intelligendum de visione corporea, seu per carnem; sed de intellectuali, in carne habendâ post resurrectionem: *Non enim dicit, per carnem meam; quod tamen si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur*, ut loquitur Aug. locô mòx objectô. In alio etiam testimonio, sermo est de oculo mentis, juxta illud Ephes. 1. *Illuminatos oculos cordis vestri.* Unde utrobique arguitur à superiori ad inferius affirmativè, ut consideranti patebit. *Ad* 2. resp. S.D. visione imaginariâ non videri Dei essentiam, sed formam quandam in imaginatione formatam, repræsentantem Deum, secundùm aliquem modum similitudinis.

Ad

186 Ad 3.R.Aug. loqui,non assertivè, sed inquirendo, & conditionatè, ut patet ex contextu : sed postmodùm,veritatem determinando, subdit, eô modô oculos glorificatos Deum visuros,sicut nunc oculi nostri vident alicujus vitam, quam constat, non per se, sed per accidens, videri per sensum. Pluribi autem,clarissimè tradit nostram conclusionem. Ep.6.ait: *Hoc autem*, nempè Divinitatem, *oculus videre corporis, neque nunc potest, neque tunc poterit.* Idem habet ep. 111.& 112.& lib.medit.cap.29. Vide Mag. Gavardi tom.1. q.1.de invisibilit.Dei,a.7.de mente Aug.latè differentem.*Instabis*: Aug. locô in object. relatô, irridet Philosophos docentes,*corporalia,non nisi corpore,& spiritualia,non nisi spiritù, percipi posse*: ergo. Resp. id facere,non propter secundum, de quo nihil pronuntiat, sed propter primum duntaxàt; spiritus enim potest corporalia percipere, ut multis ibi ostendit.

187 Opp.2. Anima rationalis est actus corporalis organi ; at elevari potest ad videndum Deum : ergo. *Præt.* Imaginatio est hujusmodi ; at extenditur ultra corporalia, percipit enim rationes,seu intètiones amicitiæ & inimicitię, quæ corporeæ non sunt: ergo. *Tandem*, D.Th.infrà q.77. a.5.ad 3. expressè docet, *animam quædam sentire sine corpore ex parte objecti, id est, non existentia in corpore, sed solùm in apprehensione animæ* : ergo potentia sensitiva, quæ est potentia organi corporalis,elevari potest ad attingendum Deum. *Ad* 1. dist.maj. Est actus corporalis organi, independens à corpore, C. dependens à corpore, N. Imò secundùm aliquam sui potentiam, scilicèt intellectum, non est actus corporalis organi: quilibet autem sensus, ita est actus corporalis organi,quòd dependet à corpore,& in organo corporeo subjectatur; quare,nec sensus, nec anima per illum, elevari potest ultra corporalia. *Ad* 2. datô quòd illæ intentiones, secundùm se,corporeæ non sint; R. imaginationem non sic illas attingere; sed, proùt in materia corporali existunt (nec enim abstrahit sicut intellectus) quô modô corporeæ sunt, citra aleam. Vide D.Th. inf. q.85.a.1.

Ad 3. resp. D. Thomam illud gratis admittere, tametsi aper-

apertè falsum,doctrinæque suæ diametrô adversum;quippè, sic acceptô Augustinô , sarta tecta subsistit secunda laudati articuli conclusio, nimirùm, *potentias sensitivas subjectari in conjuncto*, cui M.Parentis testimonium opponebatur. Quod quidem respondendi genus,sapientibus,& maximè Doctori Angelico,solemne est.Quòd si in propria loquatur sententia; dic, sensum esse, *Animam quædam sentire sine corpore physico, externo,& palpabili, terreneque labis qualitate concreto* ; at *non sine corpore phantastico*, nam quæ omninò carent corpore, neutiquàm sentiri possunt: unde & species quæ *insensatæ* vocantur , sunt quidem sine corpore physico ; sed reapsè corporeæ, & materiales sunt.

188 Opp.3. Deus elevare potest ignem inferni materialem & corporeum, ad torquendos spiritus: ergo & oculum corporeum, ad videndum spiritualia, & Deum ipsum; nec enim minus potens est Deus ad gloriam beatorum, quàm ad damnatorum pœnam. *Resp.* disp.esse, quia ignis inferni, est instrumentum separatum non vitale , agens per actionem transeuntem ; cujus actio commensuratur cum virtute agentis principalis, & ut agat in aliquid, satis est, quòd habeat actionem præviam mediatè in illud , ut patet in Baptismo abluente animam. Oculus autem corporeus, est instrumentum conjunctum vitale , agens per actionem immanentem, & est quasi causa principalis; quare ut elevari possit, debet jam habere actionem & virtutem erga illam rem,secundùm se & quasi entitativè consideratam. *Hinc* patet ad omnia quæ objici possent de rebus naturalibus , ad effectus supernaturales assumptibilibus. Et argumentum probat de facto.

Opp. tandem : Quilibet sensus corporalis , habet Deum sibi præsentem, sicut intellectus , juxta illud 1. Cor.15. *Erit Deus omnia in omnibus*: ergo. *Resp.*D.Th. in addit. ad 3.p. q.92.a.2.ad 7. Deum, nec esse,nec fore, *objectivè* præsentem oculo corporali; sed eâ duntaxat ratione , quâ est in omnibus per potentiam, præsentiam , & essentiam. Et sanè arg. probat,oculum,etiam non glorificatum,posse elevari ad videndum Deum; quod nullus admittit.

DIS-

DISPUTATIO II.

De Specie ad Visionem requisita.

189 AD quamcumque intellectionem, duo necessariò concurrunt, nimirùm, ipsum objectum, vel per se, vel per speciem sui vicariam: & lumen intellectûs, vel naturale, vel infusum. De primo est sermo in hac. disp. de secundo, in sequenti.

DUBIUM UNICUM.

Utrum repugnet Species creata, impressa, aut expressa, Deum quidditativè repræsentans?

190 CONcl. est affirmativa, & quidèm quoàd speciem impressam, est communis Thomist. quibus aliqui adhærent Jesuitæ, contra frequentiorem illorum sententiam; quoàd expressam verò, est ferè communis inter nostrates. Probaturque quoàd utramque partem, quia talis species foret Deus: *Tum*, quia esset ejusdem gradûs immaterialitatis cum illo, & consequenter actus purus: *Tum*, quia esset suum esse, sicut ipse Deus; esset quippè actualitas illius, reddens ipsum proximè intelligibilem, aut intellectum: *Tum* demùm, quia esset infinita, repręsentaret enim Deum, infinitum & incircunscriptum in omni linea, etiam intelligibili: ergo. En triplicem rationem D.Th. quâ impossibilitas speciei, etiam expressæ, planè convincitur; hęc etenim est formalis similitudo objecti, sicut impressa; imò expresior: Et cùm reddat objectum actu intellectum; illud actuet & determinet, necesse est. Est tandem æquè immaterialis, ac impressa, imò immaterialior: ergo.

191 Pro pleniori captu primæ rationis D. Th. scito ex ipso, a.4. quatuor esse gradus, seu ordines immaterialita-

litatis rerum. *Primus* est rerũ sensibilium, prout sunt in materia individuali, abstrahentium aliqualiter à materia, quatenùs aliquas conditiones individuales non explicant; color enim v.g. licèt attingatur à visu, sub ratione hujus coloris, non tamen sub ratione frigiditatis, dulcedinis, & id genus accidentium, quibus materialiter & in individuo concomitatur. *Secundus* est quidditatum rerum materialium, quæ licèt in re habeant esse in materia individuali, ab ea tamen, & ab omni singularitatis conditione, abstrahunt. *Tertius* est rerum spiritualium, habentium esse omninò separatum à materia, non tamen à potentialitate; concernunt quippè materiam metaphysicam, cùm ex essentia & existentia, natura & subsistentia, componantur. *Quartus* tandèm est rei, omnem planè compositionem omnemque materiam, etiam metaphysicam, excludentis, cujusmodi est solus Deus O.M.

192 Species igitur præfatis objectis correspondentes, debent cum illis convenire in gradu immaterialitatis, non secùs ac potentiæ connaturaliter attactivę eorum: ita, quòd species repręsentativa coloris, abstrahere debet ab illis, à quibus abstrahit color: species quidditatis materialis, à materia singulari, à qua illa abstrahit: species rei spiritualis, à materia physica, tametsi concernere possit metaphysicam: species demùm quidditativa Dei, ab omni prorsùs materia & compositione: quapropter debet esse actus purus, & cõsequenter Deus. Et hæc est vis rationis Angelicæ, quâ benè perpensâ, omnia Adversariorum argumenta penitùs evanescunt. Et nota benè, quòd species non conveniens in gradu immaterialitatis cum objecto, dicitur à D.Th. *inferioris ordinis*; unde species accidentalis, dici non potest inferioris ordinis ad substantiam, nisi *entitativè*, & *per accidens*; cùm enim possit substantiam in gradu immaterialitatis æquare, aut excedere, non est inferioris ordinis ad illam, penes formalem similitudinem per se pertinentem ad rationem speciei, & super immaterialitatem fundatam.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

193 Opp.1. contra 1. rat. D. Th. Inter speciem quidditativam, & objectum, sufficit conveniẽtia in gradu immate-

terialitatis genericô, ut patet in Angelis: ergo species quidditativa Dei, potest cum illo convenire in gradu immaterialitatis generico, quin cõveniat in specifico; at talis species nõ foret infinita: ergo potest esse creata. *N.1.cons.* Species enim quidditativa objecti, cujus immaterialitas est immultiplicabilis in plures species & individua, qualis est immaterialitas divina; debet cum objecto convenire in gradu immaterialitatis etiam specifico. *Instabis* cum P.Suarez: Non repugnat species creata ordinis divini accidentaliter & participativè, seu supernaturalis: ergo poterit per illam repræsentari quidditativè Deus. *N.conseq.* quia species quidditativa, cùm sit naturalis similitudo objecti, deberet esse ejusdem immaterialitatis cum Deo, & consequenter actus purus.

Opp.2. contra 2. rationem: Species non est actualitas objecti, cùm in isto non maneat, sed ad potentiam transferatur; actus autem secundus determinans potentialitatem primi, debet in eodem subjecto manere. *Resp.* actum secundum subjectivum, debere quidem in eodem subjecto manere; secùs objectivum, qualis est species.

194 Opp.3. contra 3.rat. Species quidditativa Dei, repræsentaret illum modô finitô: ergo. Prob.ant. *Primò*, quia distingui deberet à specie comprehensiva ejusdem. *Secundò*, quia repræsentaret Deum juxta modum, & capacitatem intellectûs creati. *Tertiò*, quia cùm species repræsentet objectum intellectui, ut iste erga illud eliciat intellectionem; cum ista potiùs proportionari debet, quàm cum objecto quod repræsentat; at intellectio esset finita, nec exigeret, objectum repręsentari modô infinitô: ergo. *Quartò*: Deus, tametsi infinitus in ratione intelligibilis seu terminantis intellectionem, intelligitur modô finitô: ergo etsi infinitus in ratione repræsentabilis seu moventis ad illam, poterit repręsentari finitô modô. *Tandem*, quia essentia divina unita de facto intellectui beati, repræsentat de facto modô finitô, nec tota ejus repræsentabilitas percipitur ab illo: ergo poterit per speciem creatam, sub eadem limitatione, repręsentari.

195 Resp. neg. ant. Ad primam prob. N. ant. Cùm enim quidquid in Deo reperitur, quidditas sit; species quiddita-

ditativa illius, comprehensiva sit, necesse est. *Ad secundam*, N.ant. Species enim potiùs cum objecto, cujus est naturalis similitudo, commensuratur, quàm cum potentia quam determinat. *Ad tertiam* resp. influxum in intellectionem, quasi consequenter se habere ad speciem, cujus essentialis ratio stat in eo, quòd sit naturalis similitudo objecti; quapropter, cum isto potiùs proportionari debet. *Ad quartam* resp. disp. esse, quia terminare intellectionem modô finitô, provenit ex limitatione intellectionis quam terminat; movere autem ad intellectionem modô finitô, ab ipso Deo movente proveniret. *Ad ultimam*, N.1.part.ant. Etenim Essentia divina, totum quod est in Deo repræsentabile, repræsentat, tametsi intellectus, ob sui incapacitatem, id percipere non valeat.

196 Opp. 4. Angelus intelligendo suam substantiam, format verbum de illa, *quia intelligere & esse Angeli non sunt idem*, ut docet D.Th.4.cont.Gen.c.11.atqui nec esse & intelligere beati, sunt idem, dum Deum vident: ergo format verbum. *Argum.* probat de facto, ut patet: quare mirum est, illô moveri graviſsimos DD. ad meram verbi posſibilitatem adstruendam. *Resp.* ergo, S. Doctorem non sumere in illa ratione, *intelligere* & *esse*, subjectivè, sed objectivè; nam ad formandum, vel non formandum in intellectione verbum, actualitas objecti attendenda est, non autem subjecti. *Nec obstat*, quòd dum Pater æternus, intelligendo divinam essentiam, producit Verbum, *intelligere*, & *esse*, identificentur objectivè: Non inquam obstat, etenim Pater æternus, non producit Verbum ex necessitate, seu quia essentia divina non sit ex se sufficiens ad terminandam talem intellectionem (cùm sine productione Verbi terminet cognitionem essentialem:) producit ergo Verbum ex fœcunditate, adeò æterni Patris propriâ, ut nè alteri quidèm divinæ Personæ, communicabilis sit. Nec posſibilis est fœcunditas terminata ad impossibile, cujusmodi est Verbum creatum de divina Essentia, proùt in se.

197 Nota hîc discrimen inter substantiam Angeli respectu proprii intellectûs, & Essentiam divinam respectu intel-

tellectûs beati; illa enim est prȩsens intellectui angelico per modum principii intellectionis, quia immaterialis est; at cùm non identificet suum esse, non est præsens per modum termini, ideoque format Angelus verbum, ut illam intelligat, juxta D. Th. Essentia autem divina est immaterialis, identificans suum esse; & propterea est præsens utrôque modô intellectui beati, adeò, ut nec specie impressâ nec expressâ opus sit ad illam videndam. *Nec* ex quo Essentia divina non terminet absque visione, inferre licet, non esse ex sc prȩsentem intellectui per modum termini: quia visio solùm requiritur ut connotatum; verbum autem, si per visionem produceretur, esset forma ad talem præsentiam.

198 Opp. 5. Amor beatificus producit impulsum: ergo & visio verbum. *Permissô* ant. N. conf. quia impulsus non est similitudo objecti amati, sicut verbum objecti intellecti.

Opp. ult. Visio non debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto: etenim datur de facto visio creata Dei, proùt est in se: ergo nec verbum, quod, cùm ad illam ordinetur, æquare non potest illius perfectionem. *N. conseq.* Perfectio autem, propter quam verbum debet esse ejusdem immaterialitatis cum objecto, non est perfectio utcumque, sed de linea intelligibilitatis, & similitudinis formalis; quâ quidem visio non gaudet, cùm non sit similitudo formalis, sed virtualis duntaxàt. Visio ergo, ex terminis, perfectior est verbô; sed non in linea intelligibilitatis: quemadmodùm substantia, ex terminis, perfectior est qualibet operatione; non tamen in ratione assequendi Deum.

199 Ex dictis inferes, nullam in visione beata intervenire speciem creatam: à negatione siquidem potentiæ, ad negationem actûs, est optima consequentia. Et hæc est doctrina D. Th. cœlesti revelatione confirmata, teste Tholomæô Lucensi. Unitur ergo Essentia divina mentibus beatorum, per modum actuantis & terminantis per intimam & mutuam adhæsionem, absque ullo inhæsionis, dependentiæ, aut informationis defectu; quippè hujusmodi imperfectiones, nè species quidem creata, affert ex conceptu formali speciei, aut formæ intelligibilis; sed tantùm quia ac-

cidés est:nam quanvis forma physica, impręscindibilis sit ab imperfectione, cùm necessariò sit ens incompletum; secùs forma intelligibilis: hæc enim, ex sua formali ratione, nihil aliud dicit,quàm manifestationem perfectionis;eò enim aliquid est magis intelligibile, quò magis perfectum & completum,ideoque substantia Angeli nequit esse forma physica; benè tamen intelligibilis.

200 Nec inconvenit,Essentiam divinam sic unitam,venire in compositionem alterius, per modum termini, actûs, aut formæ, trahentis ad suum esse aliud extremum; siquidem hôc modô, Verbum divinum, cum humanitate, componit Christum, juxta illud: *Sicut anima rationalis & caro, unus est homo: ita Deus & homo, unus est Christus.* Repugnat autem,venire Deum in compositionem alterius,sicut principium formale,aut materiale, ut ostendit D.Th. sup.q.3.a.8. Mitto,unionem Essentiæ divinę cum intellectu creato, non facere compositioné physicam, sed intêtionalem,ad summû.

DISPUTATIO III.

De Lumine ad visionem exacto.

DUBIUM I.

Utrum sit possibilis intellectus, cui connaturalis sit Visio beatifica?

201 ALiter proponi solet hæc quęst. an videlicèt, possibilis sit substantia creata completa supernaturalis? Sed in idem redit, quidquid dicat M.Ferre; tali enim substantię,si intellectiva sit,deberetur connaturaliter intellectus supernaturalis,& huic,visio beata. Quô animadversô,

202 Concl. est negativa, & communis Thomist. quibus aliqui Societ.DD.subscribunt. Ante prob.autem, præmittimus,dupliciter oppositum defendi:vel asserendo possibi-

bilem intellectum, cui connaturale sit lumen gloriæ: vel non indigentem lumine gloriæ ad videndum Deum. Prob. ergo concl. imprimis, rejiciendo primum modum dicendi: *Tum*, quia forma ad quam ultimò disponit lumen gloriæ (scilicèt Essentia divina, unienda intellectui) nulli creato, aut creabili intellectui, potest esse connaturalis: ergo nec lumen; ultima enim dispositio sequitur modum formæ. *Tum* evertendo Adversariorum fundamentum: Quanvis unio hypostatica, & virtus operativa miraculorum, sint aliquid creatum & finitum, nulli tamen creaturę possunt esse connaturales: ergo fundamentum contrariorum, de quo infrà, evidenter instatur, & consequenter ruit.

203 Prob. deinde concl. in secundo sensu, ratione D. Th. hîc a. 4. Intellectus connaturaliter attingens quidditativè aliquod objectum, debet cum illo convenire in eodem immaterialitatis gradu; at repugnat planè intellectus creatus ejusdem gradualis immaterialitatis cum Deo: ergo. Prob. maj. *Tum*, quia cognitum est in cognoscente, ad modum cognoscentis. *Tum*, quia modus essendi rei, cognitæ naturaliter, nunquàm excedit modum essendi cognoscentis; quòd si excedat, cognitio non est naturalis, ut patet inductivè, discurrendo per omnia cognoscentia, & cognoscibilia: Quapropter, nec intellectus humanus potest attingere connaturaliter quidditativè substantiam Angeli, quam intellectus angelicus sic attingit; nec Angelus valet cognoscere naturaliter quidditativè Essentiam divinam, quam Deus connaturalissimè intuetur: ergo. Vide omninò Cajet. ibi, & aliam rationem apud S. D. 3. cont. Gen. c. 52.

204 Prob. demùm concl. adversùs utrunque modum discurrendi Adverss. Repugnat substantia spiritualis creata, ab intrinseco & ex natura sua impeccabilis; at substantia supernaturalis, esset hujusmodi: ergo repugnat. Maj. est cómunis doctrina PP. quâ sæpè utitur D. Th. & ad hanc formam reduci potest: Quęcumque creatura, ex hoc ipso quòd est creatura, est defectibilis in essendo: ergo & in operando: ergo quęcumque creatura intellectualis, operativa per liberum arbitrium, ex eo quòd creatura est, potest deficere in

operibus liberi arbitrii; at hujusmodi defectus est peccatum: ergo vera est maj. Ant. patet, quia creatio est ex nihilo. Prima consequentia tenet, quia quod fit ex nihilo, sicut transit de non esse ad esse, potest eâdem potentiâ transire de esse ad non esse. Secunda liquet, quia operari sequitur ad esse, id autem quod ad aliud sequitur, nequit esse stabilius eô. Tertia constat, quia operari per liberum arbitrium, sequitur ad esse rationale. Subsumpta autem prob. quia opus liberi arbitrii, non aliter esse potest defectuosum, nisi quia deviat à regula seu recta ratione; at hoc est peccatum: ergo defectus in operibus liberi arbitrii, est peccatum. Minor autem principalis prob. Tum, quia substantia illa esset perfectior gratiâ habituali, & charitate, quibus repugnat conjungi cum peccato: Tum, quia haberet per naturam, quod beati habent per gratiam ratione visionis, quę illis confert impeccabilitatem ab intrinseco, ut omnes fatentur: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

205 Opp. 1. Non repugnat, intellectui creato esse connaturale lumen gloriæ, cùm illud sit finitum, & connaturale gratiæ, cujus est proprietas, absque hujus infinitate: ergo. *Resp.* finitum quidem esse, sed cum essentia divina illimitata & infinita connexum; unde sicut unio hypostatica, tametsi finita, connaturalis esse non potest creaturæ, eò quòd secum ferat essentiam divinam: sic de lumine dicendum est. Ex eo autem quòd lumen sit connaturale gratiæ, optimè infertur illimitatio rationis, à qua gratia procedit, & cujus est formalis participatio, nempè Naturæ divinæ; quare, si connaturale esset intellectui, infinita esset substantia, à qua iste procedit; quod est impossibile. Et quidèm, sicut repugnat creatura, cui connaturalis sit gratia; ita & intellectus, cui connaturale sit lumen gloriæ.

206 Opp. 2. Lumini, utpote accidenti, connaturale subjectum assignari debet; at non intellectus divinus, accidentium incapax, nec creatus: ergo creabilis. *Resp.* inter accidens naturale, & subjectum connaturaliter receptivum illius, mutuam connaturalitatem exerceri; non autem inter accidens supernaturale (cujusmodi est lumen gloriæ) & sub-

je-

jectum receptivum illius ; etenim quanvis hujusmodi accidens exigat connaturaliter subjectum; subjectum tamen, nec ordinem, nec exigentiam habere potest respectu accidentis. In forma ergo , dist.maj. Connaturale subjectum, connaturalitate emanationis, N. receptionis , subdist. se habente ex parte accidentis, C. ex parte subjecti, N. & sic distinctâ min. quoad 2.p. distinguatur similiter consequens.

207 Opp. 3. Principium connaturale visionis , esse non debet ejusdem immaterialitatis cum Deo; siquidem intellectus lumine gloriæ perfusus, connaturaliter videt Deum, quem in gradu immaterialitatis æquare non potest. *Resp.* principium connaturaliter quidditativè attingens objectum, connaturalitate absolutâ seu substantivâ , debere convenire cum objecto, in eodem immaterialitatis gradu; secùs si tale sit, connaturalitate ex suppositione elevationis, seu adjectivâ, quale est intellectus lumine gloriæ perfusus. *Dices*: Anima separata cognoscit connaturaliter quidditativè Angelum, connaturalitate absolutâ , & nullâ suppositâ elevatione ; at non est ejusdem immaterialitatis cum Angelo : ergo. *N. maj.* modus enim cognoscendi animæ separatæ, per species infusas , non est illi connaturalis, sed præternaturalis, ut optimè docet Bañes 1.p.q.89.a.1.dub.2.ac proinde cognoscere quidditativè Angelum, non est illi connaturale.

208 Opp. 4. fundamentum Molinæ : Non repugnat, creari intellectum, æquivalentem complexo ex intellectu & lumine, cùm istud sit finitum : ergo. *Præt.* Datô quòlibet ente finitô, potest Deus aliud perfectius producere: ergo potest producere intellectum perfectiorem illô complexô, utpotè finitô. *Resp.* tale complexum , in ratione complexi, esse finitum , secùs sub ratione simplicis entitatis ; si enim utriusque partis perfectio, in una simplici entitate reperiretur , hæc sanè evaderet infinita. Idem dicendum de complexis, ex essentia & existentia , natura & subsistentia, intellectu & intellectione creatis , & ex substantia & accidenti, in quibus evidenter instatur arg. *Hinc* , ad 2. N. conseq. solùm enim infertur, posse Deum, perfectionem illius complexi, aliô perfectiori complexô, superare; non autem posse

pro

producere entitatem simplicem,illô perfectiorem,aut perfectionem illius continentem, ut patet in exemplis adductis.

209 Opp. 5. Intellectum creatum non pertingere ratione sui ad visionem divinæ essentiæ, provenit ex defectu virtutis: ergo cùm hæc, utpotè finita, in infinitum augeri possit,poterit intellectus ratione sui pertingere ad visionem Dei. *Dist.ant*: ex defectu virtutis ejusdem ordinis, N. superioris ordinis,C. Quare,licèt virtus naturalis illius,magis ac magis augeri possit, nunquam valet pertingere ad talis visionis elicientiam,exigentem virtutem superiorem.Solùm ergo quando impotentia ad aliquem actum, provenit ex defectu virtutis,pertinentis ad eandem speciem & ordinem cum virtute præexistenti,potest virtus operativa pertingere ad illum actum, & talis impotentia expediri. *Hinc* arg.plures patitur instantias:Creaturam enim non æquare virtutem Creatoris, provenit ex defectu virtutis creaturæ:ergo si hæc potest in infinitum augeri,potest creatura æquare Creatoris virtutem? Idem potest argui de visu,non potente videre spiritualia; de intellectu,non potente comprehendere Deum; & id genus aliis.

210 Opp. 6. Unio hypostatica continet differentiam, contractivam entis creati ad speciem substantialem; & nihilominùs,est entitativè supernaturalis: ergo supernaturalitas non repugnat substantiæ creatæ,ratione differentiæ contractivæ illius: ergo, cùm nec repugnet ratione entis creati, nullatenùs repugnat. *Resp.*latum esse discrimen inter substantiam supernaturalem modalem, qualis est unio hypostatica, & completam; hęc enim, si daretur, per se radicaret dona supernaturalia, tanquàm forma, & principium à quo primò emanarent, nec essent propria Deo: at unio hypostatica,non per se illa radicat, sed ratione subsistentiæ divinæ, quam unit naturæ creatæ; & consequenter ab unione dependent, tanquàm à modo, duntaxàt: Quapropter, substantia modalis supernaturalis, de facto datur; completa autem, planè repugnat.

211 Opponestandem: Non repugnat voluntas determinata ad malum,& impotens attingere bonum honestum,

ta-

talis quippè est voluntas dæmonum: ergo nec voluntas, ab intrinseco determinata ad bonum honestum, & impotens attingere bonum utile, aut delectabile; quæ, procul dubiô, esset ab intrinseco impeccabilis: ergo. *Resp.* voluntatem dæmonum, non ex natura sua, sed ex obstinatione in malo, adjunctâ eorum inflexibilitate, esse ad malum determinatam: nec esse remotè seu radicaliter impotentem ad bonum, cùm êadem sit voluntas, etiam post lapsum. *Vel dic*, esse determinatam ad malum, non absolutè, & secundùm se, sed solùm ex suppositione primi peccati, & quia, inflexibiles cùm sint, malùm quod semel amplexati sunt, semper prosequuntur. Ex quo, nihil contra nos.

DUBIUM II.

Utrum lumen gloriæ elevans intellectum ad videndum Deum, ita necessariò requiratur, ut repugnet prorsùs, visionem elici sine illo?

212 CONcl. est affirmativa, & communis Thomistarum cont. DD. Societ. existimantes, luminis munera, per extrinsecam Omnipotentiæ assistentiam, vel per concursum simultaneum, alitervè, posse suppleri. supponit concl. tanquàm Fidei dogma, ex diffinitione C. Vienen. Clement. *Ad nostrum, de hæreticis*, hominem indigere, loquendo de facto, lumine gloriæ, elevante intellectum ad videndum Deum. Hinc

213 Prob. concl. ratione, quâ utitur Concilium, videlicèt: quòd ens naturale, sine elevatione, supernaturalia non valet attingere. Et formatur sic: Implicat, intellectum creatum videre Deum, nisi habeat proximam virtutem & facultatem, per quam reddatur potens, & in actu primo, ad videndum; quî enim poterit, si non sit potens? & quomodò exiet in actũ secundum, si non sit in actu primo? at implicat, intellectum hanc virtutem & facultatem habere, nisi ratio-

tione luminis gloriæ:ergo. Prob.min.Cùm enim intellectus ex ſuis viribus talem facultatem non habeat, debet fieri proximè potens, per aliquam ſupernaturalem qualitatem ſibi ſuperadditam; quam *lumen* meritò vocamus,quia intellectus non juvatur, niſi per illuſtrationem.

214 Nec prodeſt recurſus ad extrinſecam Dei aſsiſtentiam: hæc enim, vel derîvat in intellectum aliquid intrinſecum, vel non? Si ſecundum : ergo manet intellectus in ſua impotentia,ac antea;implicat enim, quòd de impotente fiat intrinſecè potens, ſine ſui mutatione per receptionem alicujus intrinſeci:Si autem derîvet;quidquid tandèm illud ſit, vocabitur à nobis *lumen gloriæ*. Nec ſimiliter juvat recurrere ad concurſum ſimultaneum, qui cùm non ſit in cauſam, ſed in actum ſecundum, per illum cauſa non fit potens, ſed talis ſupponitur. *Nec etiam* valet dicere, divinam Eſſentiam poſſe ſupplere vices luminis gloriæ, eô modô, quô ſupplet vices ſpeciei impreſſæ, & expreſſæ. Non inquam valet:quia forma intelligibilis, qualis eſt ſpecies, præſcindi poteſt ab omnibus imperfectionibus;non autem forma phyſica(cujuſmodi eſt lumen) ut num.199.dictum eſt. ergo.

215 Demùm, intellectum creatum non poſſe fieri proximè potentem ad viſionem,per potentiam obedientialem, proximè & immediatè partialiter activam actuum ſupernaturalium,rebus omnibus implantatam,cum ſolo concurſu Dei ſimultaneo; prob. cont. P. Suarez, Meratium, alioſque RR. Nam talis potentia, ſi daretur, eſſet naturalis, utpotè creaturis omnibus congenita; eſſet verò ſupernaturalis, utpotè ad actus excedentes naturæ vires ordinata. Eſſet inſuper finita, quia creata; eſſet autem infinita, quia productiva cujuſcumque effectûs, in infinitum perfectioris, & perfectioris. Eſſet præterea adæquatè contentiva viſionis, quippè, quæ non indigeret aliô comprincipiô contentivô viſionis,ſed ſolô concurſu ſimultaneô. Tamdèm, per illam potentiam,deſtruitur totus ordo gratiæ, omniaque ad illum pertinentia, redduntur ſuperflua, & prorsùs inutilia; fruſtrà enim fit per plura, quod poteſt fieri per pauciora : Si ergo per potentiam illam, & concurſum ſimultaneum, poteſt

ho-

homo elicere actus supernaturales; inutiles erunt virtutes infusæ; inutilis erit character in Sacerdotibus ad consecrandũ, supervacaneum lumen in beatis ad videndum Deum. *Nec dici potest*, tales habitus requiri ad cõnaturaliter operandũ; cùm enim hæc potentia esset congenita & naturalis, connaturaliùs operaretur homo, mediante illâ, quàm mediis formis & qualitatibus adventitiis, à Deo infusis, illique superadditis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

216 Opp. 1. D.Th. in 4.d.49. q.2. a.7. dicentem, *Miraculosè fieri potest, ut aliquis intellectus, non habens nisi dispositiones viæ, elevetur ad videndum Deum*: ergo & sine lumine gloriæ, quod nõ est dispositio viæ, sed Patriæ. *Resp.* D.Thomam solùm velle, posse intellectum miraculosè elevari ad videndum Deum, sine lumine gloriæ, permanenter & habitualiter communicatô; non tamen excludere lumen gloriæ, per modum dispositionis transeuntis: Etenim ita seipsum interpretatur 2.2.q.175.a.3.ad 2. dicens: *Essentia divina videri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriæ; quod tamen dupliciter participari potest: unô modô, per modum formæ immanentis, & sic beatos facit sanctos in Patria; aliô modô, per modum cujusdam passionis transeuntis ::: & hôc modô, lumen illud fuit in Paulo, quando raptus fuit*: quâ quidem ratione, dicitur lumen gloriæ *dispositio viæ*, non exactivè, sed permissivè; quatenus scilicèt, incompossibile non est cum statu viatoris, quale sanè est, permanenter communicatum.

217 Opp. 2. eundem 1.p. q.105.a.2. ubi ait: *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam*: ergo cùm Deus mediô lumine gloriæ faciat, quòd intellectus creatus eliciat visionem; poterit id præstare, sine lumine. *N.conseq.* Licèt enim possit Deus supplere quidquid agit causa secunda in genere causæ efficientis; non tamen potest facere, quòd effectus aliquis producatur ab aliqua causa, nisi illa habeat virtutem seu posse ad illud efficiendum. Potest quidem producere lucem v.g. sine Sole; at nequit efficere, quòd Sol eam producat, nisi habeat virtutem ad illam ptoducendam,

hoc

hoc enim apertam involvit contradictionem. Cùm ergo intellectus in proprio fundo non habeat vim eliciendi visionem, si Deus velit quòd illam producat, debet illi communicare virtutem supernaturalem, ut possit.

218 Opp. 3. Ex duobus trahentibus navim, quilibet seorsim sumptus, est sæpè impotens ad tractionem, fitque potens per concursum simultaneum alterius, absque intrinseca mutatione sui: ergo similiter, &c. *Resp.* disp. esse, quia impotentia illa & improportio, in trahentibus navim, provenit solùm ab excessu intensivo effectûs; unde per multiplicationem virtutis, aut concursûs, ejusdem speciei, potest fieri perfecta proportio; nec quilibet fit potentior per concursum alterius: At, improportio inter intellectum, & visionem, provenit ex supernaturalitate actionis; quapropter vinci non potest, nisi per formam ordinis supernaturalis, nimirùm, luminis gloriæ, permanenter, aut transeunter saltem, cõmunicati, tribuentis intellectui posse ad illam. Præterea, intellectus, & lumen gloriæ, non concurrunt partialiter ad visionem, sicut trahentes navim concurrunt ad tractionem.

219 Testimonia Scrip. ac PP. quibus motus fuit Suarez ad potentiam illam obedientialem activam adstruendã, solùm innuunt, posse Deum uti creaturis ad libitum; quô nihil verius; non tamen, quòd possit, mediis illis, supernaturales effectus aut operationes producere, absque illarum elevatione & immutatione, per receptionem alicujus formæ supernaturalis. Nec id exigit divini dominii plena potentia; sicut enim non requirit, ut creatura agat sine actione, possit sine potentia, sine intellectione intelligat: ita nec postulat, ut effectus supernaturales, sine virtute supernaturali, producantur: utitur quippè Deus ad libitum creaturâ, at non quâlibet, ad quodlibet. *Nota* in fine, lumen gloriæ non esse medium *in quo* essentia videatur; sed est medium *sub quo* videtur; quod non tollit immediationem visionis, seu, quod idem est, Deum videri per essentiam.

DU-

DUBIUM III.

Utrum Lumen gloriæ sit tota & adæquata ratio videndi Deum?

220 DUbium est generale de omni habitu supernaturali, respectu actuum supernorum, & concl. affirmativa. Unde intellectus & lumen, non partialiter, sed totaliter concurrunt ad visionem; istud, proximè & immediatè; ille, remotè & radicaliter solùm. Sic omnes Thomistæ contra DD. Societ. & prob. *Tum*, quia nulla est formalitas in visione, nè vitalitas quidèm, quam lumen non contineat, ac producat; nam vitalitas, supernaturalis est, cùm naturalis non sit; tota siquidèm visio est supernaturalis: & cùm vitalitas comparetur ad supernaturalitatem, tanquàm ad differentiam sui contractivam; impossibile prorsùs est, non contineri utramque in eodem principio, aut ab uno eodemqne non produci. *Tum*, quia lumen est re verâ principium vitale, nec enim est de ratione istius, ab intrinseco potentiæ vitalis procedere; nisi dicamus, animam, & intellectum, non esse principia vitalia: aut vitalitatem principii potentialis, vel habitualis, cum vitalitate actionis, confundere velimus: nulla ergo cogit ratio ad negandum lumini influxũ in vitalitatem visionis: ergo est hujus, totalis & adæquata ratio proxima & immediata. Intellectus similiter concurrit totaliter ad visionem, tametsi remotè: cùm enim concurrat ad illam, ut elevatus per lumen; attingit illã ut supernaturalem; ad visionem quippè præscindentem à supernaturalitate, nullâ eget elevatione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

221 Plura congerunt Adversarii testimonia Script. & Tridentini, quibus docemur, gratiam Dei operari nobiscum, nosque Dei gratiæ cooperari. At quorsum ista? Cùm enim concl. nostra concedat potentiæ concursum totalem ad actus supernaturales; & Concilio conformior, & ab errore in illo anathematizato remotior apparet, quàm sententia

tia contrariorum, partialem duntaxàt influxum illi asserentium. Et sanè, sic opponentes, fallaciter procedunt à superiori ad inferiùs affirmativè, videlicèt: *Juxta Scripturas, & Concilium, liberum arbitrium, vel intellectus, influit in actus supernos: ergo immediatè & proximè influit in illos.* Vel ab inferiori ad superius negativè, nempè: *Liberum arbitrium, vel intellectus, non influit immediatè in actus supernaturales: ergo non influit in illos.* Fatemur ergo, liberum arbitrium, & non solam gratiam, influere; sed negamus, illud influere immediatè. Fatemur influere, negamus autem, influere per virtutem propriam naturalem, sed per supernaturalem sibi appropriatam. Hôc igitur argnmentô omissô, tanquàm omninò gratis objectô,

222 Opp. 1. Potest Deus concurrere ad entitatem peccati, quin ad malitiam concurrat: ergo & potest intellectus ad actûs supernaturalis vitalitatem concurrere, & non ad supernaturalitatem; & lumen, econversò. *Prat.* Stat, bonum, & verum, distingui solùm penès diversos conceptus explicitos, quibus diversas realiter potentias specificent, ita, ut verum specificet intellectum, sub ratione veri, & non sub ratione boni, &c: ergo stabit, vitalitatem visionis procedere ab intellectu, sub conceptu vitalitatis, & supernaturalitatem, sub conceptu supernaturalitatis, à lumine. *Resp. ad* 1. disp. esse, quia supernaturalitas visionis, comparatur ad ejus vitalitatem, tanquàm differentia hujus contractiva; secùs malitia (tametsi potiva admittatur) ad entitatem actûs; sed omninò materialiter inter se comparantur, pertinentque ad diversas lineas. *Et idem* dicendum ad secundum, ad quod, aliud insuper assignatur discrimen: quia specificatio potentiarum, fieri potest cum majori præcisione, quàm physicus concursus causæ realis, in actionem realem; bonum enim, & verum, specificant diversas potentias, quin possit veritas ab uno principio, & bonitas ab alio, produci. Et quidem bonum & verum ipsius visionis beatificæ, specificant diversas realiter potentias.

223 Opp. 2. Principium formaliter vitale, procedere debet ab intrinseco, ut patet in intellectu & voluntate; quod

sa-

sanè lumini non convenit, cùm à Deo infundatur: ergo. *Resp.* ex dictis num. 220. procedere ab intrinseco, esse de ratione vitæ in actu secundo solùm; aliàs anima non participaret conceptum vitæ: Intellectus autem, ac reliquæ potentiæ, procedunt quidem ab intrinseco; id tamen ad rationem principii proximi vitalis, non exigitur, aliàs visus miraculosè restitutus, hâc vitalitate non gauderet, cùm ab intrinseco non procedat. *Datô* autem, hoc requiri; dicendum, lumen gloriæ in ordine supernaturali (in quo est principium proximum vitale) re verâ procedere à gratia cõsummata, quæ in tali ordine est vita radicalis, & natura: nec enim opus est, principium proximum vitale, oriri à principio intrinseco radicali vitali in diverso ordine.

224 Opp. 3. Supernaturalitas visionis optimè cohæret cum concursu immediato partiali intellectûs in illam: ad hunc enim concursum, indigêret intellectus formâ supernaturali, elevante ipsum per modum comprincipii partialis; ex tali autem indigentia, rectè convincitur supernaturalitas visionis, ut patet; naturale siquidèm, exigere non debet principium supernaturale. *Præterea.* Vitalitati actionis, non obstat concursus partialis immediatus principii nullô modô vitalis; species enim impressa, quæ vitalis non est, immediatè partialiter concurrit ad intellectionem, in sententia valdè probabili: ergo nec supernaturalitati actionis obstabit concursus partialis immediatus principii non supernaturalis.

225 Resp. ad primum, ex indigentia principii supernaturalis, involvente contradictionem, non convinci supernaturalitatem visionis; talis autem esset indigentia in proposito: ex quo enim astruitur necessarius habitus supernaturalis; visio, non naturalis, sed supernaturalis esse oportet: ex immediato autem influxu potentiæ naturalis in illam, lœditur ejus supernaturalitas; quod enim continetur in potentia naturali, supernaturale esse non potest. Nec lumen gloriæ esset tunc forma supernaturalis, quia esset debitum intellectui. *Ad secundum*, vel negetur ant. species enim est formaliter vitalis *ut quô*, sicut lumen gloriæ; quanvis istud

ex

ex parte potentiæ, illa verò ex parte objecti, concurrat. *Vel* dicatur, ſpeciem eſſe, ſaltèm connexivè, vitalem, quia cum principio vitali connectitur, illudque determinat ad actum vitalem. Repugnat autem, intellectum eſſe connexivè ſupernaturalem, eſſet quippè formaliter talis; quidquid enim cum ente ſupernaturali connectitur, eſt formaliter ſupernaturale. *Dices*: Potentia obedientialis, eſt connexivè, & non formaliter aut entitativè, ſupernaturalis: ergo. *N. ant.* Potentia enim obedientialis nullam dicit connexionem cum ente ſupernaturali, ſed meram non repugnantiam ut elevetur per illud. Vel diſt. ant. Eſt connexivè ſupernaturalis, per meram non repugnantiam, & remotam cauſalitatem, C. per exigentiam, aut immediatam efficientiam in illud, N.

226 Opp. 4. Libertas actûs charitatis, non provenit immediatè & proximè ab habitu charitatis, ſed à voluntate: ergo nec vitalitas viſionis à lumine, ſed ab intellectu. Prob. ant. Tum, quia talis libertas provenit immediatè ab eo, quod poteſt in omiſsionem actus charitatis; hoc autem ſola voluntas eſt: Tum, quia libertas contrarietatis, quâ gaudet charitatis actus in via, ſtat in potentia ad amorem, & odiũ: ergo attribui nõ poteſt habitui charitatis, cũ iſte odium Dei non contineat, ſed illi potiùs opponatur: ergo. *Reſp.* ad libertatem potentiæ, requiri indifferentiam ad contrariè oppoſita, ſi contrarietatis ſit, & ad oppoſita contradictoriè, ſi contradictionis: Ad libertatem autem per modum virtutis, minimè requiri, quòd virtus ſit indifferens in ſe ipſa; ſed ſufficere, quòd ſic determinet potentiam ad unam ſpeciem actûs, ut relinquat in potentia, quam determinat, indifferentiam ad oppoſita: Virtus quippè, ex ſuo formali conceptu, eſt magis determinata, quàm potentia; ac proinde ad illius libertatem non requiritur tanta indifferentia, quanta ad libertatem potentiæ: Cùm igitur habitus charitatis, ita determinet voluntatem, quòd relinquat in ea potentiam ad oppoſitum, re verâ eſt liber, libertate virtutis, non potentiæ. Et benè nota, quòd indifferentia requiſita ad libertatem potentiæ, vocatur *effectiva*; indifferentia autem libertatis virtutis, *permiſsiva*.

Opp.

227 Opp.5. Assensus præmissæ naturalis, influit immediatè effectivè in assensum conclusionis theologicę, probabiliter supernaturalem. *Præt.* Species entitativè naturales, deservientes assensui Fidei, influunt immediatè in assensum Fidei supernaturalem; speciebus enim conceditur probabiliter influxus activus in actus intellectûs. *Tandem*: Ex repetitione actuum Fidei, generatur habitus naturalis, facilitans, & consequenter influens immediatè, in actus Fidei supernaturales: ergo admittendę sunt plures res naturales, immediatè partialiter influentes in actus entitativè supernaturales. *Ad* 1. resp. tenentes, assensum theologicum esse supernaturalem, pariter defendere, præmissam naturalem influere in illum, non immediatè, sed mediâ formâ supernaturali, elevante illam ad talem influxum: quod, an sit verum, ipsi viderint, illa enim opinio nobis non probatur, ut videre est suprà à n. 32. *Ad* 2. resp. species illas influere in assensum supernatnralem, mediâ formâ supernaturali, habitu scilicèt Fidei, auxiliôve, elevante illas; ut docetur in tract. de Fide. *Ad ult.* resp. facilitatem illam, non ab habitu naturali procedere, sed, vel ab ipso habitu supernaturali Fidei dante posse, suppositâ tamen repetitione actuum; quod verius judicamus: vel ab habitu supernaturali distincto, ex repetitione actuum supernaturalium genito, ut nonnullis placet.

228 Opp.6. Si intellectus non concurreret immediatè partialiter in visionem, esset hujus causa instrumentalis, hęc enim est, quæ non continet virtutem aliquam effectui proportionatam, sed virtute acceptâ à causa principali operatur. *Resp.* causam instrumentalem esse illam, quâ utitur principalis, tanquàm sibi subditâ in operando; intellectus autem non subditur lumini in elicienda visione, sed econversò; intellectus quippè utitur lumine ad videndum, & non econtrà, cùm intellectus videndo Deũ, moveat se, ac vitaliter operetur: quapropter visioné elicit ut causa principalis. *Et nota*, inconveniens objectum, tale reputari non posse ab Adversariis, ultrò asserentibus cum P. Suarez, intellectum, & partialiter, & instrumentaliter ad visionem concurrere: Nos autem utrumque negamus.

Opp.

229 Opp. ult. Lumen gloriæ verè est causa visionis, cùm hæc sequatur ad illud, in quo sanè diffinitio causæ consistit; at non est causa adæquata: ergo partialis. *Præt.* Habitus luminis est pars, ex qua, simul & potentia, adæquata causa visionis consurgit: ergo est pars causæ visionis: ergo causa partialis illius; idem quippè est pars causę, & causa partialis. *N. maj.* ad prob. inclusam, N. ant. Visio enim non sequitur ad lumen, sed ad conflatum ex intellectu, & lumine. Conflatum ergo est causa efficiens visionis, composita ex lumine ut virtute, & ex intellectu ut potentiâ. *Ad* 2. N. secundam conseq. non enim est idem, esse partem causæ, & esse causam partialem; natura siquidem, & potentia, componunt unam causam suarum operationum, nec tamen dici possunt causæ partiales, tametsi dici possint partes componentes causam; ad causam enim, exigitur natura ut radix, & potentia ut principium immediatum; unde, ut potentia esset causa partialis, oporteret, componi ex natura partiali, & partiali potentia.

Similiter, anima & materia, sunt partes hominis; & tamen, nec anima est homo partialis, nec materia homo partialis dici potest: quia cùm homo sit compositus ex anima & corpore; ut anima esset homo partialis, ex anima partiali, & partiali corpore debebat constare. Cùm ergo causa importet essentiam potentiæ, & proximam virtutem illius: & intellectus, tametsi ratione sui habeat essentiam potentiæ, coaptationemque essentialem, non tamen gaudet proximâ virtute partiali; lumé verò gloriæ, licèt proximam virtutem importet, non tamen gaudet ratione sui coaptatione essentiali potentiæ; fit, quòd licèt verè dicantur & sint partes causæ efficientis visionem, non tamen sunt partiales visionis causæ.

230 Ex dictis habetur, animam, intellectum, gratiam, & lumen, concurrere ad visionem; anima quidem concurrit ad illam per modum radicis obedientialis, & est prima quæ per gratiam, tanquàm per radicem supernaturalem, perficitur & completur: Intellectus verò per modum potentiæ proximæ, respectivè ad animam, & per modum principii radi-

radicalis & remoti, respectivè ad lumen : istud autem, ut principium absolutè & simpliciter proximum, & ultimatum, perficiens intellectum per modum virtutis à gratia derivatæ. Hinc, licèt intellectus, respectivè ad animam, sit principium *quô* visionis ; respectivè tamen ad lumen, est principium *quod*. Anima, respectivè ad cætera omnia principia, est principium *quod*; lumen, respectivè ad omnia, est principium *quô* ; gratia est principium *quod* respectu luminis, & principium *quô* respectu animæ ; quæ per modum subjecti comparatur ad gratiam, intellectum, lumen, & visionem.

231 Infertur insuper, contra Bachonium & quosdam ex suis, lumen efficienter concurrere ad visionem; constituit quippè intellectum in ratione principii productivi visionis, conferens illi virtutem ad videndum ; at forma constituens principium in ratione productivi, præbensque illi virtutem ad efficiendum, concurrit efficienter ad actiones illius, ut est certum, & constat in forma substantiali: ergo. *Dices*, lumen non tribuere intellectui virtutem ad videndum, sed quasi approximare illum Deo, superando distantiam repertam inter utrumque, quâ victâ, intellectus, per suam naturalem virtutem, videt Deum : quemadmodùm lux, se solâ, lucernam accendit, tametsi sæpè desideretur elevatio lucis, manû, vel arundine, præstita. *Sed* contra est: *Tum*, quia cùm intellectus sit potentia entitativè naturalis, nullam habere potest virtutem, activam visionis supernaturalis: ergo lumen præbet illi talem virtutem: *Tum*, quia distantia inter intellectum, & Deum, non est localis, sicut adducta in exemplo, sed virtutis; quæ suppleri non potest nisi per adventum novæ, quam, dubiô procul, confert intellectui lumen gloriæ: ergo.

DUBIUM IV.

Utrum inæqualitas visionum, ex sola luminis inæqualitate, sumatur?

232 SUpponimus ex Script. CC. & PP. contra Jovinianum & Lutherum, Beatos, pro meritorum diversitate, inæqualiter Deum videre; non quidem inæqualitate specificâ (cùm omnium visionum idem sit formale objectum, idem modus videndi illud, scilicèt, immediatè sine ulla specie, idemque specificè lumen eidem speciê gratiæ, & charitati correspondens;) sed accidentali duntaxàt. Quô præmissô,

Conclusio est affirmativa, contra nonnullos ingeniosos Theologos, suas partes naturali acumini in beatitudine asserentes. Probaturque: *Tum*, quia inæqualitas effectûs, ex inæqualitate solius principii proximi, in cujus virtute immediatè continetur, oriri potest; at solum lumen est hujusmodi respectu visionis, ut ostensum est dub. præced. ergo. *Tum*, quia potentia obedientialis, per quam intellectus remotè seu mediatè concurrit ad visionem, est omninò æqualis in beatis; fundatur quippè in prædicato generico intellectivi, in quo omnes beati univocè conveniunt, homines sint, sive Angeli. *Tum*, quia cùm intellectus Angeli, præsertim Seraphim, incomparabiliter excedat intellectum animæ Christi, si ex inæqualitate intellectûs penderet visionum inæqualitas; difficillimè salvaretur, visionem beatam Animæ Christi, excedere visionem omnium beatorum; tantus siquidem excessus penès intellectus, non facilè resarciri posset per majorem luminis perfectionem; inæqualitas enim intellectuum, est specifica, luminum verò, gradualis duntaxàt. *Tum*, quia sicut visio correspondet, per modum præmii, meritis: ita quantitas visionis, quantitati meritorum; hoc autem salvari nô posset, si inæqualitas visionum, ex intellectuum inæqualitate penderet, hæc enim est beneficium naturæ, non gratiæ, & à Deo ut creatore, non ut glorificatore, procedens. *Hinc* prob. ult.

quia

quia alioquin daretur aliquis gradus beatitudinis non correspondens gratiæ, sed naturæ; unde & beati per sua naturalia se discernerent, contra illud, *Gratia Dei, vita æterna.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

233 Opp. 1. D. Th. 3. p. q. 10. a. 4. ad 2. dicentem, *Gradus visionis divinæ, attendi magis secundùm ordinem gratiæ, quàm secundùm ordinem naturæ*: ergo attenditur secundùm utrumque ordinem. *N. conseq.* nam ly *magis* non sumitur cõparativè, sed exclusivè, ita ut idem significet, ac *potiùs*, quasi dicat: *Attenditur secundùm ordinem gratiæ, & non secundùm ordinem naturæ*: quemadmodùm dicit David Psal. 83. *Elegi abjectus esse in domo Dei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum*; & 2. Machab. 6. dicitur de Eleazaro: *At ille gloriosissimam mortem, magis quàm odibilem vitam, complectens*; & Paulus de Moyse ait: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem*; & demùm Ephes. 3. jussit illis Apostolus, ut non essent in eis peccata, *sed magis* (inquit) *gratiarum actio.* Alia exempla adducentur, Deô dante, in tract. de Conscientia.

234 Opp. 2. eundem S. D. 1. 2. q. 4. a. 5. in corp. dicentem: *Cùm operatio dependeat ex natura rei: quantò anima perfectior erit in sua natura, tantò perfectiùs habebit suam propriam operationem, in qua felicitas consistit*: ergo. *Resp.* sensum esse, *quòd connaturaliùs habebit suam operationem, in qua fælicitas consistit*; quod verum est: sicut connaturaliùs operatur mediô habitu permanenti, quàm mediô auxiliô transeunte, etiamsi operatio elicita mediô auxiliô, sit æquè perfecta, ac elicita mediô habitu. In hoc etiam sensu, dicit in 4. ad Anib. d. 49. q. uni. a. 4. *quòd operatio in qua beatitudo consistit, erit quodammodò intensior post resurrectionem, quàm antea*: Nec enim intendit, quòd habitura sit novum aliquem intensionis aut claritatis gradum; sed solùm, fore tunc visionem intensivè perfectiorem, quatenùs anima reunita corpori glorioso, connaturaliori modô illam eliciet, quàm separata à corpore; operatio enim ex majori connaturalitate suæ elicientiæ (quæ etiam desumitur ex ipsa natura animæ) dicitur quodammodò magis intensa, tametsi nec novum gradum, nec

majorem radicationem in subjecto, acquirat. Sed strictè loquendo, *corpore resumptô, beatitudo crescit, non intensivè, sed extensivè*, ut loquitur S.D. locô in objectione adductô, ad 5. quatenùs scilicèt, beatitudo animę derivatur ad corpus per unionem cum illo.

235 Opp. 3. Visus corporalis acutior, perfectiùs videt, quàm minùs acutus: ergo pariter. *Resp.* disp. esse, quia visus corporalis habet naturalem virtutem ad videndum colorem; secùs intellectus ad videndum Deum: quapropter, virtus naturalis intellectûs, nihil conducit ad perfectiorem Dei visionem.

Opp. 4. Ad visionem beatam, nedùm lumen, sed etiam intellectus efficienter concurrit: ergo sive lumen, sive intellectus, crescat in perfectione, crescet & visio: sicut visio corporis intenditur, sive species augeatur, sive lumen exterius: sicut etiam duo pictores ejusdem industrię, cum inæquali pennicillo, aut duo inæqualis industriæ, cum æquali instrumento, diversæ perfectionis producunt effectum. *Præt.* Beati totô conatu visionem producunt; at perfectior intellectus, vehementiùs conatur: ergo cum æquali lumine, perfectiùs videt.

236 N. conseq. quia cùm intellectus solùm remotè concurrat; ad incrementum illius, non crescit virtus ad videndum, & consequenter nec visio. Species autem, & lumen, proximè & immediatè concurrunt ad visionem corpoream: pennicillus etiam, & quodlibet instrumentum, quò melius, eò magis coaptatum est & proportionatum cum effectu. Natura autem, sive perfectior, sive minùs perfecta, æquè improportionata est cum effectu adæquatè supernaturali, qualis est visio. *Ad* 2. N. min. Conatus enim potentię, non est aliquid antecedens actum, sed ipse actus ut emanans à principio: unde habitus supernaturales, sicut dant potentiis posse operari, quia dant eis virtutem & efficaciam proximam; ita dant illis posse conari: quòd autem posimus indifferenter uti & non uti his habitibus ad operandum, & ad magis vel minus perfectè operandum; solùm probat, tàm potentiam, quàm habitũ, subjici nostrę libertati quoàd usum.

DU-

DUBIUM V.

Utrum intellectus creatus possit Deum comprehendere?

NOn inquirimus de comprehensione latè sumpta, quæ nihil est aliud, quàm, rei consecutio vel tentio, quâ ratione, beati dicuntur *comprehensores*; sed de strictè & propriè accepta, quæ communiter diffinitur, *Cognitio rei, quantùm cognoscibilis est.*

237 Conclusio est negativa, & Fide certa, intellecta etiam de potentia absoluta, ut communiter docent Theologi, paucis exceptis. Et meritò, constat enim ex illo Jerem. 32. *Incomprehensibilis cogitatu.* Diffinitur præterea in C.Lat. IV. *cap. Firmiter, de Summa Trinit.* ubi dicitur: *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd Deus est immutabilis, & incomprehensibilis.* Et rursùs *cap. Damnamus*, dicitur: *Nos acte, Sanctò approbante Conciliò, credimus & confitemur cum Petro* (hic est Petrus Lombardus Sent. Magister) *quòd una summa res est, incomprehensibilis, & ineffabilis.* Quibus eòdem modò diffinitur, Deum esse incomprehensibilem, quò diffinitur, esse immutabilem; at diffinitur esse immutabilem, de potentia absoluta: ergo.

Prob. concl. ratione: Nullus intellectus creatus potest cognoscere Deum perfectè, & quantùm cognoscibilis est, est quippè Deus infinitè cognoscibilis, cùm sit infinitus in actu; nullus autem intellectus creatus potest Deum infinitè cognoscere, ad id enim requiritur lumen gloriæ infinitum, cujus ille est incapax, utpotè recipiens finitum: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

238 Opp. 1. Deus ita videtur à beatis, ut nihil ejus lateat ipsos; rei enim omninò simplicis, & actûs puri, aut totum, aut nihil videtur: ergo. *Resp.* Deum videri à beatis totum, sed non totaliter. *Instabis*: Vel ly *totaliter*, dicit modum videntis, vel rei visæ: si secundum; Deus totaliter videtur, videtur quippè sicuti est: Si primum; etiam totaliter vi-

de-

detur, quia beatus totâ suâ virtute & conatu videt. Respondet D.Th. hîc, a.7.ad 3. *Quòd ly* totaliter, *dicit modum objecti; non quidem ita, quòd totus modus objecti non cadat sub cognitione; sed quia modus objecti, non est modus cognoscentis. Qui igitur videt Deum per essentiam, videt hoc in eo, quòd infinite existit, & quòd infinitè cognoscibilis est; sed hic infinitus modus, non competit ei, ut scilicèt ipse infinitè cognoscat. Sicut aliquis probabiliter scire potest, aliquam propositionem esse demonstrabilem, licèt ipse eam demonstrativè non cognoscat.*

Aliis terminis id ipsum tradit q.20. de veritate a.5. docens, *quòd videre Deum* totaliter, *dicit modum se tenentem ex parte objecti, non quidem absolutè, sed respectivè ad actum, id est, modum se tenentem ex parte objecti, cui adæquetur modus se tenens ex parte actûs. Et hôc modò, solus Deus se totaliter cognoscit; quanta enim est cognoscibilitas divinæ essentiæ, tanta est efficacia divini intellectûs in cognoscendo.* Quô nihil aptius ad penetrandam comprehensionis essentiam tradi potest. *Ad formam* ergo, dist.2.p.maj. modû ex parte rei visę, absolutè, N. respectivè ad actum, C.& N.min. Ad prob.adjunctam, dist. ant. Videtur sicuti est, ly *sicuti est*, dicente modum ex parte rei visæ, absolutè, C. respectivè ad actum, N.

239 Opp. 2. & replicabis cont. sol. Ad comprehensionem sufficit, totum objectum cognosci, ità ut nulla ejus formalitas, nihilque in eo eminenter contentum, lateat cognoscentem; nec requiritur, quòd cognoscitivitas potentiæ, adæquet cognoscibilitatem objecti: ergo ruit tota nostra doctrina. Prob.ant. *Tum*, quia aliàs non rectè inferret D.Th. Deum fore comprehêndendum, ex cognitione omnium possibilium in Verbo: *Tum*, quia cùm cognoscitivitas Angeli inferioris, non adæquet cognoscibilitatem superioris (hujus siquidem immaterialitatem non adæquat) hunc comprehendere non posset, contra satis probabilem nostratum sententiam. *Tandem*, quia nulla creatura, etiam minima, potest ità perfectè ab alia cognosci, quòd non cognoscatur perfectiùs à Deo: ergo vel hoc non requiritur ad comprehensionem, vel nulla creatura, quantumlibèt suprema, poterit aliam, vel minimam, comprehendere: Quod incomprehensibili-

bilitati Dei manifestè repugnat, ut communiter ostenditur contra Ocham.

240 N.ant. ad 1. prob. resp. ex infrà dicendis, non stare cognitionem omnium possibilium in Essentia divina, ità ut hæc sit ratio cognoscendi illa, quin Essentia divina cognoscatur quantùm cognoscibilis est: Unde illatio D.Th. nobis non adversatur. *Ad* 2.resp. ad comprehensionem, sufficere adæquationem cognoscentis cum re cognita, in gradu generico immaterialitatis; quam adæquationem reperiri inter Angelum inferiorem, & superiorem, constat ex dictis n.191. & 192. *Ad ult.* dist.conseq. Quantùm cognoscibilis est, permissivè, C. exactivè, N. Ad comprehensionem enim, sufficit cognosci rem, quantùm cognoscibilis est exactivè, id est, quòd cognitio adæquet cognoscibilitatem, in rei quidditate fundatam, tametsi res maneat adhùc perfectiùs cognoscibilis per lumen excellentius, & speciem immaterialiorem: ideòque homo comprehèndit triangulum, per cognitionem diffinitionis ejus; tametsi Angelus perfectiùs cognoscat triangulum, ex parte cognoscentis.

241 Dices: Quælibet res, non solùm permittit, sed positivè petit, divinam terminare cognitionem, cùm positivè petat causalitatem illius terminare, ex suppositione quòd in re producatur; Deus autem, mediante cognitione, producit: ergo nulla creatura potest aliam cognoscere, quantùm cognoscibilis est exactivè. *Dist.maj.* Positivè petit divinam terminare cognitionem, ut sibi adæquatam, N. ut superexcedentem, C. Sufficit enim ad rei comprehensionem, cognosci eâ cognitione, quam positivè petit, ut sibi adæquatam. *Vel aliter*: Sufficit cognosci eâ cognitione quam res positivè petit, ratione dependentiæ. *Ex dictis* corruit error Eunomii, & Anomæorum, de quo sup. n.174. quem, ultra Lateran.IV. damnavit, adversus Augustinum de Roma, Archiep. Nazarenum, Conc. Basileense sess.22. cujus judicium quoàd hoc, videtur confirmatum à Nicolao V.ann.1449.

DIS-

DISPUTATIO ULTIMA;

De Objecto Visionis.

DUBIUM I.

Utrum repugnet Essentiam videri, non visis Attributis & Personis?

242. Conclusio est affirmativa, & prob. contra Scotistas, & quosdam Societ. *Tum*, ex D.Th. 2.2. q.2. a. 8. ad 3. dicente: *Summa bonitas Dei, secundùm quòd intelligitur in se ipso, proùt videtur à beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum.* Tum, quia visio beatifica, est *intuitiva, quidditativa, & beatificans.* Quia *intuitiva*, fertur in Deum ut existentem in se ipso; Deus autem est in se unus, trinus, omnipotens, misericors, &c. Quia *quidditativa*, debet attingere omnia quæ sunt de quidditate Dei prout in se, qualia sunt omnia attributa, & relationes; est enim Deus essentialiter actus purus. Demùm, quia *beatificans*, attingit Deum ut summum bonum, quale intelligi non potest, non visis attributis, & relationibus, tametsi istæ non explicent perfectionem propriam. Nec satiaretur mens beati, si solam essentiam intueretur, adhuc enim appeteret, latentia attributa, & relationes, videre; visâ etenim essentiâ, & naturâ subsistente, naturaliter desideramus, illius proprietates & subsistentiam videre; attributa autem sunt proprietates naturæ divinæ subsistentis in personis: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

243 Opp.1. contra 1. rationis partem: Non repugnat intueri aliquod objectum, quin omnia ejus prædicata, tametsi identificata, videantur; sæpè enim videmus à longe animal, nec cognoscimus esse hominem, aut equum, &c. *Præterea*, visus corporeus intuetur colores, quin attingat mo-

modum inhærentiæ, quò in subjecto existunt: & quantitas panis videtur in Eucharistia, quin modus, quò existit, videatur: ergo. *Resp.* visionem intuitivam perfectam (qualis est beata) necessariò importare attingentiam omnium quę sunt formaliter in re visa; secùs imperfectam, cujusmodi est corporea adducta in exemplis. Discrimen autem sumitur, *tum* ex parte potentiæ, quia visus corporeus, habet pro objecto adæquato lucidum coloratum, non autem rationem specificam & individualem objecti, ideoque tenent exempla adducta; objectum autem intellectûs, est verum, quod continet omnia prædicata, tam constitutiva, quàm modificativa, rei quam videt; quapropter visio illius, si perfecta, clara, & intuitiva sit; ad omnia illa se extendat, necesse est.

Tum ex parte medii, sive speciei, quæ respectu visûs, sæpè variatur antequàm ad ipsum perveniat, nec benè repręsentat objectum; visio autem beatifica, est immediata, ratione divinæ essentiæ se habentis per modum speciei, perfectissimè se ipsam repræsentantis. *Tandem* ex parte rei visæ: quia perfectiones in creaturis, non sunt de conceptu quidditativo earum; ideoque, licèt res videatur proùt est in se, non propterea videntur omnes ejus perfectiones; at essentia divina, cùm sit actus purus, perfectissimè importat omnia quæ ipsi formaliter conveniunt: undè repugnat, unum sine alio videri.

244 Opp. 2. contra 2. rationis p. Personæ non sunt de ratione quidditativâ Dei: aliàs Pater communicaret Filio paternitatem, totam quippè essentiam, omniaque prędicata quidditativa, illi communicat. *Resp.* Personas divinas esse de conceptu quidditativo naturæ divinæ, non quidem tanquàm prædicata constitutiva illius, sed tanquàm terminos, seu modos essentiales & inadæquatos, ad ejus infinitatem, eminentiam, & fœcunditatem, pertinentes; quare negatur sequela.

245 Opp. 3. contra 3. Essentia, seclusis, seu non visis Personis, diceret rationem summi boni, cùm Personæ propriam non dicant perfectionem, ut infrà dicemus à n. 684. ergo ipsius visio esset beatificans. *Deinde*: Pater æternus, in illo

illo priori quô intelligitur generare Filium, intelligitur beatus, cùm beatitudo essentialiter illi conveniat; at nondùm intelligitur Filius, cùm ex vi illius cognitionis producatur, & consequenter nec Sp. Sanctus, qui à Filio procedit: ergo. *Resp.* objectum beatificum stare in ratione summi boni, visi in se; quę ratio non competeret essentiæ, non visis personis; & licèt relationes non superaddant essentiæ perfectionem; illius tamen perfectionem includunt, adhùc ut ab illa distinctæ: quanvis ergo essentia non habeat à relationibus quòd sit summè perfecta, non potest tamen hęc summa perfectio concipi, sine illis: sicut, licèt anima non habeat à corpore quòd constituat hominem, hunc tamen non constituit, sine corpore. *Ad* 2. resp. pro illo priori, intelligi jam Filium per modum termini, & Spiritum S. per modum objecti; est quippè cognitio illa, comprehensiva; ad totam proinde Trinitatem terminata. Nec prioritas originis, stat in eo, quòd Pater, propriori ad Filiũ, intelligatur; sed in eo solùm, quòd intelligendo simul Patrem & Filium, intelligitur Pater, ut principium & origo Filii, Filius autem, ut terminus & ut procedens à Patre.

246 Opp. 4. Non obstante Dei puritate & simplicitate, potest communicari natura, non communicatâ personâ, in ęterna generatione; & una Persona sine alia, humanati, in incarnatione: ergo. Tenet conseq. quia visio, est magis extrinseca, quàm communicatio. *Resp.* discrimen esse, quia clara & intuitiva visio, est cognitio Dei ut est in se; Deus autem non potest videri ut est in se, si aliquid ejus lateat; manifestari enim aliquid actùs puri, & manifestari totum, idem prorsùs est; at communicatio realis, non fit secundùm quòd res est in se, sed secundùm exigentiam & capacitatem subjecti, cui fit communicatio: Filius autem, non est capax paternitatis, nec humanitas exigit subsistere per tres subsistentias; unde nulla est paritas. *Adde*, Essentiam, relationes, & attributa, in ratione visibilium, nè virtualiter quidem distingui, cùm per eandem essentiam necessariò repręsententur.

247 Opp. ult. Cùm essentia divina sit ratio videndi per-

personas, sola illa est objectum primarium visionis,& consequenter videri poterit sine illis. *Resp.* 1. quòd licèt sola Deitas sit id quô Deus intelligitur, & ratio beandi; ipsa tamen non beat, nisi visa ut una,& personaliter trina; ad objectum quippè beatificum , non sola ratio beandi exigitur, sed ipsum beans ut *quod*; *quô* autem , & *quod*, non sunt duo objecta,quorum unum sit primarium,& aliud secundarium; sed ex utroque quasi integratur unum objectum. Trinitas ergo Personarum , sicut & attributa, sunt quasi pars objecti primarii beatifici; sunt equidèm pars hujus quod dico, *Deus sicuti est*. Sic Cajet.2.2.q.2.a.8. *Resp.*2. datô , attributa & relationes pertinere ad objectum secundarium visionis;non posse tamen sine primario, seu essentia, videri, propter necessariam connexionem cum illo.

DUBIUM II.

Quas creaturas videant Beati in Deo?

248 CConclusio : Beati vident in Verbo omnia mysteria nostræ Fidei, præcipuas hu s universi partes , & ad proprium statum pertinentia. Prob. Visione enim beatâ , omnia justa desideria perfectè satiantur;beatus autem justè appetit,prædicta videre: mysteria quidem Fidei, & Religionis arcana , quatenùs elevatus est ad ordinem gratiæ: præcipuas universi partes, ut Angelos, cœlos , elementa, &c. quatenùs est pars universi ; demùm pertinentia ad proprium statum, quatenùs est talis persona, publica,vel privata, ut Papa , Episcopus , Fundator Religionis , Rex, Patronus Loci, &c. ergo. *Hinc* inferes 1. Animam Christi D. videre in Verbo omnia existentia secundùm quodcumque tempus; pertinent quippè ad ejus dignitatem,quatenùs ei subjecta sunt omnia. Et cùm sit omnium Judex, omnium actus liberos videt in Verbo; unde,illud Joann.2.*Ipse sciebat quid esset in homine*, intelligi potest , *non solùm quantùm ad scientiam divinam , sed etiam quantùm ad scientiam animæ ejus*, ut loquitur D.Th.3.p.q.10.a.2.ubi latior de hoc redibit

bit sermo. *Inf.*2. Beatissimam Virg.Deiparam,multa plura videre in Verbo,quantùm ad preces, & cogitationes hominum, quàm reliqui Beati; cùm enim sit fidelium Advocata, & misericordiæ Mater, debet, ut in pluribus, eorum statum videre, ut eis prodesse valeat.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

249 Opp. 1. Angelos beatos latêre plura, ipsorum curæ & gubernationi commissa, ad statumque ipsorum proinde pertinentia: *Tum*, quia inferiores instruuntur circa ea per superiores: *Tum*,quia Dan.10.Angeli, quibus erat commissa gubernatio Populi Israëlitici, & Regni Persarũ, ignorabant quid esset agendum circa exitum Israël de tali Regno: ergo illa non attingunt visione beatâ; hæc enim tota simul & invariabilis est. *Resp.* cum Cajet. quemlibet beatum cognoscere in Verbo, omnia quæ pertinent ad ejus statum pro primo instanti suæ beatitudinis;reliqua verò,quæ processu beatitudinis, pertinent ad ejus statum, cognoscere in Verbo,causaliter solùm,quatenùs ex scientia beata resultat, tanquàm proprietas,scientia infusa, quâ successivè cognoscit quidquid per revelationem,& illuminationem excipit. Et sic exponitur illud D.Th. 3.p.q.10.a.2. *Nulli beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant.* Quâ etiam doctrinâ, plura solvuntur argumenta quę opponi solent circa preces quæ ad beatos funduntur, ut benè notat M.Bañes.

Vel dicendum cum isto,Marinis, & aliis: ad statum Angeli custodis,spectare solùm modum custodiendi,ut sic & in communi,homines, aut regna, juxta Dei beneplacitum. Et in hoc, nullam patitur successionem eorum cognitio; quòd verò hujus,vel illius hominis, seu provinciæ in particulari, custodiæ deputentur; aut ad hoc,vel illud ministerium exequendum mittantur; ad eorum statum non pertinet,nisi per accidens, ac materialiter:quare id genus munia,& quidquid ad illa necessarium est, cognoscunt extra Verbum, notitiâ vespertinâ, quę successionem patitur.

250 Opp. 2. Plura pertinere possunt ad statum minùs beati, quàm alterius beatioris: ergo si conclusio esset vera,

mi-

minùs beatus, plures creaturas videre posset in verbo, quàm beatior; at hoc repugnat, quò enim plures creaturæ videntur in Verbo, eò visio evadit perfectior: ergo. *Resp.* talem excessum, compensari per cognitionem in Verbo aliarum creaturarum, sive existentium, sive possibilium, quas videret beatior, & non, minùs beatus.

Ut aliis objectionibus fiat satis, advertendum est, quòd Beati non debent videre in Verbo omnia Fidei mysteria, quantùm ad omnes circunstantias temporis, & loci; ut constat de resurrectione, & judicio ultimo. Nec Angeli cognoverunt in Verbo, ab exordio suæ beatitudinis, mysteriũ Incarnationis, secundùm omnes rationes & circunstantias illius, sed processu temporis fuerunt de illis edocti, per speciales revelationes & illuminationes, extra Verbum, ut docet D. Thom. 1.p.q.57.a.5.ad 1. & 2.2.q.2. a.7.ad 1. *Advertendum* etiam est, mysteria quæ in pluribus individuis complentur, non videri in quocumque individuo: vident quidem Beati, Eucharistiæ & universalis resurrectionis arcana, quin omnes hostias consecratas, aut omnes resurrecturos, saltèm damnatos, videant.

DUBIUM III.

Utrum Beati cognoscere possint omnia possibilia in Verbo, aut extra Verbum?

251 SUpponimus, per visionem beatam necessariò cognosci creaturas possibiles in communi; in particulari verò, plùs, minusvè, secundùm diversum luminis gradum.

Prima conclusio: Impossibile panè est, Beatos videre omnia possibilia in Verbo. Est contra Alensem, Durandum, Scotum, & alios. Probatûrque ratione D. Th. hìc a. 8. 3. contra Gent. cap. 56. & q. 20. de verit. a. 5. Quia talis cognitio esset comprehẽsiva divinæ essentiæ. Quam rationem, his præclaris verbis, tradit locò ultimò laudatò: *Et ita patet* (inquit) *quòd ex quo cognoscere aliquid in Verbo, pendet ex modo co-*

cognitionis Verbi : ſicut impoſsibile eſt , quòd aliquis intellectus creatus pertingat ad perfectum modum cognoſcendi Verbum , ut cognoſcibile eſt : ita impoſsibile eſt , quòd aliquis intellectus creatus cognoſcat omnia poſsibilia , quæ in Verbo cognoſci poſſunt; & hæc ſunt omnia, quæ Deus poteſt facere.

252 Reſpondet Scotus, res non cognoſci in Deo tanquàm effectus in cauſa , ut aſſumit D. Th. ſed ſicut res in ſpeculo voluntario, ut loquitur Aug. Quare ratio non probat. *Sed* contra eſt, *tum*, quia Beati vident res in Verbo, modô quô Deus illas in ſe ipſo contemplatur , cum viſio beata ſit participatio divinæ cognitionis;at Deus cognoſcit illas in ſe ipſo,tanquàm in cauſa, & non ſolùm,tanquàm in ſpeculo,ut paſsim docent PP. ergo. *Tum*,quia juxta Aug. 10.de Civit.cap.7.Angeli beati, per cognitionem matutinã, cognoſcunt creaturas in Eſſentia divina,*velut in arte*; ars autem,non ſpeculum,ſed cauſa efficiens eſt artefactorũ. *Tandem*: Res cognoſcuntur in aliquo,eô modô quô ſunt in illo; at res ſunt in Deo propriè,ut in cauſa,metaphoricè autem, ut in ſpeculo; nec enim Deus recipit ſpecies à rebus, ſicut ſpeculum : ergo.

253 Secunda concluſio : Non implicat , totam poſsibilium collectionem cognoſci quidditativè extra Verbum. Sic Illuſt,Godoy, & colligitur ex D.Th.q.20. de verit.a.5. ad 1. Probatur autem primò: Quia talis cognitio nec comprehenſiva Dei eſſet, nec infinita ; non primum , quia ſola cognitio omnium effectuum in & ex cauſa,eſt comprehenſiva cauſæ ; hęc ènim, niſi ſic cognoſcatur , non cognoſcitur quantùm cognoſcibilis eſt.Non ſecundum,quia juxta D.Th. 3.d. q.10. a.3. ad 2. ſola cognitio objecti ſecundùm eſſentiam infiniti , eſt infinita , ſi comprehenſiva ſit ; cognitio enim eſt finita,vel infinita,ex ſola finitate,vel infinitate proprii objecti,proprium autem objectum intellectûs,eſt quidditas ſeu eſſentia ; at collectio omnium poſsibilium non eſt infinita ſecundùm eſſentiam:ergo. *Prætereà*: Juxta eundem S.D.q.20.de verit. a.4. ad 5. Qui cognoſceret per naturam generis,infinitas ſpecies contentas ſub tali genere, finitâ cognitione cognoſceret,quia ſpecies multitudine infinitæ con-

ti-

tinerentur sub natura finita; at omnia possibilia, tametsi multitudine infinita, continentur sub ratione entitatis & quidditatis finitæ: ergo possunt cognosci cognitione finitâ.

254 Prob. 2. conclusio: Quia nec ad talem cognitionem exigerentur infinitæ species in actu, nec una infinitæ perfectionis: Non primum, quia omne ens creabile, habet sufficientem unitatem in ratione cognoscibilis, ut unam potentiam intellectivam, unumque Metaphysicæ habitum, terminet: ergo & in ratione objecti, ut unam terminet & specificet cognitionem, & per unicam speciem repręsentari valeat intellectui. Nec secundùm, species enim repręsentans infinitas species alicujus generis, non esset entitativè infinita, juxta D.Th. ubi suprà, quia omnes continerentur sub eodem genere quidditativè finito; at omnia possibilia continentur sub ratione analoga quidditativè finita: ergo.

Præterea: Sola species infinitò modò repręsentans objectum infinitum, evadit infinita; at species, collectionem possibilium repræsentans, finitò modò illam repręsentaret: ergo. *Tandem*: Sola infinitas objecti in ratione quidditatis, infert infinitatem cognitionis: ergo & speciei; at collectio possibilium, non est infinita in ratione quidditatis, tametsi ex quidditatibus multitudine infinitis coalescat: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

255 Opp. 1. contra primam: Licèt beatus cognoscens in verbo omnia possibilia, cognosceret terminum adæquatum Omnipotentiæ; non propterea hanc comprehenderet: *Tum*, quia beati cognoscunt terminum adæquatum potentiæ generativæ Patris, nempè Filium, quin illam comprehendant. *Tum*, quia juxta D.Th. 3.p. q.10. a.2. ad 2. Anima Christi videt in Verbo omnia quæ Deus cognoscit scientia visionis, quin talem Dei scientiâ comprehendat: ergo. *N.assumpt.* Ad primam prob. resp. disp. esse, quia beati videntes Filium, vident quidem terminum adæquatum potentię generativæ, sed non vident adęquatè; non enim cognoscunt ipsum quantùm cognoscibilis est, quod quidem ad cognitionem comprehensivam Filii, & potentiæ generativæ, desideratur: Videns autè in Verbo omnia possibilia, terminum adæquatum

Om-

Omnipotentiæ adęquatè cognoſceret, & quantùm cognoſcibilis eſt; quippè, nec Deus ipſe poteſt aliquid amplius de ſua potentia cognoſcere; alioquin falſa eſſet ejus cognitio; ſiquidem, ultrà omnium poſsibilium collectionem, non reſtat niſi impoſsibile.

256 Ad ſecundam reſp. ex D.Th. diſp. eſſe, quia licèt ſcientia beata Animæ Chriſti, parificetur ſcientiæ viſionis quantùm ad numerum ſcitorum, non autem quantùm ad modum cognoſcendi; ſcientia enim viſionis, utpotè divina, excedit in infinitum, quantùm ad claritatem cognitionis, ſcientiam animæ Chriſti: quarè nequit iſta illam æquare ſeu comprehendere; ad comprehenſionem quippè requiritur, quòd cognoſcitivitas potentiæ tantæ ſit, quanta cognoſcibilitas objecti, ut num. 238. dictum eſt. Cognoſcens autem in Verbo omnia poſsibilia, cognoſceret omnipotentiam quantùm hęc cognoſcibilis eſt; undè rectè dicit D.Th.hîc a.8. & alibi, *Quòd ille intellectus poteſt in cauſa cognoſcere omnes cauſæ effectus, & omnes rationes effectuum, qui cauſam totaliter comprehendit.*

Adde cum Godoy, intellectum animæ Chriſti, non attingere ſcientiâ beatâ negationes omnium rerum, quas Deus decretô poſitivô voluit non exiſtere; quas tamen cognoſcit Deus per ſcientiam viſionis. Undè ly *omnia*, in teſtimonio D.Th.diſtribuit pro exiſtentibus ſecundùm quodcumque tempus, & etiam pro hominum cogitationibus, quorum eſt Judex Chriſtus D. ſed non extenditur ad dictas negationes, quæ ad illum non pertinent: quare ſcientia viſionis, abſolutè loquendo, excedit ſcientiam beatam Animę Chriſti, non ſolùm quantùm ad modum cognoſcendi, ſed etiam quantùm ad numerum ſcitorum. Alias ſolutiones adducemus, Deô dante, in Tract. de Scientia Animæ Chriſti.

257 Opp.2. contra ſecundam: Objectum infinitum, cujuſmodi eſt collectio omnium poſsibilium, attingi nequit niſi per lumen & cognitionem infinita: ergo. *N.ant.* Deus enim, qui objectum infinitum eſt, videtur à beatis per lumen & viſionem finita. *Vel* diſt.ant. Attingi nequit com-

pre-

prehensivè,& infinitô modô, nisi per,&c.C. quidditativè,& finitô modô, N.

Opp. 3. Species repræsentans talem collectionem, esset ejusdem quidditatis cum illa: ergo esset actu infinita, quod repugnat. *N.conseq.* Collectio enim possibilium,non est infinita quidditativè seu essentialiter, sed multitudine duntaxàt;quod non sufficit,ut infinitatem in cognitionem aut speciem derivet, juxta dicta sup.ex D.Th. *Nec* species repræsentaret infinitô modô collectionem infinitam. *Dices*:Quia Deus est infinitus,nequit contineri quidditativè in specie,finitô modô ipsum repræsentante: ergo idem de collectione infinita possibilium. *Dist.ant.*quia infinitus est utcumque,N. quia infinitus in ratione quidditatis, C. ant. & N. consèq. Implicat enim, speciem finitam,esse ejusdem immaterialitatis gradualis cum Deo, quoàd essentiam infinito; sed non implicat,speciem finitam æquare in gradu immaterialitatis, collectionem possibilium quidditativè finitam: repugnat ergo species finita,Deum quidditativè repræsentans,non autem, possibilium collectionem.

258 Opp. tandèm: Cognitio omnium possibilium extra verbum, denegatur Animæ Christi à D.Th. q.20. de verit.a.5.ad 1.ergo non est possibilis;etenim Animæ Christi tribuenda est omnis perfectio possibilis, si cum majori non sit incompossibilis. *N.conseq.*talis enim cognitio,est perfectio oppositа modo connaturali operandi Animæ Christi, cui connaturale est,juxta S.Doct.3.p.q.11.a.4. recipere species minùs universales speciebus inditis mentibus Angelorum, quibus omnibus esset sanè universalior species, ad cognitionem omnium possibilium necessaria.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum aliqui in hac vita viderint Deum per essentiam?

259 COnclusio: Præter Christum D. Beatiss. Deiparam, Moysen, & Paulum, nullus in hac vi-

vita Deum vidit unquàm. Concluſio eſt exponibilis. *Et quoàd* primum quod affirmat, conſtabit 3.p. ubi oſtenditur, quòd Chriſtus, vitam mortalem degens, divinâ fruebatur eſſentiâ, viator ſimul & comprehenſor. *Quoàd* ſecundum, traditur à Ss. Cypr. Hieron. Alb. Mag. Bonav. Antonino, Bernardino, Th. à Villanova, & communiter à Theologis, ac meritò; quia Beatiſsimæ Virgini, quæ genuit Unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis, aſſerenda ſunt quæcumque privilegia aliis conceſſa, imò majora: hoc igitur privilegium, quod Moyſi & Paulo invenitur conceſſum, ut modò conſtabit, denegandum non eſt Beatiſſ. Virgini, vel in momento Incarnationis Verbi, vel aliô, Deus ſcit. *Quoàd* 3. de Moyſe & Paulo, eſt contra Suarez, Vazq. & alios Societ. DD. adducentes pro ſe Hieron. Chryſoſt. Nazian. Cyrill. & Greg. Frequentior nihilominùs eſt inter PP. & Theologos; ſtant enim pro illa expreſsè, Aug. Baſil. Anſel. Beda, Hugo Vict. Bonav. Duran. Vinc. Ferrer ſer. in Commemor. S. Pauli, Burgenſis, Abulenſis, & alii, cum univerſa Thomiſtarum Schola, 2.2. q. 174. a. 4. & 175. a. 3.

260 Probaturque de Moyſe: Deus enim Numer. 12. volens oſtendere, Moyſen ſingulari prærogativâ donatum, ait: *Palàm, & non per ænigmata & figuras, Deum videt*; quô nihil apertiùs. *Præterea*, Moyſes Exo. 33. petiit à Domino, ut ſe illi oſtenderet ſicuti eſt, juxta expoſitionem majoris notæ PP. Aug. Amb. Baſilii, & D. Th. at hoc Deus illi conceſsit, ut conſtat ex Numeris: ergo. *Reſpondet* Vazquez, falli laudatos PP. exiſtimantes, Moyſen petiiſſe à Domino viſionem ejus per eſſentiam. *Sed* quis non videt, ipſum potiùs falli, quàm primos Eccleſiæ DD? De Apoſtolo autem, ſic ipſemet ſcribit 2. Cor. 12. *Audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Sanè ſi Eſſentiam non vidiſſet, ſed per fidem duntaxàt cognoviſſet altiſsima Dei myſteria, illa êloqui potuiſſet; ſolùm enim ſunt ineffabilia, proùt in Verbo revelata, juxta illud Iſa. 66. *Oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti diligentibus te.*

261 Congruentiam verò pro utroque, afferunt Aug. & Th. Quia ſicut Moyſes fuit primus Doctor Judæorum,

ita

ita & Paulus primus Magister Gentium ; unde congruebat, quòd anteà clarè vidissent divina mysteria , ut essent testes oculati,& dicere possent , *Quod audivimus & vidimus , hoc testamur.* Hinc habetur, nostram sententiam, non propter *solam authoritatem D.Th. & propensionem Augustini, esse valdè probabilem*, ut Platelius existimat. *Tandèm* quoàd id,quod de reliquis Ss.negat concl.est ferè communis, & prob. Nullum enim est fundamentum ad excipiendum aliquem , ultrà memoratos, ab illa generali regula Scrip. Joann. 1.18. *Deum nemo vidit unquàm.* Ex dictis inferes , conclusionem D.Th.a.11.hujus quæst. videlicèt, *Non potest Deus ab homine puro in hac mortali vita videri*,intelligi de potentia ordinaria: in quo sensu, diffinita est contra Begardos & Beguinas ; si verò intelligatur de potentia absoluta, ut placet Ferrarienſi, est sermo in ea de visione , quæ fiat per conversionem ad phantasmata, & dependenter à sensibus; & sic intellecta,non est de Fide, est tamen communis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

262 Oppones 1. Evaristum Papam , in epist. ad Episcopos Africæ , expresè asserentem: *Moysen, cæterosque Prophetas , per ænigmata & figuras duntaxàt , vidisse Deum.* Præterea Joann.1.dicitur, *Deum nemo vidit unquàm : Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* ; ubi excluditur etiam Moyses,fit quippè mentio de illo,versu præcedenti. *Tandèm*: quia Exo.33. respondit Deus Moysi : *Faciem meam videre non poteris: non videbit me homo, & vivet*: ergo. Ad primum R. mentem Pontif. esse, Moysen regulariter vidisse Deum per ænigmata & figuras , sicut alii Prophetæ, tametsi illis sublimiùs: cum quo optimè stat,aliquando eum *palàm , & non per ænigmata & figuras,Deum vidisse*,ut loquitur sacer textus. Sic etiam interpretari potest Aug. tract. 3. in Joan. ubi inclinare videtur in oppositum nostræ conclusionis, quam tamen apertissimè tradit ep.112.cap.12.& 13. & alibi. Ad 2. resp. sensum esse, nullum,nè Moysen quidem , vidisse Deum quoàd omnia mysteria quę Christus nobis in lege gratiæ revelavit , & quæ Angelos ipsos , Dei faciem videntes , latuerunt. *Vel* dicendum , quòd nemo,

præter Christum, Deum vidit comprehensivè. Sic communiter PP. Dion.Aug.Chrysost. D.Th. Bonav. videndi apud Card. Capisuccum, controv.20. *De visione* etiam comprehensiva intelligendum est illud aliud Joan.6. *Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo.* Illud autem Exo. *Non videbit me homo, & vivet*, intelligendum est, quòd ut quis Deum videat, necesse est, aliquô modô huic vitæ mori, vel totaliter, vel per alienationem à sensibus, ut perpetuò interpretantur Ss. Aug.& Th. *Ad* 3.R. denegatam quidèm fuisse Moysi divinæ Essentiæ visionem pro tunc; concessam tamen illi fuisse posteà, ut constat ex Numeris.

263 Opp.2. Paulus in raptu, habuit Fidem & Spem; at istæ esse non possunt simul cum visione divinæ Essentiæ, ut habetur 1.Cor.13. ergo. *Respondet* D.Th.2.2.q.175.a. 3.ad 3. Paulum tunc non fuisse beatum habitualiter, sed solùm habuisse actum beatorum; ac per consequens caruisse pro tunc actu Fidei, non autem habitu. *Dices*: Si Paulus vidisset in raptu divinam Essentiam, elicere non potuisset actum Fidei circa illam, adhùc cessante visione, recordabatur quippè, se vidisse quæ vidit; nullus autem credit ea, quæ se vidisse meminit: sicut qui recordatur, se vidisse Romam, non potest habere fidem de existentia Romæ. *N.* sequel. peractâ enim visione, non mansit in Paulo habitualiter lumen gloriæ: Semèl autem visâ ab aliquo Româ, producitur in eo habitualis cognitio certa & infallibilis, opposita habitui Fidei; sicut unicô demonstrationis actu producitur scientia. Sic Medina, & Bañes, qui aliqua scitu digna inde infert in fol.ad ult.hujus dubii. Aliam fol. satis probabilem vide apud Cajet.ibi.

264 Opp.tandèm contr.ult.S. Benedictum mirabili illâ visione, quam refert Greg. l.2. Dial.c.35. luce desuper fusâ, existimasse, se videre totum universum: ergo vidit divinam Essentiam. *R.* visionem illam totius universi, factam non fuisse in divina Essentia; sed per quandam extraordinariam illustrationem, ut ostendit D.Th. quodl. 1.a.1. Nec credibile est, Gregorium Benedicto asserere privilegium, quod Moysi & Paulo apertè negat.

TRA-

TRACTATUS III.
DE SCIENTIA DEI.

*Ad quæst.*14. 1.*part. D.Th.*



UM operari sequatur ad esse; ordo doctrinę postulat, ut postquàm de pertinentibus ad esse, seu substantiam Dei, egerimus; de perfectionibus, ad operationem ipsius spectantibus, differamus: operationum autem, internæ priores sunt, inter quas, primùm occurrit divina intellectio & scientia. De hac igitur, in hoc & sequenti Tractatu, peragemus. Sit ergo

DISPUTATIO I.

De existentia Scientiæ Dei.

DUBIUM UNICUM.

Utrum in Deo sit Scientia?

265 SCientia sumitur impręsentiarùm, pro cognitione intellectiva, certa & evidenti. In quo sensu, conclusio est affirmativa,& Fide certa ex innumeris Scrip. locis. Demonstratur prætereà à priori,ex immaterialitate Dei: omnis quippè substantia immaterialis, est cognoscitiva, quod prob. *Tum*, quia eò plantæ cognoscitivæ non sunt, juxta Phil.2. de anima, quia materiales sunt. *Tum* per descensum ad singularia, scilicèt,ad Angelos,& animam rationalem: *Ac demùm*, pro-

propter discrimen assignatum à D. Th. inter non cognoscentia, & cognoscentia: illa enim nihil habent nisi formam suam tantùm; cognoscentia verò, nata sunt habere formam etiam rei alterius; nam species cogniti, est in cognoscente: unde non cognoscentia, sunt magis coarctata, & limitata, quàm cognoscentia; at limitatio formæ, est per materiam: ergo immaterialitas alicujus rei, est ratio quòd sit cognoscitiva, & secundùm modum immaterialitatis, est modus cognitionis. Vide D.Th. 1.contra Gent. c.44. ubi 7.rationibus ostendit hanc catholicam conclusionem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

266 Opp.1. Non omnis substantia immaterialis, est cognoscitiva: ergo ratio D.Th. falsò nititur principiò. Prob. ant. *Primò*: Inter substantiam immaterialem, & vim cognoscitivam, nulla datur connexio; nec enim provenit ex conceptu substantiæ, aliàs, etiam planta esset cognoscitiva; nec ex conceptu immaterialitatis, alioquìn voluntas cognoscitiva foret; nec demùm ex complexo ipso *substantiæ immaterialis*, complexum quippè nihil est, aut habet, pręter ipsas partes: ergo. *Secundò*: Non omnis substantia corporea, est operativa operatione corporeâ, ut patet in Cœlo Empyreo: ergo nec omnis substantia spiritualis, est operativa operatione spirituali. *N.ant.* ad primam prob. R. quòd licèt vis cognoscitiva non procedat ex conceptu substantiæ, neque ex conceptu spiritualis, seu immaterialis, seorsim sumptis; procedit tamen ex ipsis, simul sumptis, nimirùm, ex isto complexo, *Substantia spiritualis*. Porrò complexum, nihil habet quod ei non proveniat à partibus simul sumptis; plura nihilominùs habent complexa, quæ partibus seorsim sumptis convenire non possunt: homini enim v.g. convenit esse compositum, substantiam completam, & id genus alia; quæ nec animæ, nec materiæ hominis, convenire possunt.

Ad secundam N. ant. Cœlum autem Empyreum, tametsi corpora inferiora non moveat, *aliquid tamen fixum & stabile influit in primum mobile, scilicet, virtutem continendi, & causandi, vel aliquid hujusmodi ad dignitatem pertinens*, ut

lo-

loquitur D.Th.inf.q.66.a.3.ad 2. *Potest aliter dici* (subdit S. D. ad 4.) *quòd habet lucem Cœlum Empyreum, non condensatam ut radios emittat, sicut corpus Solis, sed magis subtilem:* Aliquid ergo agit, scilicèt, hanc lucem. Admissò deinde ant. N. conseq. unumquodque enim operatur, secundùm quòd est in actu, & perfectum, cujusmodi est substantia spiritualis, quà talis; secùs corporea: Admissâ igitur substantiâ corporeâ non operativâ; non propterea admitti debet substantia spiritualis non operativa operatione spirituali.

267 Opp. 2. Non cognoscentia recipiunt etiam formas aliarum rerum; aqua enim v.g. recipit calorem ab igne, speculum, formam rei sibi objectæ, & aër, species sensibiles quas defert ad sensus: ergo discrimen assignatum à D.Th. inter non cognoscentia, & cognoscentia, non subsistit. *R.* mentem D.Th. esse, Quòd cognoscentia recipiunt species, quæ simul sunt formæ aliarum rerum, & cognoscentium; at non cognoscentia, nullam recipiunt formam, quæ simul sit forma ipsorum, & aliarum rerum. Patet primum in specie intelligibili, quæ rem, quam repræsentat, reddit actu intelligibilem, seu cognoscibilem, illius esse intentionale præsefert, pro illaque substituit; & simul potentiam, cui repræsentat, determinat ad cognoscendum; ac proindè utriusque est forma. Secundum autem, constat in exemplis objectis: Licèt enim aqua recipiat calorem ab igne; calor tamen, non est forma ignis simul & aquę: quanvis speculum recipiat imaginem rei sibi objectæ; imago tamen, non est forma rei simul & speculi: demùm, tametsi aër species sensibiles recipiat; hæ tamen, non sunt simul formæ aëris & objecti: Undè nec aqua, nec speculum, nec aër, recipiunt formas aliarum rerum, ad sensum D.Th. Calor siquidem aquæ, est forma illius, sed non ignis, à quo procedit; utriusque enim calor, distinctus est: imago non est forma speculi, cui nihil repręsentat; sed, mediante illò, repręsentat potentiæ: nec tandèm species sensibiles, sunt forma aëris, cui nihil repræsentant. At species intelligibilis (de qua loquitur D.Th. ut constat ex littera,) êadem omninò manens, & est forma rei, quam repræsentat, & est forma potentiæ, cui repræsentat.

Opp.

268 Opp. 3. Si immaterialitas esset radix intellectivi, per illam constitueretur metaphysicè Deus, imò Angelus,& anima rationalis; quod communi Theologorum sensui adversatur: ergo. *R.* ex dictis n. 128. immaterialitatem esse radicem intellectivi, quasi in genere physico; quapropter, Deus metaphysicè constituendus est per intellectivum, non per immaterialitatem; differentia enim metaphysica, oriri potest quamoptimè ex aliqua radice physica: sicut rationale hominis, ex forma entitativè spirituali desumitur, quin hæc, & non potiùs illud, sit differentia metaphysica hominis.

269 Opp. ult. Principium illud, *Omnis substantia immaterialis, est cognoscitiva*, aliquas patitur instantias, illius veritatem probabiliter saltèm infringentes, ut, ex suprà objectis contra illud, apparet. *Discrimen* præterea, inter non cognoscentia,& cognoscentia, probabiliter ad summum, infert tale principiũ; plures quippè subortæ sunt opiniones circa talis discriminis sensum: ergo ratio, illi principio innixa, demonstratio esse non potest. *Resp.* quòd omnia quæ contra laudatum principium objici solent,& possunt, evidenter solvuntur; & planè demonstratur, esse, ut in plurimum, sophistica: quapropter, veritatem illius non enervant, aliàs nullum esset assignabile principium certum & evidens, utpotè, adversus quodcumque, formari possunt objectiones, & plerùmque difficillimæ, in quibus dissolvendis,& principiis firmandis, versatur habitus sapientiæ. *Nec* urget quod additur contra discrimen assignatum; hoc enim principium, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se*, diversimodè explicatur, variæque opiniones circa illius veritatem circumferuntur, quin propterea, à gradu & dignitate principii certissimi & per se noti, cadat.

DIS-

DISPUTATIO II.

De Scientia Dei in ordine ad se.

DUBIUM I.

Utrum cognitio Dei, sit propriè & strictè scientifica respectu Attributorum & creaturarum?

270 SUpponimus 1. Deum se ipsum per se ipsum intelligere, est enim actus purus, nihil habens potentialitatis; unde intellectus, & intellectum, in eo, omnibus modis sunt idem, nec unquàm carens specie intelligibili, nam ipsa species intelligibilis Dei, est ipse intellectus divinus. *Supp.2.* contra Vazquez, cognitionem divinam, esse propriè & rigorosè scientificam: quod, ultrà Scripturarum oracula, ratio manifestè convincit: cùm enim cognoscat Deus essentiam suam, & omnes rerum causas; *res per suas causas cognoscat*, necesse est. *Prætereà*: Scientia strictè sumpta, est perfectio simpliciter simplex, & consequenter Deo asserenda, non minùs quàm sapientia, prudentia, &c. *Tandem*: Scientia strictè sumpta, non exigit discursum formalem, & causalitatem inter principiorum & conclusionis assensum: hæc quippè non exigit sapientia Dei, quam negare non audebit Vazquez, nec scientia Angeli, quam omnes agnoscunt rigorosam. Videatur D.Th. a.1. & 2. hujus quæst.14. His suppositis, sit

271 Conclusio: Cognitio divina, est propriè scientifica respectu attributorum, & creaturarum, etiam quoàd istarum quidditates; scientia tamen à posteriori esse non potest. Prob.quoàd 1.p.*tum*, quia sapientia (quæ propriè & rigorosè est scientia) tribuitur Deo respectu divinorum, ab Apost.Rom.11.juxta D.Th.exponens enim illud, *O altitudo sa-*

sapientiæ, & scientiæ Dei ait S. Doct. *Habet enim sapientiam de divinis, & scientiam de rebus creatis*; at sapientia Dei, non est de sua quidditate: ergo de attributis: *tum*, quia ad scientiam propriè dictam, sufficit causalitas virtualis inter mediũ demonstrationis, & extremum demonstratum; aliàs nec metaphysica demonstraret & sciret proprietates entis, nec nostra Theologia, attributa Dei per ejus essentiam, aut unum attributum per aliud: non est igitur vel apparens ratio, ad denegandam Deo scientiam strictam respectu attributorum.

272 Secunda pars conclusionis, patet: Quia rerum essentiæ continentur in essentia Dei, tanquàm in causa exemplari, efficienti, & finali: ergo cognoscuntur à Deo tanquàm per causam. *Præterea*: Essentiæ possibilium, connectuntur cum omnipotentia, ut alibi ostendemus: ergo per istam, tanquàm per medium, vel causam, demonstrari possunt. *Ultima* demùm pars, constat: quia scientia à posteriori, involvit imperfectiones, Deo denegandas, nimirùm, quòd causa, quæ naturâ suâ est notior effectu, sit ita scienti minùs nota, quàm effectus. *Importat* insuper aliquam causalitatem ex parte actûs; alioquìn, nullô modô esset *cognitio rei per causam*, ac per consequens nec scientia, juxta tradita in libris poster. *Est* denique cognitio rei abstractiva, & quoàd *an est* duntaxàt. Nec hujusmodi imperfectiones scientiæ *à posteriori*, excludi possunt per consortium scientiæ *à priori*, & *propter quid*, quam Deus simul habet de rebus: sicut, si Deus haberet cognitionem probabilem alicujus veritatis, quam aliundè certò & evidenter cognosceret, imperfectionem nihilominùs Deo afferret.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

273 Oppones 1. adversus 2. supp. Scientia enim strictè dicta, cùm sit cognitio rei per causam, secum affert discursum propriè & formaliter sumptum, Deo repugnantem: ergo. *N. assump.* Ad cognitionem quippè rei per causam, sufficit, quòd eâdem & indivisibili cognitione, per diversas terminationes aut virtualitates, attingatur causa rei, ut rem manifestans ex parte objecti, & res ipsa, tanquàm manifesta-

ſtata per cauſam : in quo nullus diſcurſus formalis , aut tranſitus à cauſa ad rem , ex parte actûs , intervenire debet. *Dices* : Cognoſcere rem per cauſam , exigit cauſalitatem quandam , & tranſitum à cognitione cauſæ ad cognitionem rei , aliàs non diſtingueretur à cognitione rei , & cauſæ: ergo. *Prætereà*: Demonſtratio rigoroſa , per quam habetur ſcientia propriè dicta , exigit diſcurſum formalem; eſt enim ſyllogiſmus formalis: ergo.

N. ant.& prob. Cognoſcere enim *rem, & cauſam*, ſolùm dicit ex parte objecti , quòd ſimul res, & cauſa cognoſcantur ; quaſi per accidens concurrentes ex parte objecti ; at cognoſcere *rem per cauſam* , importat cauſalitatem ex parte objecti , dicit enim , quòd cauſa,ſit ratio vel medium illuminans rem , ut cognoſcatur ; non tamen importat cauſalitatem ex parte actûs , quam ſecum fert ſcientia à poſteriori , Deo propterea denegata. *Ad* 2. R. quòd demonſtratio , per quam habetur ſcientia propriè talis , ſatis eſt,quòd ſit virtualiter talis: unde ſicut non valet: *Eſt ſcientia proprie : ergo propriè habitus*, vel *proprie acquiritur*;ita non tenet : *Eſt ſcientia propriè dicta : ergo per demonſtrationem proprie & formaliter talem.*

274 Oppones 2.ad idem : Nullum eſt aſsignabile objectum primarium ſcientiæ divinæ ſtrictè ſumptæ , eſſentia quippè Dei, ſpecificat ejus intelligentiam , attributa autem ipſius(ſicut eſſentię & quidditates creaturarum)non poſſunt eſſe objectum primarium cognitionis divinæ , hæc enim ad ſolam Dei eſſentiam primariò terminatur. *N.ant.* Ad 1. probationem R. quòd divina Eſſentia , in ſe ipſa inſpecta, ſpecificat intelligentiam; quatenùs verò eſt medium,ſeu radix attingendi alia per illam tanquàm per cauſam,ſpecificat ſcientiam divinam,eſtque illius objectum terminativum:ſicut etiam bonitas divina , ſub diverſis reſpectibus amabilis, diverſas ſpecificat virtutes,ad divinam voluntatem pertinétes. *Ad* 2.reſp. quòd attributa divina , proprietates & accidentia rerum creatarum , ut contenta in divina eſſentia, velut in medio & ratione attingendi illa, eſſe poſſunt objectum primarium divinæ cognitionis , quanvis non in ſe ipſis.

ipsis. Et benè nota, oppositam sententiam negare Deo scientiam rigorosam, non defectu objecti specificativi, sed solius discursûs: undè argumentum non est ad mentem sententiæ oppositæ.

275 Oppones 3. contra conclusionem, D. Thomam 1.contra Gent.asserentem, non posse dari demonstrationem à priori de Deo,ait enim,*quòd non potest demonstratio de ipso* (Deo) *fieri, nisi per effectum*: ergo. *R.* loqui S. Doct.de cognitione quam homo habere potest in via, de Deo, & quidem lumine naturali: Deus autem, cùm se ipsum comprehendat, demonstrare potest à priori attributa de sua essentia. Imò & Theologus viator,ex principiis Fidei,plura à priori de Deo demonstrat. *Vel* dic cum Ferrar.D.Th. solùm negare demonstrationem à priori, quâ passio realiter à subjecto distincta demonstratur de illo.

276 Oppones 4. Deus nequit cognoscere attributa per essentiam,tanquàm per causam; essentia enim attingi nequit ut causa attributorum,nisi ab intellectu creato,talem causalitatem fingente. *R.* quòd ut intellectus divinus habeat cognitionem scientificam de attributis, satis est cognoscere ista per essentiam, tanquàm per causam virtualem; alioquìn, nec de proprietatibus entis haberet Deus cognitionem scientificam, per essentiam entis à qua dimanant,& quam,non nisi ut causam virtualem illarum, attingere potest. Porrò ut cognoscat Deus essentiam suam, ut causam virtualem attributorum; sufficit, quòd cognoscat attributa, ut attingibilia ab intellectu creato per essentiam, tanquàm per causam. *Dices*: Quòd Deus cognoscat aliquam veritatem,ut probabiliter attingibilem per aliquod medium ab intellectu creato,non sufficit,ut Deus habeat de illa cognitionem probabilem: ergo nec sufficit, ut habeat scientiam de Attributis,quòd cognoscat ista, ut attingibilia ab intellectu creato per essentiam, tanquàm per causam. *N.conseq.*quia si medium sit cum veritate connexum, Deus cognoscet istam certò per illud; sin autem, nullô modô: at si cognoscit Attributa,ut attingibilia ab intellectu creato per essentiam tanquàm per causam; cognoscit utiquè essentiam,ut causam

vir-

virtualem attributorum, quòd satis est, ut attributa scientificè cognoscat. Et quidèm cognitio probabilis, ob impręscindibilem imperfectionem, repugnat planè Deo, secùs scientifica.

277 Opp. 5. Virtualis causalitas inter essentiam & attributa, non sufficit, ut hęc terminent electionem divinam; nam electio, est actus liberi arbitrii, Deus autem non liberè, sed omninò necessariò, sua prosequitur attributa, quæ insuper habent rationem ultimi finis, non minùs quàm essentia: ergo nec sufficit, ut divinam terminent scientiam; intentio etenim finis, comparatur ad electionem mediorum in appetibilibus, sicut cognitio principii, ad conclusionis assensum in speculabilibus. *R.* disp. esse, quia essentia divina, ut antevertens virtualiter attributa, potest per modum principii terminare cognitionem intelligentiæ, veritas enim primi principii, stat in ipsa rei quidditate, ut cum Phil. docet D.Th. At proùt sic, nequit per modum finis terminare intentionem; nam essentia constituitur in ratione finis ultimi, per bonitatem, quæ quoddam attributum est, quam proinde explicare non potest, proùt antevertit attributa. *Nec* oportet, dari intentionem finis, & electionem mediorum, ubicunque datur assensus principiorum, & conclusionis; sed vulgata illa comparatio, sic intelligitur: Ubicumque detur intentio finis, & electio mediorum; servetur inter hos actus proportio, quæ datur inter assensus principiorum & conclusionis, nimirùm, quòd sicut assensus principiorum, est prior, & causa assensûs conclusionis: ita intentio finis, sit prior, & causa electionis mediorum.

278 Opp. tandèm contra ult.p.concl. Scientia à posteriori, nullam dicit imperfectionem: ergo. Prob.ant. *Primò*, quia illam Deo asserere videtur D.Th. ait quippè non semèl, *Deum videre se ipsum in creatura repræsentatum*. *Secundò*, quia causa verè est cognoscibilis per effectum, iste enim cum illa connectitur: ergo. *Tertiò*, nam scire quidquid scibile est, perfectionem potiùs, quàm imperfectionem, importat; at causa est scibilis per effectum, seu à posteriori: ergo. *Præterea*: Cognoscere effectum comprehensivè, & quan-

quantùm cognoscibilis est, nullam dicit imperfectionem; at effectus est cognoscibilis, quatenùs ducit in cognitionem causæ: ergo. *Tandem*: Angelus nequit ex una cognitione ad aliam transire, cùm sit incapax discursûs formalis; at plura à posteriori scit: ergo scientia à posteriori, talem transitum, seu causalitatem ex parte actûs, non requirit.

179 N. ant. ad 1. prob. R. *Deum cognoscere se in creatura repræsentatum*, nihil esse aliud, quàm videre per suammet essentiam, creaturam, & simul imperfectam repræsentationem Dei, quam creatura præfert: hoc autem, potiùs est habere scientiam à priori de creatura, tum in se, tũ ut Dei repræsentativa, quàm habere de se ipso, ut in creatura repræsentato, scientiam aliquam à posteriori. *Ad secundam* R. causam verè esse cognoscibilem per effectum, sed cum imperfectionibus n. 272. recensitis. *Ad tertiam* R. quòd *scire quidquid scibile est*, si sermo sit de substantia rei scitæ, maxima perfectio est; at si de modo sciendi, importare imperfectionem potest, ut patet in *scire per discursum formalem*, quod quidam modus sciendi est, imperfectus tamen. *Ad quartam* similiter R. quòd cognoscere effectum quantùm cognoscibilis est, quasi signatè, est ipsum comprehendere; at cognoscere exercitè illum, quantùm cognoscibilis est, si de modo cognoscendi sit sermo, nihil omninò conducit ad perfectam & comprehensivam cognitionem illius.

Ad ult. dist. maj. Nequit ex una cognitione in aliam transire, transitu reali ex parte actûs, C. transitu virtuali ex parte actûs, & reali ex parte objecti, N. & conc. min. N. conseq. Cùm enim possit Angelus ignorare re verâ causam, & effectum in se ipso cognoscere; potest subinde duci per effectum in cognitionem causę, tametsi unicò actu effectum & causam attingat. Itaque respectu intellectûs angelici, datur re verâ causalitas objectiva in scientia à posteriori, quatenùs scilicèt, potest effectus, esse ratio vel medium cognoscendi causam, aliundè non cognitam. In quo maximè differt à Deo, qui, cùm sit actus purissimus, nullô prorsùs modô valet nescire causam.

DU-

DUBIUM II.

Utrum Deus comprehendat se ipsum?

280 CONclusio est affirmativa, & Fide certa ex illo 1.Cor.2. *Spiritus* (Dei) *scrutatur etiam profunda Dei* : etenim *scrutari*, sumitur pro *comprehendere*, juxta PP. expositionem. Prob. autem: Quia Deus cognoscit se ipsum quantùm cognoscibilis est ; eatenùs enim aliquid cognoscitivum est , & cognoscibile , quatenùs est in actu , & à materia potentiâque separatum ; immaterialitas quippè est radix utriusque cognoscibilitatis , & activę , & passivæ : Cùm igitur Deus sit perfectissimè immaterialis, perfectissimè cognoscitivus & cognoscibilis est ; ac proinde tantùm cognoscit se, quantùm cognoscibilis est, & consequenter perfectè se comprehendit. Recolantur dicta de comprehensione sup. à n. 237.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

281 Opp. 1. Incomprehensibilitas est attributum Dei: ergo cônvenit illi, etiam respectu proprii intellectûs. *Præterea* : Juxta Aug.l.83.qq.q.14. *quod comprehendit se, finitum est sibi*; at Deus non est finitus sibi , aliàs , veriùs diceretur finitus, quàm infinitus; veriùs est enim unumquodque, secundùm quòd est apud Deum , quàm secundùm quòd est apud nos : ergo. *Ad* 1. R. incomprehensibilitatem convenire Deo etiam respectu proprii intellectûs , signatè : cognoscit quippè, se esse incomprehensibilem à creatura ; non autem exercitè, cùm se ipsum comprehendat: sic etiam est attributum Dei, *invisibilitas*. Ad secundam , dist· maj. Quod comprehendit se propriè, finitum est sibi, C. Quod comprehendit se communiter, subdist. Finitum est sibi , finitudine similitudinariâ & negativâ, C. positivâ & propriâ , N. Itaque *comprehendere* , si propriè accipiatur , significat aliquid, habens & includens alterum; & sic oportet, quòd omne comprehensum, sit finitum , sicut omne inclusum : Deus autem non comprehendit se sic, sed communiter ; undè hæc locu-

tio,

tio, *Deus comprehendit se ipsum*, exponenda est per negationem, nempè, *Nihil ejus latet ipsum*: quemadmodùm dicitur esse in se ipso, quia à nullo exteriori continetur. *Cùm* verò *dicitur, quòd Deus finitus est sibi, intelligendum est secundùm quandam similitudinem proportionis: quia sic se habet in non excedendo intellectum suum, sicut se habet aliquid finitum in non excedendo intellectum finitum; non autem sic dicitur Deus sibi finitus, quòd ipse intelligat, se esse aliquid finitum.* Sic D. Th. hîc a.3.ad 1.& 2. & q.2.de verit.a.2.ad 2.

282 Opp.2. Tunc aliquid comprehenditur, cùm pervenit ad finem cognitionis sui; at Deus non pervenit ad finem cognitionis sui, cognitio quippè Dei, finem non habet: ergo. *Praterea*: Infinitum pertransiri non potest, nec à finito, nec ab infinito, ut dicitur 6.physic. ergo cùm Deus sit infinitus, non potest à se pertransiri: ergo nec comprehendi. *Ad* 1.dist.maj.dum pervenit ad finem cognitionis, positivè, N.ad finem negativè, C. & sic distinctâ min.N.conseq.Finis cognitionis negativè, est perfectio cognitionis, ita quòd nihil objecti lateat cognoscentem; finis autem cognitionis positivè, est terminus, quô terminatur & limitatur cognitio. Pervenire ad finem cognitionis primô modô, exigitur ad comprehensionem, & convenit Deo respectu sui, quin evadat finitus sibi, nisi similitudinariè & negativè, ut dictum est: Sed pervenire ad finem cognitionis secundô modô, nec ad comprehensionem exigitur, nec Deo convenire potest. *Ad* 2. R. cum D.Th. infrà, a.12.ad 2.N.secundam conseq. quia *transitio importat quandam successionem in partibus; & inde est, quòd infinitum transiri non potest, neque à finito, neque ab infinito; sed ad rationem comprehensionis, sufficit adæquatio: quia id comprehendi dicitur, cujus nihil est extra comprehendentem; unde, non est contra rationem infiniti, quòd comprehendatur ab infinito: Et sic, quòd in se est infinitum, potest dici finitum scientiæ Dei, tanquàm comprehensum; non tamen tanquàm pertransibile.* Sic D.Th. Et nota benè, quòd licèt S.D.q.2.de verit.a.2.ad 7. dicat, quòd *ratio infiniti, quâ dicitur intransibile, est ratio infiniti privativè accepti, de quo* (inquit, & quidem optimè) *nihil ad propositum*; nunquàm tamen dicit,

in-

infinitum negativè (cujuſmodi eſt Deus) pertranſiri poſſe, nè quidèm à ſe ipſo, ut non rectè exiſtimat quidam modernus ſapientiſſ. cui prima ſolutio non arriſit, tanquàm tradita à Dom. Godoy.

283 In art.4. reſolvit S.Doct. intelligere Dei, eſſe ejus ſubſtantiam: *Tum*, quia aliàs divina ſubſtantia ſe haberet ſicut potentia ad actum; quia intelligere, eſt actus & perfectio. *Tum*, quia intelligere Dei, eſt ſpecies intelligibilis, eſt enim actus ſpeciei; in Deo autem, omnis actus cujuſcumque formæ, eſt ipſa forma, utpotè infinitus; at ſpecies intelligibilis in Deo, eſt ſubſtantia Dei, eſt quippè omninò ſimplex, ut n. 130. oſtenſum eſt: ergo intelligere Dei, eſt ejus ſubſtantia. Quare in Deo, intellectus, id quod intelligitur, ſpecies intelligibilis, & ipſum intelligere, ſunt omninò unum & idem. Circa hunc art. exagitari ſolet dub. de conſtitutivo metaphyſico Dei, quod reſolvimus ſup. à n.114.

DISPUTATIO III.

De Scientia Dei, in ordine ad alia à ſe.

DUBIUM I.

Utrum Deus cognoſcat alia à ſe?

284 CONcluſio: Neceſſe eſt, Deum cognoſcere alia à ſe; non quidem in ſe ipſis, ſed in ſe ipſo. Prima pars conſtat: *Tum* ex illo ad Hebr. 4. *Omnia nuda & aperta ſunt oculis ejus*, & innumeris aliis Scrip. locis. *Tum*, quia Deus ſe ipſum perfectè cognoſcit: ergo & virtutem ſuam: ergo & ea, ad quæ ſe extendit ſua virtus: ergo alia à ſe. *Tum* demùm, quia cùm Deus producat, conſervet, & gubernet creaturas, neceſſe omninò eſt, quòd eas cognoſcat, aliàs in omnibus his, cæcô & ignoranti modô procederet. *Secunda* autem pars, etiam patet: quod enim non videtur

per ſuam propriam ſpeciem, adæquatam ipſi cognoſcibili, ſed per ſpeciem & ſimilitudinem alterius; non videtur in ſe ipſo, ſed in illo alio; ſed Deus videt alia à ſe, non per ſpecies proprias, & adęquatas rebus cognoſcibilibus, ſed per eſſentiam ſuam, tanquàm per ſpeciem, quatenùs ſcilicèt, eſſentia continet ſimilitudinem aliorum ab ipſo: ergo. Et ſanè, ſi Deus cognoſceret alia à ſe, per proprias eorum ſpecies, iſtę eſſent forma & perfectio intellectûs divini; quod repugnat prorsùs. Vide 1. contra Gen. c. 46.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

285 Opp. 1. cum Aureolo exiſtimante, Deum cognoſcere alia à ſe, ſecundùm ſolam eminentiam, quâ in ipſo continentur: quia cognoſcens, fit ipſum cognitum, ſaltèm in eſſe intelligibili; at Deus neutiquàm fieri poteſt creatura, ſecundùm eſſe proprium ipſius creaturę, utpotè finitum & limitatum, ſed tantùm ſecundùm illud eſſe eminens creaturarum infinitum: ergo. *Prætereà*: Quia aliàs divina cognitio ſe extenderet ultra ſuum ſpecificativum & adæquatum objectum, quod aliud eſſe non poteſt, quàm eſſentia divina cum Attributis & Perſonis: ergo. *Ad* 1. *R.* Tunc cognoſcens fieri cognitum intelligibiliter, quando res per propriam ſpeciem cognoſcitur; ſecùs quando per alienam, nam tunc, non ipſa res ſic cognita, ſed illa alia cujus eſt ſpecies, fit idem cum intelligente; etenim identitas illa, fit ratione ipſius ſpeciei: Deus ergo cognoſcens creaturas per eſſentiam ſuam, cum iſta fit intelligibiliter idem, non cum creaturis. *Ad* 2. N. ſequelam: Deus enim cognoſcit omnia per ordinem ad ſe ipſum, ſicut omnia propter ſemetipſum operatus eſt; objectum ſiquidem ſpecificativum & adæquatum divinæ cognitionis, in recto, & primariò, ſolam divinam eſſentiam importat; connotat tamen in obliquo creaturas, ut effectus ſuos, quæ propterea cognoſci poſſunt ab ipſo ſecundariò, ſecundùm ſuum eſſe creatum: potentia enim tametſi ferri non poſsit ultra objectum adæquatum, tàm in obliquo importatum, quàm in recto; benè tamen ultra ipſum, in recto ſolùm importatum: Sic intellectus noſter attingit ens rationis, & Theologia agit de

crea-

creaturis, quin extra ſuum objectum ferri cenſeantur.

286 Opp. 2. Hieron. ſuper illud Abac. 1. *Mundi ſunt oculi tui*, aſſerentem, quòd *abſurdum eſt, ad hoc Dei majeſtatem deducere, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotque moriantur*: ergo Deus non videt ſigillatim & diſtinctè omnes creaturas. R. cum Mag. Sent. Doct. Maximum non negare Deo diſtinctam cognitionem rerum minimarum, ſed ſpecialem illam duntaxàt providentiam, quam habet circa rationales creaturas. Sic etiam exponitur à D. Th. infr. q. 22. a. 2. ad 5. illud 1. Cor. 9. *Numquid de bobus cura eſt Deo? Dicendum* (inquit) *quòd quia creatura rationalis habet per liberum arbitrium dominium in actus, ut dictum eſt, ſpeciali quòdam modò ſubditur divinæ providentiæ, ut ſcilicèt ei imputetur ad culpam, vel meritum, & reddatur ei aliquid ut pœna, vel præmium. Et quantùm ad hoc, curam Dei Apoſtolus à bobus removet; non tamen ita, quòd individua irrationabilium creaturarum, ad Dei providentiam non pertineant, ut Rabbi Moyſes exiſtimavit.* Et ſanè de mente Hieronymi dubitare non poterit, qui legerit ea quę docet ſuper illa verba Jerem. 32. *Deus univerſæ carnis*: quapropter dicendum eſt, locutum fuiſſe in loco objecto, juxta aliorum ſententiam: ſæpè enim refert in ſuis Commentariis, aliorum opiniones, ſuppreſsis nominibus, non definiens, veræ, an falſæ ſint, ut ipſemet non ſemèl reſpondet lib. 1. contra Ruf. Quod valdè notandum eſt.

287 Opp. 3. Si Deus cognoſceret alia à ſe, etiam cognoſceret actu creaturas poſsibiles; ſed illas actu non cognoſcit, cùm enim actu non ſint, actu non ſunt cognoſcibiles: ergo. *Prætereà*: Si Deus cognoſceret alia à ſe, tametſi ſecundariò, divina cognitio dependèret ab illis, illud quippè dependet ab alio, quod ſine illo ſubſiſtere nequit; at ſine creaturis ſubſiſtere nequit cognitio divina de illis: ergo. *Ad* 1. *R.* poſsibilia in ſtatu poſsibilitatis, eſſe actu *ens* nominaliter, & quatenùs dicit concretum eſſentiæ; quanvis non ſit actu *ens* participialiter, ſeu proùt dicit concretum exiſtentiæ: unde ſunt actu nihil, proùt iſtud opponitur enti participialiter; non autem proùt opponitur enti nominaliter. *Ad*

2.N.sequel.ad prob.N.maj. Omnipotentia enim deficeret, si deficerent possibilia,quin propterea ab illis dependeat. Ad dependentiam igitur potentiæ ab objecto, requiritur, quòd connexio inter illa, oriatur ex subordinatione potentiæ ad objectum.

DUBIUM II.

Utrum Deus cognoscat alia à se propria cognitione, & sine discursu?

288 CONclusio est affirmativa, & sensus primæ partis, est, Deum cognoscere res omnes, non solùm in communi,sed ut ad invicem distinguuntur.Et sic intellecta, est de Fide, imò nota lumine naturali: convincitur enim iisdem Scrip.locis, iisdemque rationibus,quibus probatur, Deum cognoscere alia à se: testimonia enim Scripturæ, loquuntur generaliter de rebus omnibus, ut ab invicèm distinctis. Rationes verò fundantur in eo, quòd Deus creat,conservat,& gubernat omnia,proindeque ea cognoscere debet: cùm ergo creatio, conservatio, & gubernatio, extendant se ad proprias quarumcumque rerum differentias; idem de divina cognitione dicendum est. *Constat* præterea ex illo ad Hebr.4. *Et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs,compagum quoque ac medullarum,& discretor cogitationum & intentionum cordis. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Deinde hâc ratione: Quia essentia Dei,per quam ipse alia à se cognoscit,singulas eorum perfectiones continet: ergo. *Tandem*,quia aliàs imperfecta esset Dei cognitio: sicut imperfecta est cognitio intellectûs nostri procedentis de potentia ad actum, quia res in communi & in confuso duntaxàt attingit.

289 Secunda autem pars excludit à scientia Dei discursum formalem. Et sic intellecta, est pariter de Fide, ut multis ostendit D.Th. 1.contra Gent. c.55.& 56. Pro nunc sufficit illud Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio,nec vicissitudinis obumbratio.*Cognoscitur insuper lumine naturali, ut ibidem cap.57. convincit S. Doct. Notum quippè est,

mul-

multiplicitatem actuum, vel aliquarum rerum ignorantiam, divinæ simplicitati & perfectioni repugnare; & tamen utraque, vel alterutra, in discursu formali indispensabiliter includitur. *Constat* præterea ex illo Aug. 3. de Trinit. *Deus non particulatim omnia videt, velut alternante conspectu hinc illud, inde huc; sed omnia videt simul.* Deinde hâc ratione : Quia in scientia nostra duplex est dircursus : unus secundùm successionem tantùm, ut cùm, postquàm intelleximus aliquid, convertimus nos ad intelligendum aliud : alter secundùm causalitatem, dùm scilicèt, per principia, in conclusionis cognitionem pervenîmus; sed neuter reperiri potest in scientia divina : non primus, quia videt omnia simul ; nec secundus, tum quia supponit primum, tum quia talis discursus procedit de noto ad ignotum ; ac proinde dum primum cognoscitur, secundum adhùc ignoratur ; quod Deo repugnat : ergo.

290 Inquires, an discursus virtualis, sit admittendus in Deo? Resp. admittendum esse ex parte objecti, non autem ex parte subjecti. Et hâc ratione, conciliantur omnes Theologi. Ut scientia Dei foret discursiva subjectivè, deberet esse distinctio virtualis in ipsa, quatenùs attingit divinam essentiam, tanquàm primum principium ; & attributa, relationes, & creaturas, tanquàm conclusiones : ut autem sit virtualiter discursiva objectivè, non requiritur distinctio virtualis in ipsamet scientia, sed in ipsius tantùm objecto, sive, inter essentiam, attributa, relationes, & creaturas ; quâ ratione, à nullo negari potest dircursus virtualis in Deo. Unde, quanvis Deus non cognoscat effectus cognitos per causam, quasi priùs cognitam, prioritate formali ex parte subjecti; benè tamen prioritate virtuali, saltèm ex parte objecti. Et sic exponi debet testimonium, quod ex D. Th. hîc a. 7. ad 2. objicit P. Suarez. Vide sup. n. 273.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

291 Opp. 1. contra 1. part. concluſ. Per essentiam creaturæ, non potest cognosci essentia divina, propriâ cognitione: ergo nec econtrà; æquè enim invicèm distant. *Præt.* Propria cognitio, habetur de re per propriam ejus rationem;

at

at essentia divina, quâ Deus cuncta cognoscit, nequit esse propria ratio aliorum à se; idem enim non potest esse propria ratio multorum, & diversorum: ergo. *Ad* 1.R. cum D.Th. a.6. ad 2.disp. esse: Quia essentia creaturæ comparatur ad essentiam Dei, ut actus imperfectus ad perfectum; ideoque non sufficienter ducit in hujus cognitionem, sed econversò: quemadmodùm animal, non sufficienter ducit in cognitionem hominis, sed econtrà, propter eandem rationem. *Ad* 2. resp. S. Doct. ad 3. Quòd divina essentia, potest accipi ut propria ratio uniuscujusque, quatenùs diversimodè est participabilis, vel imitabilis à diversis creaturis: quanvis enim idem non posit esse ratio diversorum, per modum adęquationis; benè tamen, si illud excedat omnia, illius rationem diversimodè imitantia, cujusmodi est essentia divina.

292 Opp. 2. contra 2. par. Cognoscere effectum per causam, est scire discurrentis; at Deus cognoscit alia per se ipsum, sicut effectum per causam: ergo. *Prętereà*: Juxta Phil.2. Top. *Scire in habitu contingit multa simul, sed intelligere actu, unum tantùm*: ergo cùm Deus intelligat actu plura, non simul omnia intelligit, sed de uno in aliud discurrit. *Demùm*: Perfectiùs scit Deus unamquamque creaturam, quàm nos sciamus; at nos, in causis creatis, cognoscimus earum effectus, & sic, de causis ad causata discurrimus: ergo & Deus. *Ad* 1.resp.D.Th.a.7. ad 2. quòd cognoscere effectum per causam priùs cognitam, est scire discurrentis; Deus autem cognoscit effectus in causa simul cognita. *Ad* 2.R. cum S.Doct. ibi ad 1.quòd licèt Deus intelligat multa, & unum habeat intelligere; non propterea discurrit, quia intelligit omnia in uno. *Ad* 3.R. cum ipso ad 3.N.conseq. quia in Deo, cognitio effectuum, non causatur ex cognitione causarum, sicut in nobis.

*** *** *** ***
*** *** *** ***
*** ***
***

DU-

DUBIUM III.

Utrum Scientia Dei sit causa rerum?

293 CONcluſio: *Scientia Dei eſt cauſa rerum, nedùm directiva, ſed etiam effectiva; ſcientia quidèm ſimplicis intelligentiæ, remotè & in actu primo duntaxàt; ſcientia autem viſionis, de facto, quatenùs approbationis nominatur.* Prima pars, eſt de Fide ex illo Prov. 3. *Dominus ſapientiâ fundavit teram, ſtabilivit cœlos prudentiâ*, & aliis Scrip.locis. Quibus concinit Aug.15.de Trinit. c.13. dicens: *Univerſas creaturas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit Deus; ſed ideò ſunt, quia novit.* Et 11.de Civit.c.10. *Occurrit animo* (inquit) *quiddam mirum, ſed tamen verum: quòd iſte mundus, nobis notus eſſe non poſſet, niſi eſſet; Deo autem niſi notus eſſet, eſſe non poſſet.*

Secunda autem pars, prob. *Tum* ex modò dictis, quæ ſatis ſuadent concurſum effectivum: *Tum* ratione D.Th. Ars etenim, vel ſcientia Artificis, effectivè concurrit ad artificiata; at ſcientia Dei, ſe habet ad res omnes creatas, ſicut ars ad artificiata, nam quemadmodùm artifex operatur per artem, ita Deus, per ſcientiam: ergo. *Ante* prob. reliquarum partium, notandum eſt, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, illam eſſe, *Quâ Deus cognoſcit omnia merè poſſibilia*, ea nimirùm, quæ nec ſunt, erunt, aut fuerunt; ſed in potentia Dei, vel etiam creaturæ, contineri dicuntur. Scientia autem viſionis, dicitur, *Quâ Deus cognoſcit ea, quæ in aliqua temporis differentia ſunt*, & quę ab ęterno intuetur Deus, ut ſibi phyſicè & realiter in æternitate præſentia, ut docetur a.9. ſequenti. Nec propterea exiſtimes, ſcientiam viſionis, eſſe eſſentialiter liberam, & ſimplicis intelligentię, eſſentialiter neceſſariam; ſed illam eſſe eſſentialiter intuitivam, hanc eſſentialiter abſtractivam, propter infrà dicenda. Hôc prænotatô,

294 Prob. 3. pars concl. *Tum*, quia ſcientia ſimplicis intelligentiæ, antecedit omne decretum divinæ voluntatis, à quo primò incipit rerum futuritio, ut videbimus. *Tum*, quia

quia hęc ſcientia,æquè reſpicit omnia poſsibilia; nimirùm, & merè poſsibilia, & quæ ad futuritionem & exiſtentiam ſunt transferenda; at merè poſsibilia non cauſat in actu ſecundo: ergo nec alia. Cæterùm, cùm hæc ſcientia regulet decreta divinæ voluntatis, de rerum productione; ad hanc remotè, & in actu primo concurrat,neceſſe eſt:Deus igitur, ſcientiâ iſtâ, eſt & intelligitur potens in actu primo producere res. *Ultima* demùm concl.pars,conſtat: *Tum* ex Aug. 13.confeſſ.c.38.dicente: *Nos itaque, iſta quę feciſti videmus, quia ſunt; tu autem,quia vides ea, ſunt.* Quibus, viſioni, ſeu ſcientiæ viſionis,apertè tribuit rerum efficientiam: *Quia vides*, inquit, *ſunt.* Tum,quia juxta D.Th.hîc,ſcientia Dei eſt cauſa rerum,*ſecundùm quòd habet voluntatem adjunctam*, quâ ratione, dici conſuevit *ſcientia approbationis*; at ſcientia,habens voluntatem adjunctam, ſeu approbationis, eſt ſcientia viſionis, non autem ſimplicis intelligentiæ, quæ omne voluntatis decretum antecedit: ergo.

Tum demùm, quia imperium, quô Deus de facto producit res ad extra, ad ſolam ſcientiam viſionis pertinet,cùm ſupponat liberam voluntatis electionem. *Sed nota* benè, ſcientiam viſionis, non ſub formalitate viſionis, ſed approbationis duntaxàt, exprimere cauſalitatem:tum,quia formalitas viſionis, eſt ſpeculativa: tum, quia ſub formalitate viſionis,intuetur formalem malitiam peccati, intuetur quippè ſub illa, quidquid eſt in æternitate præſens.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

295 Opp.1. cont.1.p.illud Origenis ſuper Ep.ad Rom. c.8. *Non propterea aliquid erit, quia id ſcit Deus futurum; ſed quia futurum eſt, ideò ſcitur à Deo,antequàm fiat*: ergo. Reſp. D. Th. hîc ad 1.& q.2. de verit.a.14. ſenſum eſſe, *Quòd ſolius ſcientię, præciſivè à voluntate, ſeu decreto, non eſt cauſare res.* Sed cauſalem hanc, *Quia aliquid futurum eſt, ideò ſcitur à Deo*, ſumptô ly *quia*, in ſenſu cauſali, eſſe falſam; ſumptô autem in ſenſu illativo, eſſe veram: ſic enim æquivalet huic conditionali veræ, *Si aliquid futurum eſt, ſcitur à Deo.* Reſponderi etiam poteſt, contra tàm apertam Aug. mentem, parvi ſanè eſſe ducendam authoritatem Origenis,

quem

quem Theophilus Alex. *hydram omnium hæreſeon* nuncupavit ; Hieron. in fine dialog. *Pelagianorum Amaſium* , & in epiſt. ad Cteſiphont. *Pelagiani erroris Principem* ; ibique contra Pelagium exclamans , ait : *Doctrina tua , Origenis ramuſculus eſt.* Idem pronuntiat Paulus Oroſius initiô apologetici de lib.arb. Hinc Baronius ad ann.388.n.110.ait: *Pelagius,& ipſe Monachus, majori acceſsione impietatis , novæ hęreſis Auctor factus, non ampliùs inter gręgales militavit Origeniſtas, ſed ipſe ſibi numen conſiliavit hęreſiarchę.* Sed hæc , cuilibet mediocriter erudito notiora ſunt , quàm ut noſtram in confirmando diligentiam deſiderent , aut laborem. Videri poſſunt Jo.Cabaſſutius in Notitia Eccleſ. ſæculi 6. circa V. Synod.à n.11.pag.mihi 265.& Card.de Noris lib.1.hiſt.Pelagianæ, cap.1. per totum.

296 Opp.2.contra ult.p.*Inter ſcientiam Dei quæ eſt cauſa rerum, & res ipſas , mediat divina voluntas* , juxta D.Th. q.2.de veritate,a.14.at ſola ſcientia ſimplicis intelligentiæ, eſt hujuſmodi ; ſcientia enim viſionis , divinam ſequitur voluntatem : ergo. Explico maj. Inter ſcientiam Dei quę eſt cauſa rerum remotè & in actu primo, & res ipſas, mediat divina voluntas, C. Inter ſcientiam Dei quæ eſt cauſa rerum in actu ſecundo, &c. N. Eadem enim realiter & virtualiter ſcientia, antecedit, & ſubſequitur, divinam voluntatem;ſub diverſo tamen munere,ſeu expreſsione;nam quatenùs antecedit,& ad oppoſita ſe habet,exprimit munus *ſimplicis intelligentię*;quatenùs autem ſubſequitur decretũ,& per illud determinatur , exprimit munus *ſcientię viſionis.* Cùm autem non cauſet de facto res, niſi poſtquàm per decretum determinata eſt ; ideò , ſola ſcientia viſionis , eſt & dicitur cauſa rerum in actu 2.

297 Opp. 3. ad idem : Scientia viſionis , ſupponit res jam ante ſe productas : ergo. Prob.ant. *Tum* ex illo Gen.1. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat , &c.* quibus innuitur, præceſiſſe rerum productionem, earum viſionem; ly enim *vidit*, ponitur quaſi ſubſecutum ad ly *fecerat.* Tum , quia ſcientia viſionis, cùm ſit intuitiva objecti,non fertur ad illud niſi ut exiſtens. *Tum*, quia cùm ſupponat decretum de producen-

cendis rebus, ſupponit eas futuras: ergo & exiſtentes, nam per eandem cauſam, habent res futuritionem, & exiſtentiam. *Tum*, quia ſcientia Artificis, cui D.Th. comparat ſcientiam quæ eſt rerum cauſa, non intuetur artefacta, niſi ea jam facta ſupponat. *Tum*, quia ſcientia viſionis erga malitiam formalem, cùm iſtam non cauſet, exiſtentem ſupponit: ergo idem de ſcientia erga alia objecta. *Tandem*, quia alioquin ſuperflua eſſet Omnipotentia, hæc enim ad nihil aliud deſervire poteſt: ergo.

298 R. N.ant. Ad 1. prob.R. teſtimonium illud ſic exponi, *Vidit Deus* ſcientiâ viſionis, quatenùs viſionis eſt, *ea quę fecerat* eâdem ſcientiâ, quatenùs approbationis nominatur: hæc quippè ſecunda expreſsio, eſt aliquatenùs prior illâ. Vide ſup. n.294. *Ad* 2.R. quòd licèt cognitio intuitiva, ferri non poſsit niſi ad exiſtens; indifferenter nihilominùs ſe habet ad ſcientiam viſionis in tota ſua latitudine, quòd objectum, ante illam exiſtat, aut per illam: ſi enim merè ſpeculativa ſit, ſupponat objectum, neceſſe eſt; ſi autem practica ſit, efficit illud, non ſupponit. Porrò ſcientia viſionis Dei, reſpectu rerum, eſt ſimul practica, & ſpeculativa. Profectò, Pater æternus, videndo Filium, ipſum producit, & producendo, videt: imò intellectus humanus, cognoſcendo practicè entia rationis, illa efficit, & efficiendo cognoſcit. *Ad* 3. R. primò N.conſeq. ad prob. dicendum, quòd licèt per eandem cauſam, per quam res habet futuritionem, habeat exiſtentiam; non tamen per illam ſolam. *Reſp.* 2. quòd licèt ſcientia viſionis, ſupponat decretum efficax, conſtituens res inchoativè ſeu incompletè futuras; ad completam tamen futuritionem illarum, deſideratur ſcientia approbationis, per quam videlicèt, in actu ſecundo producendæ ſunt: ut autem res exiſtant, habere debent ſaltèm omnem cauſam, ad earum completam futuritionem, exactam.

299 Ad 4. R. D.Th. comparare ſcientiam Dei quæ eſt cauſa rerum, ſcientiæ Artificis, in hoc, quòd ûtraque concurrit effectivè ad opus; non autem, quantùm ad rationem intuitivæ, vel abſtractivę; imò expreſsè affirmat, proprium & peculiare eſſe ſcientiæ Dei, quòd ſit intuitiva rerum ab

ipſa

ipsa factarum. *Ad 5.* N.conseq. quia omnia, præter malitiam, Deus propriè causat: illa ergo & efficit, & intuetur; hanc autem, intuetur solùm. *Ad ult.* R. quòd cùm Deus efficiat per intellectum & voluntatem, quidquid per Omnipotentiam dicitur operari; hæc non est attributum ab illis distinctum, ut frequentiùs docent Thomistæ. *In sententia* autem admittente, Omnipotentiam esse attributum distinctum ab intellectu & voluntate, dicendum est, rerum productionem in actu 2. & fieri per scientiam visionis, imperativè, & per Omnipotentiam, executivè: sicut in omni operatione humana, quę perficitur à prudentia, opus à potentiis inferioribus effectum, est effectus intellectûs imperantis, & potentiæ exequentis.

300 Opp. ult. Causa in actu primo, illa est, quæ in se continet actum secundum; sed quæ talis est, causat in actu secundo: ergo vel scientia simplicis intelligentiæ, est causa rerum in actu secundo, vel non est illarum causa in actu primo. *Præterea*: Quod de facto producit, idem omninò est, ac quod potest producere: ergo quod est causa in actu primo, est etiam causa in actu secundo: ergo. *Resp.* causam in actu primo, & in actu secundo, eandem esse, quoàd realitatem & virtualitatem; sed posse diversam esse, quantùm ad expressionem & munus. Argumentum igitur convincit, scientiam simplicis intelligentię, & visionis, unicum esse attributum, nec virtualiter subjectivè distingui, sicut non distinguitur prædestinatio, & providentia generalis; quod verum est. Vide sup. n. 296.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Deus cognoscat non entia, mala, singularia, infinita, futura contingentia, & enuntiabilia?

301 COnclusio est affirmativa, & D.Th. articulis 9. 10. 11. 12. 13. & 14. Postquàm enim disseruit generatim de cognitione creaturarum, a.a. 5. & 6. & de mo-

modo illas cognoscendi, duobus sequentibus; incipit ab art. 9. agere speciatim de relatis in conclusione, in quibus specialis est difficultas. Prima pars conclusionis, loquitur de his, quæ actu, simpliciterve non sunt. Et habetur ex illo Rom. 4. *Qui vocat ea quæ non sunt, tanquàm ea quæ sunt.* Deinde prob. Deus enim scit omnia, quæcumque sunt quôcumque modô; at non entia, seu quæ non sunt simpliciter, aliquô modô sunt, nimirùm in potentia, vel ipsius Dei, vel creaturæ, sive in potentia activa, sive passiva; sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quôcumque modô significandi: ergo cognoscit Deus omnia quæcumque fieri, cogitari, vel dici possunt, etiamsi actu non sint. Cognoscit inquam, scientiâ visionis, omnia non entia, quæ vel fuerunt, vel erunt; præsens quippè intuitus Dei, fertur in totum tempus, & in omnia quæ sunt in quocumque tempore, sicut in subjecta sibi præsentialiter. De quo fusiùs infrà à n 322. Ea verò quæ non sunt, nec erunt, nec fuerunt, cognoscit scientiâ simplicis intelligentię.

Secunda autem pars concl. intelligitur de omni malo, nimirùm, culpæ, pœnæ, & naturæ; estque Fide certa. Siquidem de malis culpæ, constat ex illo Amos 5. *Cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra.* De malis autem pœnæ, ex illo Prov. 15. *Infernus & perditio coram Domino.* Postremò de malis naturæ, ex illo Sap. 8. *Signa & monstra scit antequàm fiant.* Prob. deinde ratione. Cùm enim Deus perfectè cognoscat omnia bona, & quibusdam bonis accidat quòd per mala corrumpantur; necesse est, quòd & mala cognoscat: quicumque enim perfectè cognoscit aliquid, oportet, quòd cognoscat omnia quæ possunt illi accidere. *Cùm* autem malum, sit privatio boni; per hoc ipsum quòd Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala: sicut per lucem cognoscuntur tenebræ, unumquodque enim est cognoscibile, secundùm quòd est. *Tertia pars* conclusionis, intelligitur de singularibus materialibus, cùm jam dictum sit, Deum se ipsum cognoscere, quem singularem esse constat. Est de Fide ex illo Prov. 16. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus.* Probaturque ratione: *Tum* à posteriori, quia cognitio singularium, est

per-

perfectio hominis ſimpliciter ſimplex: ergo competit Deo, & quidem altiori modò. *Tum* à priori, cùm enim ſcientia Dei ſit cauſa rerum; ſe extendit ad omnia ad quæ ſe extendit ejus cauſalitas: ergo ad ſingularia.

302 Quarta pars concl. prob. *Tum* ex Aug. 12. de Civit. c. 18. dicente: *Quanvis infinitorum numerorum nullus ſit numerus, non eſt tamen incomprehenſibilis ei, cujus ſcientiæ non eſt numerus.* Tum ratione, quia ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ, cognoſcit Deus omnia quæ ſunt in potentia ſua, & creaturæ; conſtat autem, hęc infinita eſſe. Per ſcientiam autem viſionis, ſcit Deus cogitationes & affectiones cordium, quæ in infinitum multiplicabuntur, creaturis rationalibus permanentibus abſque fine: ergo. *Quinta pars*, eſt veritas Fidei, cujus *tot teſtes habet Deus, quot Prophetas*, ut ait Tertull. Habetur ex illo Pſal. 138. *Omnes vias meas prævidiſti.* Sap. 8. *De futuris æſtimat.* Dan. 13. *Noſti omnia, antequàm fiant*; & aliis innumeris. *Probaturque* ratione: Deus enim, ut dictum eſt, ſcit omnia, non ſolùm quę ſunt actu, ſed etiam quæ ſunt in potentia ſua, & creaturæ: cùm ergo horum quædam ſint contingentia, nobis futura, iſta cognoſcit. *Circa* litteram art. 13. in quo de hac veritate agit S. Doct. totus verſabitur ſequens Tractatus. Ultima tandèm pars, prob. *Tum*, quia ut dicitur Pſal. 93. *ſcit cogitationes hominum*, quæ continent enuntiationes: *Tum*, quia ſcit quidquid eſt in potentia, tàm ſua, quàm creaturę; ſed in potentia noſtra, ſunt enuntiabilia: ergo, &c. Illa tamen ſimplici intuitu cognoſcit, ſicut materialia, *immaterialiter*, & quia omnia repræſentantur unicâ eſſentiâ divinâ, ut ſi quis per unam ſpeciem intelligeret quidquid eſt in homine.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

303 Opp. 1. contra 1. part. Scientia Dei, non eſt niſi verorum; at verum & ens convertuntur: ergo ſcientia Dei non eſt non entium. *Præterea*: Scientia Dei, eſt cauſa ſcitorum ab ipſo: ergo non eſt non entium, quia hæc non habent cauſam. *Ad* 1. reſp. D. Th. non entia habere veritatem in potentia, ſicuti ſunt in potentia. *Ad* 2. quòd ſcientia Dei eſt cauſa rerum, voluntate adjunctâ; ideoque non omnia

nia quæ scit, aliquando fuerunt, aut futura sunt, nisi voluerit illa esse. Et insuper, non est in scientia Dei, ut illa sint, sed quòd esse possint.

Opp. 2. contra 2.p. illud Abac. 1. *Respicere ad iniquitatem non poteris.* Et: *Mundi sunt oculi tui, nè videas malum.* ergo. *R.* testimonia hæc intelligi, juxta PP. de scientia approbationis: dicitur enim Deus nescire, quæ non approbat, juxta illud Matth. 7. *Quia nunquàm novi vos.* Illud autem 2. Cor. 5. de Christo D. *Qui non noverat peccatum*, sic exponitur ab Aug. l. cont. Adverſ. Legis, & Prophet. *Noverat per sapientiam, non noverat per experientiam.*

Nota benè, quòd malum trifariàm considerari potest. *Primò*, ut privatio alicujus formæ in subjecto. *Secundò*, sumendo ipsum ut distinctivum unius ab alio. *Tertiò*, ut merum nihil. Primô modô, non potest cognosci à Deo immediatè per suam bonitatem, quæ nequit esse forma subjecto inhærens; sed tantùm per bonitatem creatam, cui talis privatio opponitur, ut docet D. Th. 1. contra Gent. cap. 71. Secundô modô, per negationes entis increati, distinguuntur creaturæ à Deo; hujusmodi autem negationes cognoscuntur per ipsam entitatem increatam, sicut negatio relationis Filii, quam dicit relatio Paternitatis in Deo, non nisi per ipsam relationem filiationis cognoscitur. Tertiô modô, cognoscitur malum per bonum in communi, ut docet D. Th. q. 2. de verit. a. 15. & alibi. Et per hæc facilè conciliantur Theologi, oppositа in speciem docentes in præsenti. Vide Marinis hìc cap. unicô.

304 Opp. 3. ad idem: Quod non cognoscitur per se ipsum, sed per aliud, imperfectè cognoscitur; at mala non cognoscuntur à Deo per se ipsum, aliàs malum esset in Deo, quia cognitum est in cognoscente: ergo vel mala non cognoscit, vel imperfectè illa cognoscit; quod repugnat. *R.* cum D. Th. a. 10. ad 4. dist. maj. Si sit cognoscibile per se ipsum, C. si non sit per se cognoscibile, N. Malum autem, cùm sit privatio boni, nec diffiniri, nec cognosci potest, nisi per bonum.

Opp. 4. contra 3. part. Intellectus noster non cognoscit sin-

ſingularia, propter ejus immaterialitatem; at intellectus divinus eſt noſtrô immaterialior: ergo. *N.maj.* illa enim directè non cognoſcit, propter immaterialitatem ſpeciei, quę habetur per abſtractionem intellectûs agentis; ideoque non poteſt eſſe ſimilitudo principiorum individualium: at ſpecies, quâ Deus intelligit, per ſe ipſam immaterialis eſt; ac proindè omnia ſingularia repræſentare valet, tanquàm forma ſuperior, & Deus illa cognoſcere.

305 Opp.5. cont.4. Infinitum, quà tale, eſt ignotum, ut dicitur 3.Phyſic: ergo. *Præterea*: Contra rationem infiniti eſt, eſſe menſuratum: ergo & eſſe ſcitum à Deo, ſcientia quippè Dei, eſt menſura ſcitorum. *Ad* 1. reſp. D. Th. infinitum quantitativum (de quo ibi eſt ſermo) eſſe ignotum, ſi cognoſcatur per partes; Deus autem cognoſcit omnia ſimul, ideoque poteſt cognoſcere infinita. *Ad* 2. diſt. ant. Eſſe menſuratum menſurâ quantitativâ, C. non quantitativâ, ſed menſurante eſſentiam & veritatem rei, qualiter ſcientia Dei eſt menſura rerum, N. Et datò, quòd eſſent aliqua infinita actu ſecundùm numerum, vel magnitudinem; illa menſurarentur ſcientiâ Dei, haberent enim eſſe finitum, utpotè limitatum ad aliquas determinatas naturas. Sic D.Th. ad 3. Vide Coſmam Alam. to.2. ſui Curſûs, q.18. a.2. Vide etiam ſup. n.281.

306 Opp. tandèm cont. ult. p. Intellectus noſter cognoſcit enuntiabilia, quia componit & dividit: ergo illa non cognoſcit intellectus divinus, utpotè omninò ſimplex. *Reſpondet* D.Th. a.14.ad 1. quòd ratio procederet, ſi Deus cognoſceret enuntiabilia, per modum enuntiabilium, ſive, quod idem eſt, exercitè componendo & dividendo, & non ſimpliciter intuendo. *Dices*: Limitatio ſpeciei in intellectu noſtro, non eſt cauſa ſeu ratio cognoſcendi enuntiabilia, per modum enuntiabilium, aliàs etiam intellectus angelicus ſic illa cognoſceret, contra id quod docetur inf.q.58.a.4. ergo nec illimitatio ſpeciei, eſt in Deo ratio cognoſcendi enuntiabilia, non per modum enuntiabilium, ſed per ſimplicem intelligentiam: ergo Deus non ſic cognoſcit enuntiabilia: ergo. *Diſt.ant.* Limitatio ex terminis, C. limitatio talis,

id

id est, respectu eorum quæ nata sunt convenire subjecto, N. Intellectus enim noster componit & dividit, quia ea quæ nata sunt convenire homini, non attingit eâdem specie; sed aliâ specie attingit hominem, & aliâ, risibile; ideoque componit dicendo, *Homo est risibilis*; quod quidèm, intellectui Angelico non convenit, ideòque non cognoscit enuntiabilia per modum enuntiabilium.

TRACTATUS IV.

DE SCIENTIA FUturorum.

CIRCA art. 13. quæstionis 14. gravissimę illæ occurrunt controversię, de abdito pręscientiæ futurorum arcano, quod satius foret venerari, quàm investigare: *multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt*, ut rectè cecinit D. Prosper lib. de ingratis, cap. 35. Quia tamen Scholæ morem gerere, & oportet, & opus est; illud referare tentabimus, præeunte Ss. PP. face, Augustini maximè, & Thomæ, ad quorum veridicam doctrinam, ceù ad amussim, omnes assertiones nostras exigemus. Sed antequàm profundum hoc pelagus ingrediamur, in altumque ducamus; sistendum est parùm in littore, ut ipsius futuri quidditatem, ejusque in æternitate præsentiam, contemplemur. Sit igitur

DIS-

DISPUTATIO I.

De constitutione futuri, ejusque in æternitate præsentia.

DUBIUM I.

Per quid constituatur futurum?

307 ANte dubii resolutionem, scito, futurum aliud esse absolutum, aliud conditionatum. Primum est, *Quod de facto non existit, absolutè tamen existet*; v.g. *Antichristus erit.* Secundum est, *Quod de facto non est, existet tamen tempore subsequenti, si purificetur aut impleatur aliqua conditio*, v.g. *Copia messis erit, si tempore opportunò pluat.* Utrunque autem dividitur, in omninò certum & infallibile, quod scilicèt, certò & infallibiliter existet: &, in non omninò infallibile, illud videlicèt, quod futurum est, ex vi determinationis alicujus causæ creatæ, cujus dispositio impedibilis est ab agente superiori. Hujusmodi est istud, *Ignis applicatus ad materiam, comburet*, quod solùm naturaliter certum est, ex vi dispositionis causæ creatæ: quarè, ut sit omninò infallibile, requiritur ex parte Dei decretum efficax non impediendi talem effectum, seu, non denegandi ei suum concursum.

Adverte præterea, quòd cùm omne ens distinctum à Deo, sit simpliciter contingens; omnia futura, sunt absolutè & simpliciter contingentia; latè tamen loquendo, quædam dicuntur necessaria, ut, *dies crastina*, quatenùs naturali necessitate erit: quædam autem strictè contingenter futura, v. g. *consensus liberi voluntatis creatæ*, quia nulla necessitate erunt.

308 Conclusio: *Futurum contingens, sive absolutum, sive conditionatum, constituitur formaliter in ratione futuri infallibilis, per divinum decretum efficax, absolutè existens in Deo;*

non autem per carentiam existentiæ nunc, & existentiam posteà. Concluſio iſta funditùs quatit *Scientiam mediam*, ut videbimus. Probatur autem 1. authoritate Aug. lib. 26. contra Fauſtum, c. 4. dicentis: *Quod voluntas Dei non habet, fieri de quoquam non poteſt. Proinde ſi mihi dicatur, poſſe fieri, ut caro hujus hominis, in corpus cœleſte mutetur; concedo fieri poſſe; ſed utrum futurum ſit, neſcio; & ideò neſcio, quia quid habet de hac re Dei voluntas, me latet: illud tamen non me latet, ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet.* Quibus apertè docet, nihil eſſe certò futurum, niſi quod voluntas Dei habet diſpoſitum, ut prima verba oſtendunt: undè quanvis poſteà apponat exemplum in re à ſolo Deo dependente; univerſaliter tamen loquitur de omnibus futuris; quod, ex alibi ab ipſo traditis, apertiùs conſtat.

309 Cum Auguſtino concinit Doctor Angelicus q. 16. ſeq. a. 7. ad 3. *Dicendum* (inquit) *quòd illud quod nunc eſt, ex eo futurum fuit, antequàm eſſet: quia in cauſa ſua erat, ut fieret. Undè ſublatâ causâ, non eſſet futurum, illud fieri; ſola autem cauſa prima eſt æterna: Undè ex hoc non ſequitur, quòd ea quæ ſunt, ſemper fuerit verum, ea eſſe futura, niſi quatenùs in cauſa prima ſempiterna fuit, ut eſſent futura. Quæ quidem cauſa, ſolus Deus eſt.* Quibus, ut argumentum (quô ſuadebatur, dari veritatem aliquam ab æterno) diſſolvat, ſtabilit, *rem conſtitui ab æterno infallibiliter futuram, per ſolam determinationem divinę voluntatis ab ęterno exiſtentem, & non per aliquid creatum,* qualis eſt exiſtentia pro poſteà.

Leve autem eſt Adverſariorum effugium, aſſerentium, D. Th. ſolùm docere, futuritionem rei, dependere à decreto tanquàm à cauſa efficienti; non autem conſtitutivè & formaliter. Per illud quippè conſtituitur res formaliter futura ab æterno, quô verum eſt, eſſe futuram ab æterno; at rem eſſe futuram ab ęterno, eſt verùm, ſolâ veritate increatâ, conſiſtente in determinatione primæ cauſæ, ut dicit S. Doct. ergo. *Prętereà*: Si res conſtitueretur formaliter futura ab ęterno per aliquid diſtinctum à Deo; daretur ab æterno alia veritas diſtincta à Deo (quô enim res conſtituitur ab æterno futura, eô conſtituitur verum, eſſe futuram) ſed hoc omninò vi-

vitare intendit D.Th. quia solus Deus est æternus, & nulla datur veritas æterna, præter Deum: ergo solâ determinatione causæ æternæ, constituitur res formaliter ab æterno futura.

310 Prob. conclusio ratione: Futurum contingens, constitui debet per formam, quæ detur tempore futuritionis; cùm tunc res sit formaliter futura, & implicet, dari effectum formalem, sine forma; at tempore futuritionis, non datur alia forma, præter decretum efficax, absolutè existens in Deo: ergo. Prob. min. Scientia enim, quâ Deus cognoscit, rem esse futuram, cùm sit speculativa, juxta Adversarios, supponit futurum constitutum: deinde, nec tunc existit complexum ex carentia existentiæ nunc, & existentiâ posteà; cùm non detur altera pars complexi, nempè, existentia posteà; complexum autem, cujus altera pars non est, absolutè dicitur non esse, ut ipsi Contrarii passim affirmant: ergo.

311 Dices cum P. Borrull & nonnullis Antithomistis hujus Valentinæ Academiæ, futuritionem esse aliquid successivum, de cujus proinde ratione non est, quòd tota ejus forma, seu omnes partes simùl dentur, sed pro diversis temporibus, nimirùm, de præsenti, sola carentia existentiæ; existentia autem, posteà. *Sed* contra est, 1. Quia falsum est, futuritionem esse quid successivum; res quippè successiva, dicitur illa, cujus partes non simul ei conveniunt, sed una post aliam, secum ferens exclusionem alterius: ergo si futuritio esset successiva; constitueretur inadæquatè per existentiam posteà, quatenùs ista fert secum exclusionem alterius, scilicèt, carentiæ existentiæ nunc; at existentia posteà, ut excludens carentiam existentiæ, non est existentia ut habenda, sed ut jam habita: ergo constitueretur futurum inadæquatè, per existétiam posteà, non ut habendam, sed ut jam habitam; quod ipsi inficiantur, quanvis inconsequenter.

312 Præterea: Si futuritio esset aliquid successivum; tàm absolutè & verè diceretur res futura, dum est actualiter existens, quàm antecedenter ad existentiam actualem; quod est chimæricum. Prob. assump. Res enim successiva, tàm absolutè & verè dicitur esse, dùm adest pars posterior, quàm dum adest prior. V.g. dies hodierna, tàm absolutè &

verè dicitur esse, dum adest pars illius vespertina, quàm dum adest pars ejus matutina. *Adhęc.* Carentia existentiæ, non distinguit futurum, nè inadęquatè quidem, à purè possibili; cum isti re verà conveniat: per prędicatum autem duobus commune, unum ab altero, nec inadæquatè distinguitur; homo enim v.g. non distinguitur, etiam inadæquatè, à leone, per animal utrique commune: ergo carentia existentiæ, non est forma, adhùc inadæquatè, constitutiva futuritionis de præsenti.

Insuper: Existentia posteà, imprimìs convenit non futuro, scilicèt rei existenti: deinde neutiquàm futuro convenit, per illam quippè solvitur futuritio, & res fit actualiter præsens: ergo. *Urgetur*, occurrendo tacitę evasioni: Nam existentia posteà, vel est forma futuritionis, quatenùs habita, vel præcisè ut habenda: Si hoc secundum (ut ipsis placet) destruitur imprimìs solutio, quâ asserunt, futuritionem esse complexum ex carentia existentiæ, & existentia posteà, tanquàm ex duplici contradictorio, & duplici parte, successivè conveniente futuro: existentia enim posteà, præcisè ut habenda, nec opponitur cõtradictoriè cum carentia existentiæ nunc, nec successivè convenit futuro; sed simul & de præsenti convenit illi tempore futuritionis, ut patet: ergo.

313 Deindè: Existentia, ut posteà habenda, nihil est aliud, quàm existentia *ut futura*: ergo constituunt *futurum* per existentiam, *ut futuram*. Assignandum ergo restat, per quid constituatur existentia, *ut futura*, sive in ratione futuræ: ergo quæstionem non resolvunt. *Præterea*, & urgetur: Rem aliquam esse futuram, & ejus existentiam esse futuram, idem prorsùs sunt. *Adhæc*: Idem omninò est, existentiam esse habendam, & existentiam esse futuram: ergo idem prorsùs est inquirere: *Per quid constituatur futurum*, ac inquirere: *Per quid constituatur existentia illius, ut habenda*: ergo asserere, *futurum constitui per existentiam, ut habendam*; est idem ac asserere, *futurum constitui per esse futurum*, quod est planè nugari, & minimè explicare constitutivum futuri. *Rejicitur* demùm: Existentia posteà, *ut habenda*, aliquid debet addere supra existentiam posteà, aliàs soli præsenti con-

ve-

veniret; ſed id quòd addit conſtituens futurum, nihil aliud eſſe poteſt, quàm decretum actuale, utpote eſt aliquid ab æterno conſtituens futurum, & nihil à Deo diſtinctum, eſt ab æterno: ſola ergo determinatio cauſæ primæ, futurum conſtituit.

314 Prob. 2.concl. aliâ ratione: Ab æterno enim eſt infallibiliter verum, conſenſum liberum voluntatis creatæ, eſſe futurum, cùm Deus ab æterno cognoſcat certò & infallibiliter conſenſum futurum; at hæc veritas infallibilis, non ab alio prôvenit, nec in alio conſiſtit, quàm in decreto efficaci, abſolutè exiſtenti: ergo. Prob.min. conſenſum quippè eſſe infallibiliter futurum, eſt eſſe infallibiliter determinatum ad exiſtendum, cùm per hoc diſtinguatur à merè poſſibili, quod indifferens eſt ut exiſtat, vel non exiſtat; ſed eſſe infallibiliter determinatum ad exiſtendum, non convenit conſenſui, niſi à ſolo decreto: ergo. Prob.min. Eſſe infallibiliter determinatum ad exiſtendum, non convenit conſenſui ex natura ſua, ex qua indifferens eſt ut ſit, vel non ſit: nec ex determinatione voluntatis creatæ, cùm hæc, nec ſit ab æterno, & inſuper indifferens ſit ad conſenſum, & non conſenſum: nec demùm ex ſuppoſitione decreti inefficacis, cùm hoc indifferens ſit ad conſenſum, & non conſenſum, poſitque conjungi cum carentia conſensûs: ergo hæc infallibilis determinatio conſensûs ad exiſtendum, ſeu hujus futuritio, à ſolo decreto efficaci oriri poteſt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

315 Opp.1. Rem eſſe formaliter futuram, eſt eſſe formaliter poſteriorem ad tempus præſens; at rem eſſe formaliter poſteriorem ad tempus præſens, ſolùm importat carentiam exiſtentiæ in tempore præſenti, & exiſtentiam poſteà: ergo. N.maj. *tum*, quia rem eſſe exiſtentem in inſtanti A, non eſt formaliter idem, ac eſſe priorem ad inſtans B: ergo pariter. *Tum*, quia ſi idem eſſet, *rem eſſe formaliter futuram*, ac *eſſe poſteriorem ad tempus in quo eſt futura*, dum res eſſet præſens, eſſet futura; quando enim Antichriſtus re verâ exiſtet, erit verum dicere, *Antichriſtus eſt poſterior omni tempore, & omni re, jam præteritis.* Tum demùm, quia res dum eſt futu-

futura, non est posterior, sed erit: Antichristus v.g. modò est futurus, sed non est posterior, sed erit.

316 Opp. 2. Positâ carentiâ existentiæ hodiè, & existentiâ crâs, quôlibet aliô seclusô; implicat, rem non esse futuram: sicut intellectâ præcisè existentiâ in tempore præsenti, & connotatâ carentiâ existentiæ in tempore antecedenti, verificatur, rem fuisse futuram: ergo per illud est constituenda futuritio, quôlibet aliô seclusô. *R.* 1. negando conseq. sicut hæc non tenet: *Posita determinatâ futuritione effectûs, essentialiter dependentis ab aliqua causa, & positâ carentiâ existentiæ causæ, implicat, causam non esse futuram: ergo futuritio causæ, consistit formaliter in carentia existentiæ ipsius, & certa futuritione effectûs.* *R.* 2. neg. suppositum ant. quòd scilicèt, illa possint simul poni: constitutivum autem futuri, debet simul poni, dum res dicitur simpliciter futura. *Resp.* 3. neg. ant. Positâ enim existentiâ crastinâ, non potest res intelligi futura, sed præsens; quare potiùs hæc est vera, *Positâ carentiâ existentiæ hodiè, & existentiâ crâs, implicat, rem esse futuram.* Res igitur intelligenda est futura, ante existentiam crastinam; id est, dum existentia crastina adhùc intelligitur futura. Ad prob. neg. ant. nam existentia præsens, non fuit tempore futuritionis; carentia autem existentiæ, convenit merè possibili. Itaque existentia præsens, connotatâ carentiâ existentiæ in tempore antecedenti, infert quidèm, rem fuisse futuram; at non est forma, quâ res fuit futura.

317 Opp. 3. Præteritum constituitur formaliter per *complexum carentiæ existentiæ nunc, & existentiæ anteà*, quanvis tale complexum non detur de præsenti, quando verificatur, rem esse præteritam: ergo pariter. Prob. ant. Implicat enim, Adam existere in sua differentia temporis, & modò non existere, quin modò sit præteritus: ergo. *R.* 1. N. ant. Præteritum quippè constituitur per decretum, quatenùs vult non ultrà conservare rei existentiam; quod planè infert carentiam existentiæ, & supponit pro tempore antecedenti existentiam, estque existens totô tempore præteritionis. Nec indè inferas, præteritum, ab æterno esse præteritum;

tum ; quìa ultra decretum , quô conſtituitur , connotat eſſentialiter carentiam exiſtentiæ priùs habitæ, ſicut futurum, habendæ : quapropter , ſicut Antichriſtus v.g. non dicitur nec eſt in ęternum futurus,ita nec Adam,ab æterno præteritus: ſed præteritum , dicitur in æternum præteritum *à parte pòſt*, ſicut futurum, ab æterno futurum *à parte antè.*

R.2. N.etiam ant. Quia etſi non conſtituatur per decretum, non propterea conſtituitur per tale complexum ; ſed per exiſtentiam anteà , ſeu præteritam , tanquàm per formam , connotatâ in obliquo carentiâ exiſtentiæ nunc: futurum autem nequit conſtitui per exiſtentiam habendam, tanquàm per formam, connotatâ carentiâ exiſtentiæ nunc. Et ratio eſt, quia exiſtentia poſteà, ſeu habenda, non eſt certò & infallibiliter futura,niſi adſit decretum,per quod,tanquàm per formam, futura vel habenda dicatur : exiſtentia autem anteà, ſeu habita, certò & infallibiliter eſt præterita , nullô interveniente decretô per modum formæ. Forma igitur conſtitutiva pręteriti,de pręſenti eſt; ſcilicèt,exiſtentia præterita, quæ de pręſenti eſt præterita ; & quia per ſe ipſam præterita eſt, non indiget decretô : Exiſtentia autem habenda, ſeu futura, non eſt certò & infallibiter talis, niſi per decretum, cùm præciſivè ab iſto, ſit indifferens,&c.

318 Opp. 4. Decretum , tametſi requiratur ad futuritionem, nequit eſſe forma iſtius: *Tum*, quia eſt cauſa efficiens illius, cùm alia non ſit aſsignabilis. *Tum* , quia futuritio eſt volita per decretum. *Demùm*, quia futurum debet nominari intrinſecè, & extrinſecè tale, ſicut poſsibile; at à decreto ſolùm poteſt extrinſecè : ergo aſsignanda eſt forma , quâ intrinſecè ſit futurum. *N.ant.* ad 1. prob. *R.* futuritionem, formaliter ſumptam , nullam habere propriè cauſam efficientem, ſed ſolùm virtualiter cauſatur à divina voluntate , cujus eſt actus. *Ad* 2. *R.* quòd volitio directa rei futuræ in ordine ad exiſtendum , eſt virtualiter volitio ſui ipſius. *Ad* 3. quòd,præter virtutem omnipotentiæ (quę eſt poſsibilitas extrinſeca) quælibet res habet,ex ſuis prædicatis eſſentialibus, non repugnantiam ad exiſtendum , quæ eſt poſsibilitas intrinſeca: At futuritio,ſolùm eſt extrinſeca;

eſt

est quippè determinatio ad existendum, quam nulla creatura habere potest ex suis prædicatis intrinsecis, præcisivè à decreto efficaci.

319 Opp.5. Peccatum, etiam quoàd malitiam formalem, est ab æterno futurum; at non per decretum: ergo, cùm eadem sit ratio de aliis, nulla per decretum, sed omnia per complexum supra memoratum, constitui debent. Prob.min. *Tum*, quia cùm malitia, etiam ut futura, sit essentialiter mala, constitui nequit per decretum essentialiter bonum: *Tum*, quia Deus displicet in malitia, etiam ut futura: *Tum*, quia malitia, non per decretum, sed per influxum creatæ voluntatis, fit præsens in tempore: *Tandem*, quia in Deo non datur decretum, quò velit dare in tempore existentiam malitiæ, aut determinare voluntatem creatam ad illam: ergo. *N.min.* malitia enim constituitur futura per decretum, non quidèm prædiffinitivum, sed permissivum. Futura inquam, non *physice*, seu per influxum decreti in malitiam, quam nec vult, nec causat, nec determinat creaturam ad illam; sed *logicè* solùm, quatenùs scilicèt, ex illo decreto per logicam consequentiam infertur, creaturam in tempore consensuram esse in peccatum.

Ad 1. prob. *R.* quòd malitia, formaliter *ut futura*, cùm dicat pro forma, & in recto, permissionem divinam; est bona: sicut forma, quâ constituitur visa & odiò habita à Deo; quæ est visio & odium Dei erga illam. *Ad* 2. quòd Deus non displicet in malitia *ut futura*, quoàd rectum, seu formam futuritionis (positivè enim vult permittere, complacetque in permissione:) sed solùm quoàd obliquum, & rem ipsam futuram: Displicet ergo in malitia permissa, non in permissione. *Ad* 3.N.conseq. subintellectam: res enim dicitur futura *physice*, per easdem causas, per quas fit existens in tempore; at non *futuritione logicâ*; sed per decretum permissivum, logicè connexum cum re. *Ad* 4.N.conseq. quia licèt non detur decretum prædiffinitivum; datur tamen permissivum, jam explicatum.

320 Dices: Si hoc decretum est connexum cum peccato, erit determinatio ad malitiam formalem: sicut de-

cre-

cretum efficax circa existentiam amoris, v.g. est determinatio ad illam, quia connectitur cum illa. *Dist.* hanc causalem: quia connectitur cum illa utcùmque, N. physicè, C. Decretum autem permissivum, logicè dumtaxàt connectitur cum malitia; unde non est determinatio ad illam, nec Dei, nec creaturæ. Et retorquetur instantia in decreto efficaci pœnitentiæ, ante absolutam prævisionem peccati, connexô cum hujus existentia, quin sit determinatio ad illam, etiam juxta plures ex contrariis admittentes tale decretum. Instatur præterea, in complexo ex decreto purificandi conditionem sub qua prævisa est voluntas peccatura, & scientia media quâ Deus hoc prævidit: quod quidèm complexum præcedit absolutam existentiam malitiæ, cum eaque connectitur, quin sit determinatio Dei, aut creaturę, ad malitiam, juxta adversarios.

321 Opp. tandèm: Si consensus liber, constitueretur certò futurus per decretum efficax, periret ejus libertas; voluntas siquidèm non posset facere, quòd consensus non fuerit futurus, ut patet: ergo nec quòd non existeret. Prob. hęc conseq. Si enim voluntas faceret, quòd consensus non existeret, consensus non fuisset futurus: ergo si posset facere quòd non existat, posset facere quòd non fuerit futurus: ergo. *Dist.* conseq. non posset facere, quòd consensus non existeret, ex suppositione existentiæ decreti, & in sensu composito, C. absolutè, simpliciter, & in sensu diviso, N. *Dices*: Voluntas non potest facere, quòd decretum non existat: deinde, decretum existere, non dependet ex determinatione libertatis creatæ: ergo non potest ad omissionem consensûs in sensu diviso, hoc enim intelligi nequit, nisi per hoc, quòd decretum possit non existere: ergo si non potest, &c. *Dist. conseq.* Non potest in sensu diviso, potestate primâ, independenti, & non subordinatâ, C. Potestate secundâ, à Deo dependenti, & illi subordinatâ, N. Itaque potestas ad aliquod exercitium, habens in sua manu ponere, vel non ponere, omnia omninò requisita; est potestas supremi dominii, à nullo dependens; non secunda, & subordinata. Sed de his fusiùs infrà à num. 442.

DU-

DUBIUM II.

Utrum futura sint Deo physicè in æternitate præsentia?

322 CONclusio: *Qui omnia supergreditur tempora, omnia planè futura quæ verè extitura sunt, physicè sibi in æternitate præsentia, ab æterno intuetur & cernit.* Est omnium Thomist. quibus adhærent Fonseca, & Granados, adversus Scotistas, & ferè omnes extra scholam D. Thomæ. Et prob. 1. authoritate Magni Augustini lib. 2. ad Simplic. q. 2. dicentis, *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? quid autem est Deo futurum, qui omnia supergreditur tempora? Si enim in scientia res ipsas habet, non sunt futuræ, sed præsentes; ac per hoc, non jam præscientia, sed tantùm scientia, dici potest: si autem, sicut in ordine temporalium creaturarum, ita & apud Deum nondùm sunt, quæ futura sunt, sed ad ea pervenit scienda: bis ergo ea sentit, unò quidem modò, secundùm futurorum præscientiam; alterò verò modò, secundùm præsentium scientiam: aliquid ergo temporaliter accedit scientiæ Dei; quod absurdissimum & falsissimum est, nec enim potest, quæ ventura prænoscit, noscere cùm venerint, nisi bis innotescant; & prænoscendo antequàm sint, & cognoscendo cùm jam sunt. Ita patet, ut (quod longè à veritate seclusum est) temporaliter aliquid accedat scientiæ Dei.* Hęc Magnus Parens.

Quibus (ut patet) tria inconvenientia infert ex oppositò nostræ conclusionis, nimirùm, & quòd scientia quam habet Deus de futuris, esset propriè *præscientia*; & quòd bis Deus illa cognosceret: ac demùm, quòd aliquid temporaliter accideret scientiæ Dei. *Nec vitantur* per recursum ad præsentiam objectivam dumtaxàt, & intentionalem. *Non primum*, quia præscientia est cognitio terminata ad objectum, nondùm præsens, & existens physicè & realiter; nulla siquidem dari potest cognitio terminata ad objectum, objectivè aut intentionaliter non præsens. *Nec secundum* inconveniens vitatur: Cognoscere enim rem, ut solùm objecti-

ctivè præsentem, est illam cognoscere ut futuram; porrò cognoscere rem ut futuram, & deinde illam ut existentem cognoscere, est rem bis cognoscere. *Nec deniquè tertium*: nam divina scientia, decursu temporis, cognosceret ut physicè & realiter sibi præsentia, quæ anteà, ut realiter futura, & non ut sibi realiter præsentia, cognoscebat: ergo aliquid de novo cognosceret: ergo aliquid accideret ejus scientiæ. *Indè* manifestè corruit evasio Platelii: Vult enim, Augustinum solùm concedere Deo præsentiam quandam *æquivalentem* respectu futurorum: ergo cùm his non concedat Recentior iste physicam præsentiam, respectu Dei ab æterno; solam objectivam tribuat illis, necesse est: Undè contra illum urgent tria absurda, modò ponderata.

323 Prob. deinde concluſ. authoritate D. Th. in hoc art. sic differentis: *Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm, prout sunt in suis causis, sed etiam, prout unumquodque eorum est actu in se ipso; & licet contingentia fiant in actu successivè; non tamen Deus successivè cognoscit contingentia prout sunt in suo esse, sicut nos; sed simul: quia sua cognitio mensuratur æternitate, æternitas autem, tota simul existens, ambit totum tempus: Undè omnia quæ fiunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione, quâ habet rationes rerum apud se præsentes* (en præsentiam objectivam, seu intentionalem) *ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate* (en præsentiam physicam, & realem.) *His* verè aureis verbis, difficillimam hanc quæstionem dilucidè, pro more, ac fœliciter, absolvit, omnemque aditum, ac diverticula Contrariorum ad præsentiam dumtaxàt objectivam & intentionalem, præcludit penitùs: quippè præter illam, physicam etiam præsentiam, necessariò exactam ab intuitu, seu cognitione intuitiva divini intellectûs, apertissimè astruit; quâ iterùm eisdé futuris tribuit ad; ut exemplũ aptissimũ, quô utitur, planè ostendit: intuenti siquidé ex eminenti loco transeuntes per viã, omnes sunt simul physicè præsentes, tametsi sibi ipsis adinvicèm absentes sint, & in transitu sibi succedentes.

324 Prob. insuper ratione ex laudatis testimoniis êru-

tâ:

tá : Cognitio intuitiva, quâ Deus modò videt Petrum in hac temporis differentia exiſtentem, terminatur ad Petrum phyſicè & realiter præſentem, realiterque ſibi coëxiſtentem; at hęc cognitio, eſt intrinſecè & eſſentialiter ęterna : ergo anteà, & ſemper, & ab æterno erat in Deo cognitio illa, terminata ad Petrum phyſicè præſentem, realiterque ſibi coëxiſtentem : quod enim ęternum eſt, non habet initium eſſendi: Petrus ergo, anteà, & ſemper, & ab æterno, fuit realiter & phyſicè præſens, & coëxiſtens illi cognitioni intuitivæ, relativè ſcilicèt, ad hanc temporis differentiam, in qua realiter exiſtit. Tenet hæc conſequentia : Implicatorium enim prorsùs eſt, cognitionem divinam terminari ad objectum phyſicè & realiter ſibi præſens, realiterque ſibi coëxiſtens, & objectum non eſſe phyſicè & realiter præſens, realiterque coëxiſtens ipſi cognitioni : ergo ſi, &c. Idem enim prorsùs eſt, cognitionem terminari ad objectum phyſicè & realiter præſens, & iſtud eſſe phyſicè & realiter præſens cognitioni. Sicut idem omninò eſt etiam, cognitionem terminari ad objectum realiter ſibi coëxiſtens, ac objectum realiter coëxiſtere cognitioni.

Sed nota benè, ut evaſiones præcludas, cognitionem ſeu notitiam intuitivam, eſſe, juxta omnes, *cognitionem rei præſentis*, pręſentis, inquam, *phyſicè*; aliàs non differret à cognitione ſeu notitia abſtractiva, & purè intentionali: quidquid enim actualiter cognoſcitur, etiam ſi abſtractivè cognoſcatur, eſt objectivè & intentionaliter præſens cognoſcenti, ut eſt evidens. *Nota* præterea, propoſitam rationem ſubſiſtere, quidquid ſit, an cognitio intuitiva exigat, vel non, objectum phyſicè præſens. Quod patet, formando illam ſic : Cognitio, quâ modò Deus videt Petrum, in hoc tempore exiſtentem, terminatur ad Petrum phyſicè ſibi prę-ſentem, & coëxiſtentem; at cognitio hæc, eſt æterna: ergo anteà, & ſemper, & ab æterno erat in Deo cognitio terminata ad Petrum phyſicè præſentem, & coëxiſtentem ſibi in hac temporis differentia: ergo Petrus, ut realiter exiſtens in hac temporis differentia, ſemper, & ab æterno erat phyſicè prę-ſens & exiſtens reſpectu illius congnitionis æternæ Dei. Ef-

fi-

ficacia autem hujus rationis, sic propositæ, subsistit, quidquid sit de cognitione intuitiva, ut patet.

425 Nota demùm inconsequentiam P. Platelii, concedentis, *Deum ab æterno videre futura physicè præsentia in sua tẽporis differentia*, & negantis, *futura nunc, & ab æterno, coëxistere, & esse realiter in æternitate præsentia Deo.* Hęc enim idem prorsùs sunt; ut patet, *tum* ex dictis n. præcedenti, *tum*, quia cognitio, quâ Deus modò videt Petrum, in hac temporis differentia existentem, omninò infallibilis est, utpotè divina, & intuitiva: ergo semper, & quando verificatur de tali cognitione, quòd videt Petrum, verificatur etiam de Petro, quòd est eòdem modò, quò per illam videtur esse: ergo si de illa cognitione verificatur ab æterno, quòd videt Petrum, physicè prælentem, & existentem in hac temporis differentia; & de Petro verificari debet ab æterno, quòd est physicè & realiter præsens, & existens in hac temporis differentia, respectu cognitionis æternę. Et hoc est quod docet Schola nostra: ergo inconsequenter omninò negatur secundũ, dùm primum conceditur. *Prætereà*: Ex ratione communi objecti, benè deducitur præsentia illius objectiva: ergo ex ratione objecti visi in se ipso, ut physicè & realiter existentis, deducitur præsentia physica, & realis.

326 Prob. 2. concl. ratione: Tempus enim non mensurat, neque ambit, nisi quod realiter existit in tempore: ergo nec æternitas, nisi quod realiter existit in æternitate: Cùm ergo æternitas actualiter ab æterno ambiat & mensuret omne tempus, etiam futurum, & quidquid istò mensuratur; omnia futura, tempore mensuranda, realiter existunt in æternitate. Et sanè, cùm ęternitate mensuretur res existens, ut realiter existens & præsens: si aliquando ęternitatas mensuraret rem, ut realiter sibi futuram, aliter, & aliter (& quidem *realiter*) mensuraret eandem rem: undè æternitas esset mutabilis: nihil ergo mensurat æternitas, nisi ut sibi realiter prę-sens. *Esset* prætereà æternitas, mensura succesiva, sicut tẽpus, cùm esset mensura secundùm prius, & posterius.

Memini, rationem hanc propositam quondàm fuisse in Salmanticino Athenæo, contra Scotistam quendã, ab Illustriss.

&

& Sapientiſſ.D.D.Fr.Joanne de Montalvan,Epiſcopo Placentino, Magiſtro ac Dom. meo colendiſsimo , tunc Veſpertinæ Cathedræ Moderatore celeberrimo,ſub hac forma: Duratio (ajebat) comprehendens hos terminos,*ab æterno uſque in ęternum*; phyſicè & realiter coëxiſtit cuilibet exiſtenti,aut extituro intra hos terminos, *ab æterno uſque in æternũ*; at ęternitas eſt duratio , comprehendens hos terminos , *ab æterno uſque in ęternum*: ergo phyſicè & realiter coëxiſtit cuilibet exiſtenti aut extituro intra hos terminos , *ab ęterno uſque in æternum*; ſed quodlibet futurum,quod verè extiturum eſt,exiſtet intra hos terminos,*ab æternò uſque in æternum*: ergo ęternitas phyſicè & realiter coëxiſtit cuilibet hujuſmodi futuro: ergo & quodlibet tale futurum,æternitati.Cujus ratiocinii efficaciam,nec Propugnans ille, nec ejus Patronus, declinare valuerunt,vel quoàd apparentiam.

327 Prob.tandem Concl.Pręterita ſunt realiter in ęternitate præſentia,eruntque hôc modô in æternum,ut Auguſt. perpetuò docet,& ratio convincit,cognitio enim,quâ Deus vidit Adam realiter in Paradyſo exiſtentem , & ſibi realiter præſentem,eſt ęterna à parte poſt ; unde manet in Deo immutabiliter in æternum: ergo & futura ſunt realiter in æternitate præſentia, fueruntque illi hôc modô ab æterno præſentia:ſi enim pręterita ſemper æternitati coëxiſtunt,tametſi in ſe ipſis non ſemper realiter exiſtant , quid ni idem de futuris dicendum eſt?

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

328 Ut ferè omnia Contrariorum tela facilè eludas,prę oculis habeas,oportet, ſequentes diſtinctiones : *Exiſtere abſolutè : exiſtere in æternitate. Exiſtere ab ęterno:exiſtere ab ęterno in ęternitate. Incipere exiſtere,reſpectu Dei : incipere exiſtere, reſpectu temporalium. Futura eſſe in propria menſura , reſpectu Dei & ęternitatis: futura eſſe in propria menſura, reſpectu temporalium & abſolutè. Exiſtere in ſe, abſolutè : exiſtere in ſe , ab ęterno in ęternitate.* Et id genus alias.

329 Opp.1.D.Th.verbis pro nobis adductis,ſolam objectivam futurorum in æternitate præſentiam innuere:*Tum*, quia præſentia quæ habetur ex intuitu , ex viſione Dei,non phy-

physica, sed intentionalis est: *Tum*, quia non ait, quòd intuitus Dei feratur erga res, secundùm præsentialitatem earum æternam; at id opus erat, ut nobis favêret: ergo. *Tandèm* quia Herveus, Sylvester, & alii antiqui Thomistæ, de præsentia dumtaxàt objectiva interprætati sunt inducta D. Th. verba: ergo. *R.* neg.ant. ad 1.prob.N.ant. Cùm enim juxta D.Th. res fiant physicè prę̨sentes per scientiam Dei intuitivam; rectè prob. S. D. physicam rerum præsentiam ab æterno, ex quo ab æterno divinus intuitus, aut scientia Dei intuitiva, feratur supra res, aliquandò in tempore extituras. *Ad* 2. in primis N.maj. idem enim est dicere, *futura ab æterno sunt præsentia*, ac, *præsentia futurorum est æterna*. *Deindè*: N. min. præsentia enim objectiva, æquè æterna esse debet, ac physica: Unde ex quo præsentiam, de qua loquitur, *æternam* non appellet; malè infertur, objectivam esse, & non physicam Ad 3. R. laudatos Thomistas negare solùm physicam futurorum in æternitate præsentiam, quasi adæquatam, & correspondentem omni signo æternitatis: nec oppositum suadibile est. *Ut autem*, testimoniis quæ ex August. nobis objici solent, occurras; adverte, Mag.P. docere duntaxàt, quòd *futura non existunt in sua natura*, quod verum est; at non dicere, quòd *non existant in sua natura respectu æternitatis Dei*, *apud quam* (ut ipse ait) *nec præterita transierunt*, *& futura jam sunt*. Unde fallaciter arguitur ab inferiori ad superius negativè.

330 Opp. 2. Quod in se nondùm existit, nequit alteri coëxistere, quia coëxistere, est *simul cum alio existere*; at futura nondùm in se existunt, sed extitura sunt in aliqua temporis differentia; ergo. *Præt.* Eatenùs res existunt in æternitate, quatenùs existunt in tempore, existunt quippè in æternitate, quatenùs existunt in se ipsis, & extra causas sunt, quod illis convenit in tempore; at non existunt in tempore ab æterno, hoc enim contradictionem implicat, quia quod existit in tempore, incipit esse, & aliquando non fuit; quod autem ab æterno existit, non incipit esse, & ab æterno fuit: ergo. *Dist.maj.* Quod in se nondùm existit, tàm respectu Dei, quàm cæterorum, nequit alteri coëxistere, C. Quod

in

in se nondùm existit, solùm respetu cæterorum, N. Futura autem jam in se existunt respectu Dei, cujus intuitus, ut potè æternus, habet jam sibi ab æterno præsentes res temporaliter existentes, eâ nimirùm ipsâ præsentiâ & existentiâ, quam in se ipsis suô tempore habituræ sunt: Intuitus autem noster, quia temporalis, mensuratur eôdem temporis instanti, quô res ipsæ existentes, quas cernimus; ideòque cognoscere neutiquàm possumus res, ut nobis physicè præsentes, nisi existant pro eâdem temporis differentia, quâ eas intuemur. Et argumêtum procedit, ex puris negativis. *Ad* 2. dist. maj. Quatenùs existunt in tempore, respectu Dei, C. respectu nostri, vel absolutè, N. Nec repugnat, quòd res existant in tempore ab æterno, respectu æternitatis & cognitionis divinæ, quatenùs scilicèt, intuitus divinus, æternitate mêsuratus, omnia simul ab æterno videt, quæ successivè extitura sunt in tempore: Unde, res quæ in tempore extituræ sunt, coëxistunt ab æterno cognitioni Dei intuitivæ, ab æterno terminatæ ad res, proùt suô tempore realiter existentes. Et hæc est summa doctrinæ nostræ.

331 Sed dices 1. Implicat, res existere in se ipsis respectu æternitatis Dei, quin absolutè, & respectu nostri, existant in se ipsis: ergo. Prob. ant. Quod enim existit in se, respectu cognitionis Dei æternæ, verè & realiter in se existit, cognitio quippè divina falli non potest; sed quod verè & realiter existit, absolutè & respectu nostri existit: ergo. *Secundò.* Deus, ratione immensitatis, est localiter præsens omni loco, quin locus divinæ immensitati præsens Valentiæ, v.g. sit localiter Deo præsens Romæ, & ubiquè: ergo Deus correspôdêre potest omni durationi, ratione æternitatis, quin res, Deo realiter præsens in hac temporis differentia, sit illi in æternitate præsens semper, & ab æterno. *Ad* 1. N. ant. ad prob. dist. maj. Verè & realiter existit, absolutè, N. cum illa restrictione, nempè, respectu cognitionis Dei, C. Hoc quippè est divinę æternitatis mysterium, *quòd illi omnia tempora, omniaque temporalia, simul realiter coëxistunt, quin hæc sibi invicèm coëxistant*; seu ut Ber. ait: *Et quidquid tempora volvunt, præsens semper habet.* Res igitur futuræ, & tempus in quo

quo erunt, jam verè & realiter existunt in se ipsis respectu æternitatis divinæ cognitionis; absolutè tamen & respectu nostri, non existunt realitèr in se ipsis; hoc enim enuntiat, res existere in se ipsis pro eâdem temporis differentia, quâ nos sumus existentes, & pro qua profertur propositio enuntians rerum existentiam, quam nempè futura non habent pro hac temporis differentia, in qua sumus. Futura ergo, absolutè loquendo, *nec realiter existunt ab æterno, nec realiter ab æterno coëxistunt Deo*: & hoc est certum secundùm fidem. Quod autem asserimus, est: *futura realiter coëxistere Deo ab æterno, cum restrictione, id est, in æternitate*, seu *in æterna Dei cognitione, terminatâ ab æterno ad futura, ut realiter existentia in sua tẽporis differentia.* Quæ si non confundas, sed, ut par est, distinguas; plura argumenta cessabunt; & quidèm importuna.

332 Ad 2. cui maximè fidunt Adversarii, N.ant. Licèt enim Valentia, & Roma, sibi ipsis non sint localiter præsentes & coëxistentes; benè tamen respectu immensitatis Dei, respectu cujus nulla est distantia locorum: undè hęc consequẽtia non tenet: *Roma non est Valentiæ: ergo Roma non est localiter præsens Deo, existenti Valentiæ*: etenim si Deus, Valentiæ existens, est localiter præsens Romæ; benè sequitur, quòd Roma sit localiter præsens Deo existenti Valentiæ, quanvis non reduplicativè, ut existenti Valentiæ.

333 Opp. 3. Quia futura essent ab æterno creata in æternitate; intelligi enim non potest, creaturam realiter existere, quin sit & intelligatur creata: at hoc repugnat: ergo. Prob.min. *Tum*, quia res omnes creantur in tempore: ergo. *Tum*, quia aliàs bis crearentur, priùs scilicèt, in æternitate; & deinde in tempore. *Tandèm*, quia Deus ab æterno diceretur creator, nam actualiter produceret res per creationem, quod ad talem denominationem satìs est: consequens autem est contra D.Th. q.præced.a.7. *Dist.maj.* Essent ab æterno creata in æternitate, respectu æternæ cognitionis Dei, C. absolutè, N. & sic distinctâ min. N.conseq. Sicut enim visio Dei, ab ęterno videt futura, realiter existentia suò tempore; ita ab æterno videt illa, in suo tempore creata: Quapropter, respectu visionis Dei æternæ, jam creata sunt ab æterno in

æternitate. Hæc igitur propositio, *Futura ab æterno sunt in æternitate creata, respectu cognitionis Dei*, est vera. Sed hæc est falsa, *Futura sunt ab æterno creata*: sensus quippè hujus propositionis, absolutè prolatæ, est, *quòd pro omni signo æternitatis, & absque initio aliquo sui esse, creata sint futura*; quod hæreticum, & implicatorium est. Hinc,

Ad 1.min.prob.N.conseq.imò opposita illius, est optima, hæc scilicèt: *Res omnes in tempore creatæ sunt: ergo jam in æternitate ab æterno creatę sunt*, id est, *respectu cognitionis Dei intuitis illas pro tempore, quò creabuntur*. Ad 2.N.sequel.nam semèl res creantur, scilicèt in tempore; cæterum hoc quod est, *eas semèl creari in tempore*, ab æterno videtur à Deo, cognitione suâ æternâ. Et quidèm, sicut res *non bis creantur, sed semèl in tempore*; ita *non bis cognoscuntur à Deo, sed semel ab æterno*: Cognitio igitur intuitiva, quam Deus modò habet de illis jam creatis, habita est à Deo ab æterno, per quam scilicèt, ab æterno habet illas realiter sibi præsentes. *Ad ult.* N.sequel. Denominatio enim *creatoris*, respicit creaturam absolutè creatam: cum ergo creatura non sit absolutè creata ab æterno, sed in tempore; ideò Deus non dicitur *creator* ab æterno, sed in tempore; ut ibidem docet D. Th. ad 3.& 4.

334 Opp.4. Si futura existerent realiter in æternitate, vel existerent in ea, ut in aliena mensura, & sine propria; vel existerent in ea, tanquàm in aliena mensura, simulque in propria. Si primum: ergo tepus futurũ, quod est propria futurorũ mentura, non existit realiter in æternitate: Si secundũ: non manet locus ut deinde futura extitura sint, & in tempore producenda: ergo. *R.* futura existere realiter in æternitate, tanquàm in aliena mensura, simulque in propria: quia tempus, quô mensurabuntur, quoddam futurum est, in æternitate existens: Cæterùm nec futura mensuranda, nec tempus ea mensurans, absolutè existunt: tempus ergo futurum, sicut absolutè non existit, sed extiturum est; ita absolutè non mensurat ab æterno, sed mensuraturum est; & conseqnenter res futurę, adhùc sunt mensurandæ absolutè ab illo.

335 Opp.5. quædam absurda, quę ex nostra sententia videntur inferri. *Primum*: Quia hæc propositio, *Antichristus*

ſtus exiſtit, abſolutè prolata à nobis, eſſet vera : ergo anteà & anteà,& ab æterno, eſſet abſolutè vera ; & conſequenter futurum eſſet abſolutè ab æterno. Prob.ant.nam prolata abſolutè nunc à Deo, eſt vera ; Antichriſtus enim nunc verè exiſtit reſpectu Dei, ut nos dicimus ; & ſanè ſi verè nunc exiſteret reſpectu noſtri,abſolutè à nobis prolata,vera eſſet: ergo cùm veritas noſtri intellectûs, commenſuretur veritati intellectûs divini,tanquàm primæ regulæ;ſi abſolutè prolata propoſitio illa,eſt vera reſpectu intellectûs divini,erit etiam vera abſolutè in noſtro intellectu,& ut à nobis prolata. *Secundum*: Quia Deus non poſſet anihilare creaturam, ſemèl productam; hæc enim exiſteret realiter in æternitate in ſempiternum. *Tertium*: Quia eſſent veræ iſtæ contradictoriæ, *Antichriſtus exiſtit in æternitate*, *Antichriſtus non exiſtit in æternitate*, & quidem prima ſupponitur vera ; de ſecunda autem prob. nam Antichriſtus, eſt non exiſtens in æternitate, cùm ſit non exiſtens pro ſigno correſpondente huic differentiæ temporis: ergo Antichriſtus non exiſtit in æternitate ; tenet conſeq. per locum arguendi,ab affirmativa de prædicato infinito, ad negativam de prædicato finito.

336 Ad 1. *R.* propoſitionem illam, *Antichriſtus exiſtit*, eſſe abſolutè falſam; enuntiat quippè exiſtentiam Antichriſti in propria menſura,reſpectu temporis, in quo profertur. Et ſanè, ſi talis propoſitio , ex quo à Deo proferretur, importaret reflexionem ad æternitatem, & propterea eſſet vera : hæc etiam, *Antichriſtus veniet*, talem reflexionem importaret, cùm verè exteriùs à Deo prolata ſit , ſeu revelata; & conſequenter eſſet falſa, quia reſpectu æternitatis , jam exiſtit Antichriſtus *Ad* 2. N.ant. ad prob.dicatur: quòd creatura ſemèl producta, ſemper manet exiſtens in æternitate, pro ſigno correſpondente tempori in quo fuerit producta; ſi autem anihilaretur, deſineret exiſtere in æternitate, pro alio ſigno correſpondente tempori ſuæ anihilationis,& deinceps. *Ad* 3. N. ant. hæc enim propoſitio, *Antichriſtus non exiſtit in æternitate*,eſt falſa:quia ly *non*,diſtribuit pro omni ſigno æternitatis. Iſtæ autem, *Antichriſtus in æternitate exiſtit*,*Antichriſtus in æternitate non exiſtit*,ambę ſunt veræ;at contradictoriæ

non sunt, sed subcontrariè, sicut istæ, *Petrus in aliquo loco currit*: *Petrus in aliquo loco non currit*; manet etenim in omnibus êadem particularitas, importata per ly, *in æternitate*, & per ly, *in aliquo loco*.

337 Opp. tandèm: Admittendum fore infinitum in actu secundùm multitudinem; nam cogitationes hominum, futuræ per totam æternitatem, infinitæ sunt: ergo si existerent actu, & simul in æternitate, essent actu infinitæ; at consequens reputatur à nobis impossibile; quod autem impossibile est, non existit in æternitate: ergo. *R.* in æternitate non existere, quod omninò impossibile est; secùs si solùm sit impossibile, respectu temporis, cujusmodi est infinitum in actu secundùm multitudinem; unde hoc existere potest, & de facto existit in æternitate, ut docet D.Th. hìc a.12. Et quidèm impossibile est, tempus essentialiter successivum, habere omnes partes simul; & nihilominùs habet illas simul existentes in æternitate, propter eandem rationem. *Et bene nota*, ut quibusdam instantiis occuras, in æternitate, non solùm existere id, quod in tempore finito existit & producitur; sed omnia, quæ per tempus imaginarium, seu infinitum, extitura sunt successivè (quæ, dubiò procul, infinita sunt) existere jàm; non quidem successivè, sed simul, in æternitate. *Nota præterea*, quòd illa multitudo actu infinita, cùm correspondeat tempori nunquàm finiendo, non oportet, quòd absolutè contineatur sub determinato genere, aut specie; sed potiùs continet in se plura genera & species.

338 Nota demùm, quòd multitudo illa, licèt dicatur infinita in actu, cum hac restrictione, nempè, *respectu æternitatis*; absolutè tamen non est infinita in actu, sed solùm in potentia. Quemadmodùm, licèt Antichristus sit physicè & realiter præsens, respectu æternitatis; absolutè tamen, & simpliciter loquendo, non est præsens, sed simpliciter futurus. Quapropter, hæc consequentia est nulla: *Impossibilis est multitudo actu infinita: ergo impossibilis est multitudo actu infinita, respectu æternitatis*: quemadmodùm nullæ censendæ sunt ab omnibus Thomistis, istæ: *Impossibile est, quòd res quæ successivè fiunt in tempore, simul realiter coëxistant, & quòd tempus habeat*

beat omnes partes ſimul exiſtentes: ergo & impoſſibile id eſt, reſpectu cognitionis divinę, ut ęternitate menſuratæ. Impoſſibile eſt, quòd præterita non tranſierint, & quòd futura jàm realiter exiſtant: ergo id impoſſibile eſt, reſpectu cognitionis Dei. Et aliæ id genus. Fatendum igitur eſt, non repugnare multitudinem actu infinitam, reſpectu æternitatis, ſeu in menſura æternitatis; tametſi abſolutè repugnet.

339 Sed inſtabis: Quod repugnat eſſentialiter alicui rei, repugnat illi in omni menſura, & ſtatu; at multitudini repugnat eſſentialiter infinitas in actu: ergo etiam in menſura æternitatis. *Diſt. maj.* Quod repugnat eſſentialiter abſolutè, C. Quod repugnat eſſentialiter reſpectivè, & reſtrictivè ad aliquem ſtatum, ſeu menſuram, N. & diſt. min. Multitudini repugnat eſſentialiter abſolutè infinitas in actu, N. eſſentialiter in menſura temporis, ſive reſpectivè & reſtrictivè ad illam, C. min. & N. conſeq. Itaque ſtat optimè, aliquid repugnare eſſentialiter alicui rei, in aliquo ſtatu, vel in ſenſu compoſito illius, quin illi eſſentialiter abſolutè repugnet. Animæ namque ſeparatę, ſeu in ſtatu ſeparationis, repugnat eſſentialiter, intelligere dependenter à phantaſmatibus, quin illi eſſentialiter abſolutè repugnet, & in ſenſu diviſo. Homini etiam ſecundùm ſe, & in ſtatu præciſionis, repugnat eſſentialiter, eſſe album, aut nigrum, in ſenſu compoſito talis ſtatûs, non autem eſſentialiter abſolutè. Actui demùm vitali creato repugnat eſſentialiter produci vitaliter à Deo, quin illi eſſentialiter abſolutè repugnet, vitaliter produci, imò id exigit eſſentialiter.

340 Multitudo ergo exigit eſſentialiter finitudinem, eſſentialiterque repugnat illi infinitas in actu; non quidèm eſſentialiter abſolutè, alioquin in omni ſtatu id exigeret, aut ei repugnaret; ſed in menſura temporis duntaxàt: & nihil ampliùs docent Thomiſtæ in Phyſicis. Quod enim repugnat eſſentialiter in aliqua menſura, nec de potentia abſoluta eſſe poteſt in illa: unde, ſi infinitas actualis, repugnat eſſentialiter multitudini in menſura temporis, benè infertur, nec de potentia abſoluta poſſe dari infinitam multitudinē actualem in tempore, ſeu in menſura temporis; quod eſt concluſio

sio Thomistarum 3. Physic. Et quòd non ampliùs ibi doceant, patet evidenter: Si enim docêrent, repugnare essentialiter absolutè infinitatem actualem multitudini; inconsequenter omninò admitterent talem infinitatem, in mensura æternitatis: ergo loquuntur ibi restrictivè ad mensuram temporis, quod intentioni eorum satis est. Omnia ergo constant.

Nota in fine, ut plura argumenta facilè solvas, quòd res in æternitate, nec sunt præteritę, nec futuræ, tametsi verum sit, quòd in ea est præsens, quidquid est præteritum & futurum respectu temporis. Et in hoc stat ęternitatis mysterium. *Deinde* nota, ea quæ uni tertio adęquatè coëxistunt, sibi invicèm coëxistere; secùs, si non adęquatè, sed pro diversis virtualitatibus. Sicut Adę coëxtiterunt Abel, & Seth; non tamen sibi invicèm. *Tandem*, ad sedandam in hoc mysterio quodammodò phantasiam, ultra appositum & celebre D. Th. exemplum, suprà laudatum, juvat duo alia subjungere. *Primum*: Si super circulum perfectum, in plano positum cum suo centro, plura discurrant animalia; conspiciet profectò oculus animalia invicèm distantia, sine distantia à centro. Quidni ergo futura, sibi invicèm non coëxistentia, coëxistent æternitati, divinoque intuitui, cuncta, quę per totum ęternitatis decursum fiunt, physicè producenti? *Secundum*, nec minùs aptum, perennè ministrat anima nostra, physicè coëxistens spiritibus vitalibus & animalibus, sibi invicèm non coëxistentibus, imò per corpus disseminatis, perpetuòque vagantibus, & animæ nihilominùs reapsè coëxistentibus. Idem ergo de æternitate, respectu temporalium, dicendum est: & sicut spiritus, nunc existens in sanguine pedis, re verâ coëxistit animæ existenti in capite, tametsi non coëxistat animę, ut existenti in capite: ita Antichristus, v.g. jàm nunc coëxistit æternitati amplectenti tempus præteritum; quantunvis non coëxistat æternitati, ut amplectenti tempus præteritum. Et ut evasionem præcludas, memineris, Antichristum jàm esse productum, & extra causas, respectivè ad ęternitatem, ut sæpè ex D. Th. dictum est.

DIS-

DISPUTATIO II.

De cognitione futurorum contingentium conditionatorum, quoad an est.

DUBIUM UNICUM.

An futura contingentia conditionata, certò & evidenter cognoscantur à Deo?

341 ANte resol. supponendum est 1. futurum conditionatum esse illud, *quod aliquando erit, si purificetur conditio.* Quod quidèm multiplex est, juxta diversitatem conditionis. Conditio autem quadrifariàm potest se habere ad eventum: Vel enim connectitur infallibiliter cum eventu, ut in sequentibus: *Si Petrus prædeterminetur ad consensum, consentiet: Justus in hac providentia salvabitur, si perseveraverit usquè in finem*: Vel conducit ad eventum, sine connexione cum illo, ut, *Si Petro conferatur auxilium sufficiens, convertetur*: Vel impertinenter seu disparatè se habet ad illum, ut v. g. *Si Turca dormiat, Petrus convertetur*: Vel demùm repugnanter se habet ad eventum, ut, *Petrus salvabitur, si decesserit in mortali.* Et benè nota, quòd licèt conditio repugnet subjecto, potest nihilominùs comparari ad eventum quadruplici modò dictò, ut videre est in sequentibus: *Si lapis esset homo, esset risibilis: Si lapis cognosceret Paulum, illum diligeret: Si Petrus volet, Paulus saltabit: Si lapis esset homo, esset accidens.*

342 Supp. præterea, particulam *si*, dupliciter sumi posse. *Primò* illativè, quatenùs scilicèt, enuntiat illationem seu convenientiam inter conditionem & eventum, quæ sunt extrema unita. *Secundò* concomitanter, quatenùs videlicèt, enuntiat concomitantiam vel simultatem extremorum in existendo. In primo sensu, reddit propositionem conditionalem in rigore talem, ad cujus veritatem, sufficit & requi-

quiritur bonitas consequentiæ,& sic nequit esse contingens, sed, aut necessaria, aut impossibilis: At in secundo sensu, reddit propositionem conditionatam, potiùs quàm conditionalem: quâ ratione, habet propositio conditionalis, seu conditionata, veritatem contingentem, ita quòd ad veritatem, vel falsitatem indifferenter se habet. *Hinc* deducitur, omnem conditionalem, in rigore conditionalis acceptam, cognosci à Deo omninò certò per scientiam necessariam, independenter ab omni decreto, ut necessariò veram, vel ut necessariò falsam. *Infertur* insuper, conditionata primi generis, de conditione, scilicèt, metaphysicè connexa cum eventu, cognosci etiam à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, seu necessariam, independenter à decreto: habent quippè veritatem necessariam, consistentem in bonitate consequentiæ: Undè hęc, *Si Petrus prædeterminetur ad consensum, consentiet*, & similes, non egent decretô ad sui veritatem. Nec ullus Thomistarum oppositum docuit, quidquid dicat Arriaga disp. de scientia media, sect. 3.

343 Nec consensus Petri, futurus sub conditione prædeterminationis efficacis, est conditionatum contingens: nam licèt consensus in se, sit aliquid contingens; dum tamen enuntiatur futurus sub conditione infallibili, non est contingens in ratione futuri conditionati, sed est conditionatum necessarium, cujus veritas in necessaria illatione consistit, per eamque constituitur in ratione futuri conditionati necessarii, non autem per decretum liberum; istô enim non constituitur veritas necessaria, cujus oppositum decerni non potuit. *Ex hac* autem doctrina, perperàm infert P. Borrull (quem aliqui Antithomistæ Valentini sequuntur) dari scientiam mediam, aliaque conditionata contingentia cognosci à Deo independenter à decreto. Quæstio igitur procedit circa conditionata secundi, & tertii generis, scilicèt, *de conditione conducente non connexa*, & *de conditione disparata*, sumptâ particulâ *si*, non *in vi illationis*, sed *in vi concomitantiæ*.

344 Prima conclusio: *Deus certò & infallibiliter, tàm subjectivè, quàm objectivè, cognoscit omnia futura contingentia*

con-

conditionata de conditione conducente, ut determinatè vera, vel, ut determinatè falsa. Concluſio nobis, & Adverſariis communis eſt; horum tamen fundamenta, non modò nobis, ſed & Patri Arriaga prorsùs inefficacia videntur. Vide Bolivar dub. 3. §. 2. Nunc jactent Adverſarii, Thomiſtas, illis convictos, in hanc ſententiam deveniſſe. Prob. efficaciter: Deus revelavit plura conditionata de conditione conducente, ut certò futura: ergo cognoſcit ea, ut certò, & non ut conjecturaliter, futura. Conſeq. tenet, & ant. conſtat ex illo 3. Reg. 11. *Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſsimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini deos earum.* Quibus prædixit Deus Iſraëlitis, certiſsimè futurum peccatum idolatriæ, ſi contraherent matrimonia cum alienigenis. Ex illo etiam Matthęi 11. *Vè tibi Corozain, vè tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in ſilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.*

345 Prob. 2. concl. Omnis enim propoſitio conditionalis de conditione conducente, eſt determinatè vera, vel determinatè falſa: *Tum*, quia vel res ita ſe habet, ſicut per illam enunciatur, & ita eſt determinatè vera; vel non ita ſe habet, & ſic eſt determinatè falſa: *Tum*, quia vel Deus habet decretum de ponendo eventu, poſitâ conditione; vel habet decretum non ponendi eventum, etiam ſi ponatur conditio; vel nullum habet decretum circa conditionatum: Si primũ, conditionatum eſt determinatè futurum: Si ſecundum, & tertium, non eſt futurum, & ſic conditionalis enuntians ejus futuritionem, eſt determinatè falſa: ergo. Patet conſeq. quia Deus omninò certò cognoſcit quidquid verum eſt, ut eſt verum, & quidquid falſum eſt, ut eſt falſum.

346 Secunda concluſ. *Deus omninò certò, etiam objectivè, cognoſcit omnia conditionata diſparata, ut determinatè vera, vel ut determinatè falſa: Ea autem cognoſcit duntaxàt ut vera, erga quæ habet decretum objectivè conditionatum.* Non eſt ſermo de conditionali diſparata, ſumpta *ut illativa*, ſic enim eſt neceſſariò falſa; ſed *in vi concomitantię*. Prima pars concluſionis patet: Omnis enim propoſitio conditionalis diſparata, in re & abſolutè, eſt determinatè vera, aut determinatè fal-

falsa; nam si res ita se habet sicut per illam enuntiatur, est vera; sin autem, est falsa: Cùm ergo Deus cognoscat ut determinatè verum, quòd est verum determinatè, &c. *Secunda* etiam pars constat: Nam conditio de se disparata, potest fieri conducens, imò infallibiliter connexa cum eventu, ratione solius decreti: Et hujusmodi fuit conditio illa, sub qua Elisæus 4. Reg. 13. prænuntiavit Joas, Regi Israël, futuram Syriæ percussionem usque ad consumptionem, sub conditione scilicèt, quòd Rex jaculô percussisset terram quinquiès, aut sexiès, vel septiès.

347 Tertia conclusio: *Conditionata disparata, ut disparata, omnia sunt determinatè falsa, & ut talia cognoscuntur à Deo.* Patet: Quia horum conditio, neque ex se, neque ab extrinseco, seu ratione decreti, conducit ad eventum: ergo sunt determinatè falsa.

Quarta conclusio: *Conditionalis de conditione impossibili & repugnanti subjecto, indifferenti tamen ad eventum, si affirmativa sit, est determinatè & necessariò falsa; si negativa, necessariò vera.* Constat: Nam affirmativa nequit esse vera in vi illationis, cùm supponatur, non dari infallibilem connexionem inter conditionem, & eventum: Nec potest esse vera in vi concomitantiæ, quia sic, nulla conditionalis de conditione non connexa potest esse vera certò & infallibiliter, nisi ratione decreti statuentis eventum esse ponendum sub illa conditione; at Deus habere non potest decretum, quô decernat, eventum poni sub conditione impossibili & complicatoria respectu subjecti, v.g. quòd lapis sit homo: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

348 Opp. 1. contra 1. Dantur conditionata, revelata à Deo ut futura solùm conjecturaliter, & juxta dispositiones causarum secundarum: ergo hæc saltèm cognoscuntur à Deo conjecturaliter ex parte objecti. Conseq. videtur bona ex dictis, & ant. prob. ex illo Genes. 3. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum.* In quibus, & similibus, ly *forte*, conjecturalem & incertam duntaxàt futuritionem significat. *R.* 1. nimis probare argumentum: multa enim futura ab-

absoluta, revelata sunt ut conjecturaliter futura, ut subversio Ninive, & mors Ezechię: quin propterea futura absoluta cō-jecturaliter cognoscantur à Deo. *R.* 2. dist. conseq. Conjecturaliter ex parte objecti, solùm, N. & simul infallibiliter ex vi decreti, C. conseq. Itaque futura conditionata dupliciter à Deo cognoscuntur, in vi scilicèt decreti, & in vi dispositionum causarum secundarum. Primô modô, certò & infallibiliter, tàm subjectivè, quàm objectivè, cognoscuntur: Secundô verò modô, infallibiliter subjectivè, sed objectivè conjecturaliter. Et hoc significatur, quando revelantur in Scriptura sub particula *forte*, vel simili.

349 Opp. 2. D. Thomam in hoc art. 13. & alibi sępè, docere, futura posse cognosci à Deo, primò, certò & infallibiliter, ut præsentia in æternitate: secundò, non nisi conjecturaliter ex parte objecti, ut contenta in suis causis contingentibus; at futura conditionata de conditione nunquàm purificanda, non sunt prędentia in æternitate, ut patet: ergo solùm conjecturaliter cognosci possunt. *Prętereà*: 1. Periherm. lect. 13. docet cum Philosopho, quòd in propositionibus singularibus contradictoriis de futuro contingenti, necesse non est, ut una sit determinatè vera, & altera falsa, sed vagè: ergo non cognoscit Deus conditionata contingentia, ut determinatè vera. *R.* ad 1. futura contingentia, si absoluta sint, tripliciter cognosci à Deo, nimirùm, ut præsentia in æternitate, ut contenta in decreto, & in suis causis contingentibus. Idem dicendum de conditionatis, si purificetur conditio. Si autem conditio non sit purificanda; non cognoscuntur primô modô, sed aliis duobus, & quidèm secundô modô, omninò certò, etiam objectivè. Et hæc est mens aperta D. Thomæ. *Ad* 2. dicendum, propositionem de futuro contingenti, non esse determinatè veram ex vi causarum secundarum, & præcisivè à decreto; secùs supposità decretô efficaci, ut constat ex dictis, constabitque ex dicendis.

350 Opp. 3. Otiosum & inutile videri, ponere in Deo decreta conditionata erga omnes combinationes possibiles: ergo & quòd cognoscat omnia conditionata certò & infalli-

fallibiliter, etiam objectivè. Tenet conſeq. quia hôc modò, ſolùm ratione decreti cognoſci poſſunt, juxta noſtra principia. *Reſp.* 1. N. ant. Eſt enim neceſſarium, ad providentiam infinitam & univerſaliſsimam, de omni eventu poſsibili, etiam ſub conditione, decernere unam vel alteram partem; voluntatem enim divinam non potuiſſe manere ſuſpenſam, probabilius eſt. *Reſp.* 2. datô antec. diſting. conſ. Ut determinatè vera, C. ut determinatè vera, vel falſa, N. Si enim Deus caret decretô erga aliqua conditionata, hęc non ſunt certò futura; deindè propoſitio affirmativa enuntians eorum futuritionem, eſt determinatè falſa, & ut talis cognoſcitur à Deo.

Dices: Si Deus abſolutè decernat conferre Petro auxilium ſufficiens, & quòd ſub illo conſentiat, hôc ipsô, eſt verum hoc conditionatum, *Si Petro conferatur auxilium ſufficiens ad conſenſum, conſentiet*: ergo ſtat benè, Deum carêre decretô conditionatô erga aliquam combinationem, & cô-ditionatum eſſe certò futurum: ergo ruit ſolutio. *R.* duplex illud decretum, alterum de purificanda conditione, & alterum de eventu, æquivalêre decreto conditionato de eventu, poſsitâ conditione; imò eſt aliquid amplius: unde nunquàm verificatur conditionatum, ſine decreto, ſaltèm æquivalenter conditionato.

351 Opp. 4. contra 3. concluſ. Conditio diſparata, ut talis, indifferenter ſe habet ad eventum, & ejus carentiam, & ſi adeſt decretum, talia conditionata ſunt determinatè vera; ſin autem, determinatè falſa: ergo in quantùm diſparata, ſunt indifferentia ad veritatem, & falſitatem. *Præterea*, quia ſequeretur, dari duas contradictorias ſimul falſas. v.g. *Si Turca dormit, Petrus convertetur*: *Si Turca non dormit Petrus non convertetur*: ergo. *Ad* 1. N. conſeq. imò & ſuppoſitum conſequentis: Etenim ſi non adeſt decretum, ſunt diſparata, ut diſparata: Undè, ſi dum non datur decretum, ſunt determinatè falſa; etiam ut diſparata, ſunt hujuſmodi: Si autem datur decretum, deſinunt eſſe diſparata. Et quidèm, ſi conditio eſt omninò indifferens & diſparata, conditionalis affirmativa (de qua ſolùm eſt ſermo) nequit eſſe vera,

ſed

sed evadit falsa, quia ad veritatem conditionalis, etiam concomitanter acceptæ, & ut distinguitur à copulativa, requiritur, quòd eventus sit ponendus dependenter à conditione. *Ad* 2. N. assump. quia ûtraque propositio assignata, est affirmativa, cum in neutra negetur ly *si*, quod est copula principalis: Contradictoria ergo primæ, est hæc, *Non si Turca dormit, Petrus convertetur*, quæ, præcisivè à decreto, est determinatè vera, sicut omnes disparatę negativæ: negant quippè dari conducentiam, ubi re verâ non datur. Hìc autem loquimur de conditionalibus disparatis affirmativis duntaxat, quæ solùm sunt propriè disparatæ; negativæ enim, cùm tantùm negent dari conducentiam ubi non datur, disparatæ dici non possunt, nam quod enuntiant, non impertinens & disparatum est, sed omninò verum. Unò verbò: *Omnis propositio conditionalis disparata, ut talis, seu præcisivè à decreto, si affirmativa sit, est determinatè falsa, si autem negativa, determinatè vera.*

352 Nota hìc benè inconsequentiam asserentium, requiri omninò decretum actuale ad veritatem conditionalis disparatæ, & non requri ad veritatem conditionalis non disparatæ, ut testatur Avendaño disp. 3. §. 11. & disp. 4. c. 2. §. 2. Ostenditur inconsequentia: Ideò enim primum est verum, quia conditio disparata, ex se, non conducit ad eventum; ideoque requiritur decretum, vi cujus conducat; at conditio non connexa cum eventu, tametsi per se conducat ad illum, non infert infallibiliter illum: ergo ut eventum infallibiliter inferat, indiget decretò actuali: ergo sine decreto actuali, non est certò & infallibiliter vera. *Urgetur*, & explicatur: Pro priori ad decretum, non est futurus eventus sub conditione disparata, quia pro illo priori conditio non intelligitur talis, ut eventus sit ponendus dependenter ab illa, utpotè non intelligitur aliquid vi cujus conducat; at in conditionatis conducentibus, pro priori ad decretum, conditio non intelligitur talis, ut illâ positâ, infallibiliter sit ponendus eventus, cùm conditio non connectatur cum eventu: ergo requiritur aliquid, vi cujus connectatur; id est decretum: ergo si conditionata disparata, non sunt vera

ante

ante decretum, nec conditionata conducentia possunt esse infallibiliter vera ante decretum: frustrà ergo astruitur *scientia media.*

353 Opp. tandèm contra 4. Hęc conditionalis, *Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo,* est vera, ut omnes tenent contra Scotum; at est affirmativa de conditione repugnante subjecto, impossibile est enim, quòd Spiritus Sanctus à Filio non procedat: ergo. *Præterea*: Hæc conditionalis, *Si lapis esset homo, esset vivens,* est vera; at est affirmativa de conditione repugnante subjecto: ergo idem. *Ad* 1. resp. quòd talis conditio, tametsi repugnans subjecto, est connexa cum eventu, nempè, carentia processionis, cum carentia distinctionis realis in divinis: Undè conditionalis illa, est necessariò vera in vi illationis; concluſio autem loquitur de conditionalibus de conditione non connexa, ut v.g. *Si lapis esset homo, deambularet.* In forma ergo, vel distinguatur minor, vel negetur absolutè consequentia. *Ad* 2. resp. eôdem modô: Certum est enim, conditionalem de conditione impossibili, esse veram in rigore conditionalis, si conditio sit necessariò connexa cum eventu; in cujus exemplum adduci solet communiter hęc, *Si Petrus volat, habet alas.* Sed de his non loquimur.

354 Quæres autem: An hęc sit vera, *Si lapis esset homo, non esset vivens*? Resp. affirmativè; sicut enim ex conceptu essentiali hominis, necessariò sequitur esse vivens: ita ex conceptu lapidis, sequitur non esse vivens. Utraque ergo est necessaria in vi illationis, & in rigore conditionalis. *Dices*: Si hæc est vera, *Si lapis esset homo, non esset vivens*, hæc etiam esset vera, *Non si lapis esset homo, esset vivens*: ergo hæc non esset vera, *Si lapis esset homo, esset vivens*, aliàs darentur duæ contradictoriæ simul verę. *Resp.* nullum esse inconveniens, quòd ex antecedenti impossibili & complicatorio, inferantur contradictoria, imò hoc est necessarium, cùm tale antecedens necessariò involvat contradictoria.

DIS-

DISPUTATIO III.

De medio, & modo, quo Deus futura contingentia conditionata cognoscit.

355 HUjus disputationis materia, est, quæ inter PP. Societ. & Nostrates alioſque Theologos, atrocissimum bellum induxit, quô se ôbstrepi totus penè Orbis miratus est: Quę Ecclesiam Romanam in ejus cognitione non semèl, nec parùm occupavit, in qua acerrimè utrinquè dimicatum est: Cujus resolutio, est ferè unica doctrinæ têssera: ex ea quippè tàm necessariæ, tàm graves, & tàm contrariæ deducuntur illationes, circa scientiam, providentiam, omnipotentiam, dominiumque Dei, & ejus gratiam, & circa nostram libertatem, & meritum; ut penè, pro ejus diversitate, diversa sit Theologia. In præsenti tamen, ea circa illam attingenda sunt, quæ ad Dei scientiam magis directè spectare noscuntur. Præcipua autem horum difficultas, ad hoc devolvitur: An, scilicèt, cognoscat Deus futura contingentia conditionata certò, & infallibiliter ante omne decretum suę voluntatis actualiter existens? Vel solùm cognoscibilia sint ratione decreti actualis, decreti, inquam, efficacis subjectivè absoluti, & objectivè conditionati, id est, decreti, quô Deus actu velit, rem fieri in tempore sub aliqua conditione? Hoc secundum docent unô ore Thomistę, & quicumque scientiæ mediæ adversantur, quibus adhærent ex parte, id est, quoàd conditionata disparata, Lesius, Albertinus, Fasolis, Torres, Arrubal, & pauci alii Societ. DD. quorum inconsequentiam notavimus suprà n. 352. Primum autem tenent Defensores scientię medię, nimirùm, Deũ certò cognoscere futura cõtingẽtia cõditionata pro priori & pręcisivè à decreto actuali, vel antecedenter ad illud; quę cognitio, appellatur SCIENTIA MEDIA.

Cæ-

Cæterum circa medium, quô illa cognoscit, divisi sunt in varios dicendi modos, quos sigillatim, sequentibus dubiis, rejiciemus. Sit igitur

DUBIUM I.

Utrum Deus cognoscat futura contingentia conditionata in suis ideis, antecedenter ad decretum?

356 COnclusio est negativa, cujus oppositum tribuunt nonnulli quibus arrîdet, Ægidio Rom. & aliis. Prob. autem conclusio, 1. Quia idea præcisivè à decreto, est essentia divina, ut imitabilis à creaturis: ergo in ea, proùt sic, solùm repręsentantur & cognosci possunt creaturæ, ut potentes eam imitari, sive ut posibiles, non ut futurę, seu ut imitaturę; hôc enim modô, repræsentantur in ea, ut imitanda, sive, ut determinata per decretum. *Prætereà*: Idea, præcisivè à decreto, est quid omninò necessarium & indifferens ad futuritionem, & carentiam futuritionis rerum. *Demùm*: Idea divina repręsentare nequit ut futurum, quod non est futurum; at futurum non datur ante omne decretum, ut suprà ostensum est à num. 308. ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

357 Opp. 1. Quia Idea est *exemplar futurorum*, juxta D.Th. inf.q.15.a.2.ad 3. ergo. *Secundò*: Idea repræsentat res, ratione continentiæ; at continet futura ante omne decretum, continentia enim, est illi essentialis: ergo. *Tertiò*: Quia D.Th. docet in præsenti, futura cognosci à Deo, & ut repręsentantur per ideas, & quatenùs sunt in æternitate prę-sentia; sed hôc secundô modô, cognoscuntur pręviô decretô: ergo primô, ante decretum. *Resp.* argumentum probare, Deum cognoscere in ideis ante omne decretum, res, non modò ut conditionatè, sed etiam ut absolutè futuras, imò ut existentes; quod omnibus adversatur. *Ad 1.* ergo dicimus, quòd idea, ante omne decretum, est quidèm

exem-

exemplar futurorum in virtute, non in actu. *Vel*, quòd repræsentat futurum, signatè sumptum, seu ut posibiliter futurum; secùs sumptum exercitè, seu in actu futurum. *Ad 2. R.* ideam, ratione continentię, repræsentare rès, ut posibiles, & quantùm ad essentiam; at quantùm ad futuritionem, seu ut futuras, repræsentare illas, ratione contingentiæ determinatæ per decretum. *Ad 3.* N. conseq. utrôque enim modò cognoscuntur per decreta. Per ideas quidèm decretis determinatas, ut facienda, seu fienda; in æternitate autem, ut jàm facta.

DUBIUM II.

Utrum Deus cognoscat futura contingentia conditionata in voluntate creata, ut supercomprehensa, ante omne decretum?

358 CONcluso est negativa contra P. Molina, qui scientiæ mediæ authorem, aut suscitatorem, audit; cui tamen, præter Becanum, nullus ferè suornm consentit. Prob. autem, *primò*: Voluntas enim creata indifferenter se habet ad opposita: ergo quò perfectiùs cognoscitur, eò magis cognoscitur ut indifferens: ergo ex vi comprehensionis, nequit in ea cognosci unum extremum libertatis, prę alio. *Secundò* ad hominem: Quia ex suppositione scientiæ comprehensivæ, voluntas creata non posset aliter velle: & cùm sit antecedens, & independens à determinatione voluntatis creatę absolutè existente, destrueret libertatem voluntatis, juxta principia Molinæ, asserentis, *quòd si Deus, ex vi supercomprehensionis voluntatis suæ, sciret quid ipse vellet in tali ordine rerum; voluntas divina non maneret libera erga actum ità prævisum.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

359 Opp. 1. D. Thomam 1. contra Gent. c. 67. dicentem: *Ex causa contingenti non impedita, potest effectus certò cognosci, non minùs, quàm ex necessaria*: ergo in voluntate creata non impedita, potest ejus actus determinatè futurus

certò cognoſci. *Secundò*: In voluntate creata, ut prædeterminata, cognoſcitur actus ut certò futurus; at manet indifferens, utpotè libera: ergo. *Tertiò*: Pater, ex indole filii ſibi nota, probabiliter cognoſcit, in quam partem inclinabitur: ergo Deus certò, ex vi ſupercomprehenſionis liberi arbitrii. *Ad* 1. N. conſeq. Loquitur enim D. Th. ut optimè advertit Ferrar. de cauſa naturali, cujus contingentia, unicè provenit ex eo, quòd ab extrinſeco impediri poteſt; non autem de contingenti libera, ab intrinſeco indifferenti. *Ad* 2. diſting. min. Manet indifferens, indifferentiâ partiali, determinandâ per voluntatem, C. Adæquatè, N. Jàm enim ſupponitur determinata efficaciter à cauſa prima, & ex vi hujus determinationis, connexæ cum actu, cognoſcitur iſte ut certò futurus. *Ad* 3. N. conſeq. Quod enim non eſt verum nec cognoſcibile, cognoſci non poteſt à Deo: Ex indole autem, cognoſcitur conjecturaliter unus eventus, præ alio.

DUBIUM III.

Utrum Deus cognoſcat prædicta futura in ſuis decretis, pro aliquo ſigno futuris, ſeu, ſubjectivè conditionatis?

360 CONcluſ. eſt negativa contra P. Suarez, cui adhærent Faſolis, aliique pauci; & prob. Nequit Deus cognoſcere ſua decreta, ut futura pro aliquo ſigno: ergo in illis cognitis ut futuris pro aliquo ſigno, nequit Deus, &c. Prob. ant. *Tum*, quia licèt pro ſigno neceſſariorum, decreta non cognoſcantur ut exiſtentia, non tamen poſſunt cognoſci, ut non exiſtentia, ſive cum carentia exiſtentiæ, cùm ſint æterna; quod tamen neceſſariò requiritur ad futuritionem: *Tum*, quia pro priori ad decreta, nihil datur connexum cum decreto, ut habendo pro alio ſigno poſteriori, in illo etenim ſigno, omnia ſunt omninò neceſſaria. *Tum*, quia ſcientia, quâ, pro priori ad decreta, cognoſceret Deus iſta ut futura, tolleret libertatem decretorum,

jux-

juxta principia Suarez & Contrariorum: præcederet enim, & inferret infallibiliter decreta; esset prætereà suppositio antecedens, id est, non existens ex determinatione divinæ libertatis, præcederet quippè omne decretum, seu determinationem voluntatis divinæ.

361 Si dicas, scientiam illam existere ex determinatione libera futura, nam supponit decretum liberè futurum, seu extiturum. *Contra est*: nam pro priori ad omne decretum, & in signo necessariorum, omnia sunt indifferentia ad futuritionem, & non futuritionem decretorum; siquidem omnia sunt necessaria: ergo nihil est in eo signo, vi cujus decretum possit intelligi extiturum: ergo illa scientia non supponit decretum ut extiturum. *Urgetur*: Si illa scientia non est Deo simpliciter necessaria, sed contingens, & potens ei deficere: ergo non intelligitur existens pro signo necessariorum, & intelligitur existens pro signo posteriori: ergo pro illo signo priori, Deus intelligit illam ut futuram. Nunc sic: Vel illa scientia reflexa, quâ Deus intelligit aliam ut futuram, est simpliciter necessaria, & consequenter etiam ea cum qua connectitur: vel est contingens & libera? Si hoc secundum, idem argumentum fit de illa, & sic de alia reflexa supra illam, & ità procedendo in infinitum; quod est absurdum: ergo scientia illa est complicatoria.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

362 Opp. 1. Decretum priùs ratione intelligitur possibile, quàm existens (priùs enim intelligitur Deus potens decernere, quàm decernens:) ergo & potest intelligi pro aliquo signo ut futurum; minùs enim distat futuritio ab existentia, quàm possibilitas. *Prætereà*: Priùs intelligitur in Deo decretum intentivum gloriæ, quàm electivum mediorum; simul tamen intelligitur Deus habiturus hoc decretum pro signo posteriori: ergo non repugnat, decretum divinnm intelligi futurum pro aliquo signo. *Prætereà*: Si Angelus ab æterno creatus, vellet ab æterno aliquod objectum; priùs ratione intelligeretur voliturus, quàm volens: ergo etsi decretum sit æternum, potest intelligi futurum pro aliquo signo. *Tandèm*: Si per impossibile, decretum

inciperet in tempore, Deus ab æterno cognoſceret illud ut futurum: ergo etiam poteſt cognoſcre illud ut futurum pro ſigno, quò nondùm intelligitur.

363 Ad 1. *R.* decretum intelligi & dici poſsibile, *logicè*, non *phyſicè*: quapropter minùs diſtat ab exiſtenti, quàm futurum, cùm hoc importet carentiam exiſtentiæ. Poſsibile autem *logicè*, eſt, *quod poteſt eſſe, tametſi ſit*; poſsibile verò *phyſicè*, eſt, *quòd poteſt eſſe, dummodò non ſit*. Ad 2. diſtingo ant. pro 2.p. intelligitur habiturus hoc decretum, ita, quòd hoc intelligatur poſsitivè non exiſtens, N. per hoc præcisè, quòd non intelligatur exiſtens pro eo ſigno, permitto ant. & N. conſeq. Itaque ad futuritionem requiritur carentia exiſtentiæ, quam habere non poteſt decretum, tametſi electivum ſit. Si autem admittatur decretum electivum, futurum in vi intentivi; nunquàm infertur, poſſe eſſe futurum ante omne decretum, imò oppoſitum. *Ad* 3. imprimis N. ant. propter dicta. Deindè, datò ant. N. conſeq. quia pro priori ad exiſtentiam volitionis Angeli, intelligeretur etiam decretum efficax Dei de exiſtentia illius, infallibiliter inferens eam: At, pro priori ad omne decretum, nihil intelligi poteſt, inferens ejus exiſtentiam pro poſteriori. *Ad ult.* N. ant. Niſi fortè ponatur in Deo ab æterno decretum reflexum, connexum cum exiſtentia decreti incipientis in tempore: quò caſu, N. conſeq.

DUBIUM IV.

Utrum Deus cognoſcat memorata futura in eorum veritate objectiva, ante omne decretum?

364 COncluſ. eſt negativa, contra frequentiorem, & jàm ferè communem, Adverſariorum ſententiam, & prob. Quia ante decretum, ſubjectivè exiſtens in Deo, nullam habent veritatem objectivam futura conditionata: ergo. Ant. prob. 1. ex verbis D. Th. relatis ſuprà n. 309. ex quibus ſic arguitur: Si in futuris contingentibus conditionatis, daretur veritas objectiva ante decretum, eſſent

ſent futura ante decretum; at juxta D.Th. nullum datur futurum ante decretum, id eſt, ante determinationem ſeu diſpoſitionem divinæ voluntatis: ergo. *Præterea*: Ex quo res in tempore fiat ſub conditione, non ſequitur, quòd ſemper, & ante determinationem primę cauſę, fuerit ſub conditione futura, ut conſtat ex littera D. Thomæ; ſed veritas objectiva ſtat in eo, quòd ſi res in tempore ſub conditione fiat, ſemper, & ante determinationem primæ cauſæ, fuerit ſub conditione futura: ergo, &c. Conſeq.tenet. Maj.eſt D.Th. doctrina; minor autem Adverſariorum.

365 Prob. 3. ant. ex D.Th. 1.Periherm. lect.15. Veritas objectiva futuri contingentis conditionati, debet eſſe contingens, ut ex terminis patet, futurum enim contingens illud eſt, cujus veritas eſt contingens; at ſi talis veritas antecedat omne decretum, nequit eſſe contingens, ſed neceſſaria: ergo non datur talis veritas antecedens omne decretum. Prob.min. *Tum*, quia antecederet omnem ſuppoſitionem liberam & contingentem. Decretum enim eſt prima ſuppoſitio libera, cùm ſit determinatio primi liberi. *Tum*, quia nunquàm, & in nullo ſigno, eſſet indifferens ad eſſe, & non eſſe; eſſet quippè in omni ſigno, *quod autem eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe*: ergo in nullo ſigno eſſet indifferens: ergo non eſſet contingens. *Conf.* Ex quo Deus ſit omnipotens ante omnem ſuppoſitionem liberam & contingentem, eſt neceſſaria & non contingens veritas hujus propoſitionis, *Deus eſt omnipotens*: ergo etiam erit neceſſaria veritas hujus conditionati, *Si Petrus ponatur in hac occaſione, conſentiet*, ex quo conſenſus Petri ſit conditionatè futurus ante omnem ſuppoſitionem liberam & contingentem.

366 Hinc præcluſa manet evaſio Contrariorum, dicentium, veritatem futuri conditionati, non antecedere omnem ſuppoſitionem liberam, cùm non antecedat, ſed ſupponat, determinationem liberam volũtatis creatæ. Præcluſa, inquam, manet, & ampliùs rejicitur: nam determinatio voluntatis creatæ, conſenſus Petri, v.g. vel ſupponitur exiſtens, vel futurus, ad veritatem futuri conditionati: non primũ; aliàs futurũ conditionatum non eſſet verũ ab æterno,

ſed

ſed in tempore in quo Petrus, poſitus in occaſione, conſentit. Nec ſecundū: nam ſi veritas conditionata, ut evadat contingens, ſupponere debet futuritionem ipſam conditionatā contingentem: ergo ut futuritio ipſa conditionata evadat contingens, ſupponere debet aliquid aliud contingens; ac nihil ſupponit contingens, cùm non ſupponat decretum, quod eſt primū contingens ab æterno: ergo. *Dices*: Futuritionem conditionatam ſupponere determinationem ipſam voluntatis creatæ, ut extituram ſub conditione, quæ determinatio, libera & contingens eſt. *Sed contra*: Idem enim eſt, *futurum conditionatum*, ac, *extiturum ſub conditione*: ergo idem omninò eſt, *futuritio conditionata determinationis voluntatis creatę*, ſeu *actus liberi ejuſdem*, ac *determinatio voluntatis creatæ, extitura ſub conditione*: ergo ad primum nequit ſupponi ſecundum, tanquàm quid antecedens illud.

367 Prob.4. ant. principale, evertendo Contrariorum fundamentum: Ex quo Petrus abſolutè conſentit in tempore, non infertur, hanc cathegoricam, *Petrus conſentiet*, fuiſſe veram ante omne decretum ab æterno: ergo ex quo poſitus in tali occaſione, conſentit in tempore, non ſequitur, quòd ab æterno ante omne decretum fuerit vera hæc hypothetica, *Si Petrus ponatur in tali occaſione, conſentiet*: ergo ruit illorum fundamentum. Ant. non negatur ab illis, & conſeq. tenet: nam ſicut veritas futuri abſoluti, pendet ab exiſtentia abſoluta, & propoſitio de futuro abſoluto, regulatur per propoſitionem abſolutam de præſenti: ita veritas futuri conditionati, pendet ab exiſtentia conditionata, & propoſitio de futuro conditionato, regulatur per ſuam de eſſe, purificatà jàm conditione: ergo.

Dices, futurum abſolutum, quia abſolutè eſt tale, exigere omnes cauſas, vel exiſtentes, vel futuras; ſecùs conditionatum, quod ſolùm conditionatè eſt tale. *Sed contra eſt*. Nam hoc futurum conditionatum, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit*, importat ex parte Petri auditionem concionis, & pœnitentiam, hanc ut futuram ſub conditione, illam ut merè poſsibilem: ergo licèt decretum de audienda concione, importetur ut merè poſsibile, decretum tamen de

con-

concurrendo ad pœnitentiam, importari debet saltèm ut futurum; & cùm non possit esse adhùc conditionatè futurum, debet esse existens. *Præterea*: Eôdem modô dependet res à causis per se, in statu conditionato, ac absoluto; ab illis quippè essentialiter dependet, atque adeò in omni statu; at in statu absoluto, dependet futurum à decreto volente concurrere ad illud, vel existente, vel saltèm futuro: ergo in statu conditionato, dependet futurum à decreto volente cõcurrere, vel existente, vel saltèm conditionatè futuro: ergo dependet à decreto existente; futuritio enim, quantunvis conditionata, repugnat decreto, cùm transeat in absolutam, purificatâ conditione.

368 Prob. 5. ad hominem, contra asserentes, conditionata disparata non esse vera ante decretum actu existens, de quo sup. n. 352. & urgetur sic: Ex quo verum sit in tempore, quòd, *dormiente Papâ, Turca convertitur*, non infertur, hoc conditionatum, *Si Papa dormiat, Turca convertetur*, habuisse ab æterno, ante omne decretum, veritatè objectivam: ergo ex quo Petrus, auditâ concione, pœniteat in tempore, malè infertur, hoc conditionatum, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit*, habere veritatem objectivam ab æterno ante omne decretum. *Dices*, conditionalem enuntiare actualem conducentiam, non autèm actualem conjunctionem, sed tantùm futuram sub conditione; & quia illa non datur inter conditionem disparatam & eventum; propterea requiritur decretum actuale ad ejus veritatem objectivam: Ad veritatem autem objectivam conditionati conducentis, sufficit decretum conditionatè futurum, decretum scilicèt, quod foret, si purificaretur conditio. *Sed contra*: Eadem prorsùs ratio militat, ut conjunctio importetur de præsenti, si conducentia de præsenti importetur: ûtraque enim enuntiatur eisdem verbis, quandoquidèm eadem propositio enuntiat utrunque, *conducentiam* scilicèt *conditionis ad positionem eventûs, & eventum esse infallibiliter ponendum, si ponatur conditio*: ergo nullum est discrimen. *Præt.* Non minùs de præsenti importatur *certitudo conjunctionis futuræ* inter conditionem & eventum, quàm *conducentia*: ergo sicut ad conducentiam,

quę

quæ de præsenti importatur, exigitur decretum actuale, quando conditio non habet ab intrinseco conducentiam; ita exigitur decretum actuale ad certitudinem conjunctionis inter conditionem & eventum, quando conditio ex se non fert illam certitudinem.

369 Prob. demùm principale ant. subvertendo fulcrum aliud existimantium, *futura contingentia conditionata habere veritatem objectivam ante decretum, ex vi & lege contradictionis.* Lex enim contradictionis, juxta Dialecticos, solùm exigit, quòd ambæ contradictoriæ non possint esse veræ, aut falsæ: ergo non exigit quòd una sit determinatè vera, aut falsa, sed vagè & indeterminatè, id est, quòd si una sit vera, altera debeat esse falsa, & econversò: ergo. Ant. est dogma dialecticum, & ostenditur, *Tum* ad hominem: Quia ante omne decretum formari possunt propositiones contradictoriæ de futuro absoluto, & de conditionatis disparatis, quin, juxta Adversarios, detur veritas objectiva illorum determinata ante decretum: *Tum*, quia istæ propositiones, *Voluntas consentit, Voluntas non consentit*, formari possunt de voluntate, pro signo indifferentiæ ad consensum, vel dissensum: *Tum*, quia formari possunt propositiones contradictoriæ de futuris conditionatis, in signo necessariorum: *Tandem*, quia in signo, quò intelliguntur propositiones ipsę cum solis prędicatis essentialibus, intelligi non possunt veræ, aut falsæ, veritas quippè, & falsitas, sunt accidentia propositionum: præcipuum igitur Contrariorum fundamentum undiquè, & penitùs ruit.

Conf. Ex quo hæc conditionalis de extremo disjuncto, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit, vel non pœnitebit*, vera sit ante decretum; non infertur, aliquam ex ejus partibus esse determinatè veram ante decretum: Sicut ex quo sit necessaria, non sequitur, aliquam ejus partem esse necessariam: Sicut etiam ex quo hæc disjunctiva, *Petrus pœnitebit, vel non pœnitebit*, sit determinatè vera ante omne decretum, non sequitur, unam ejus partem esse determinatè veram ante decretum; ûtraque enim pars, est de futuro absoluto, cujus determinata veritas pendet à decreto, ut ipsi fatentur. Enim-

ve-

verò, disjunctiva coalescens ex duabus contradictoriis, non ideò vera est, quia aliqua illius pars sit determinatè vera; sed quia falsitas unius, ædificat veritatem alterius, cùm enim ûtraque non possit esse falsa, altera debet esse vera.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

370 Opp. 1. fundamentum modò evulsum. Ante omne decretum formari possunt, aut concipi, hæ contradictoriæ: *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit*: *Non si Petrus audiat concionem, pœnitebit*: ergo ante omne decretum altera est determinatè vera, aut falsa, cùm hæc sic lex contradictionis. *Præt.* Hęc disjunctiva, *Petrus, auditâ concione, pœnitebit, vel non pœnitebit*, ante omne decretum est determinatè vera: ergo aliqua ejus pars, est determinatè vera ante omne decretum. Prob. consq. Ut disjunctiva sit vera, aliqua ejus pars debet esse vera: ergo ut sit determinatè, &c. *Insuper*: Hæc copulativa, *Petrus, auditâ concione, pœnitebit, & non pœnitebit*, est necessariò falsa & complicatoria ante omne decretum: ergo & aliqua ejus pars, cùm falsitas copulativæ, ex falsitate unius saltèm partis illius, pendeat: ergo altera erit determinatè vera, cùm sit contradictoria alterius. *Ad* 1. N. consq. ad prob. inclusam, patet ex dictis n. præced. Quæ confirmari possunt authorit. Phil. 1. Perhierm. c. 6. sic de contradictoriis contingentibus differentis: *Horum enim necesse est, alteram partem contradictionis veram, vel falsam esse; non tamen hoc, vel illud, sed utrumlibet.* Quæ sic commentatur Dr. Ang. *Dicit, quòd harum enuntiationum, quæ sunt de contingentibus, necesse est, quòd sub disjunctione, altera pars contradictionis sit vera, vel falsa; non tamen hæc, vel illa, determinatè, sed se habet ad utrumlibet.* Datò autem, legem contradictoriarum esse, quòd altera sit determinatè vera, & altera falsa, pro omni signo reali; non tamen pro omni fingno rationis, ut patet exèplis adductis. n. præced. in quibus instatur argumentum. *Ad* 2. patet ex n. præced. neg. esse consq. quæ instari debet in necessitate illius propositionis, ut ibi.

371 Ad 3. N. etiam consq. propter ibi dicta, & instatur in impossibilitate ejusdem prop. ortâ ex cotradictione partium. *Dices*: Benè valet: *Hæc copulativa est falsa*: ergo

fal-

saltèm una pars illius est falsa: ergo etiam benè valet: *Hæc copulativa est falsa determinatè ante decretum : ergo saltèm una pars illius est falsa determinatè ante decretum*; arguitur quippè ab eodem antecedenti ad idem consequens, cum eodem addito. *N. conseq.* Illa enim regula, frequenter quidèm tenet; àt non semper, ut multis ostendunt Dialectici : Interdùm enim, termini superadditi antecedenti, & consequenti, bonæ consequentiæ, variant aliunde sensum propositionum, ità, ut in antecedenti servent eundem sensum verum, & in consequenti superinducant sensum falsum. Vulgare est sequens exemplum, *Benè valet : est scibile : ergo ens*, non tamen valet : *est simpliciter scibile : ergo est simpliciter ens*, falsificatur enim in ente rationis, quod est objectum Logicæ. Patet insuper in ipsa propositione objecta : Benè valet : *Hæc copulativa est falsa : ergo aliqua ejus pars est falsa*, non tamen valet : *Hæc copulativa est necessariò falsa : ergo aliqua par illius est necessariò falsa, seu impossibilis.* Et ratio non semèl data, est, quia falsitas copulativæ coalescentis ex contradictoriis (sicut & veritas disjunctivæ ex eisdem compositæ) evadit determinata, imò & necessaria, non ratione alicujus partis, sed vi ipsius contradictionis, versatæ inter partes, quæ non patitur, ambas esse veras, aut falsas. Et cum contradictio, in tota propositione, & non in partibus ejus, inveniatur; ideò stat, illam esse determinatè veram, aut falsam, quin partes sint hujusmodi.

372 Opp. 2. aliud fundamentum jàm pariter refutatum n. 367. Ex quo Petrus, auditâ concione, pœniteat in tempore, est vera hęc propositio de inesse, *Petrus, auditâ concione, pœnitet*, quôcumque aliô seclusô; sed ex quo propositio de inesse, vera sit in tempore, propositio de futuro, per illam regulata, vera fuit ab æterno : ergo ex quo Petrus, auditâ concione, pœniteat in tempore, hæc propositio fuit vera ab æterno, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit* : ergo & vera fuit ab æterno ante omne decretum, propter eandem rationem; propositio enim de futuro, cujus de inesse, aliquando est vera; semper & pro omni signo fuit vera. *Prat.* In quocumque signo formetur hęc propositio, *Si Petrus audiat con-*

cio-

cionem, pœnitebit, nihil aliud enuntiat, nisi, quòd *Petrus aliquando, auditâ concione, pœnitebit*: ergo per hoc præcisè, quòd Petrus aliquando, auditâ concione, pœniteat, illa conditionalis est determinatè vera in quocumque signo, & consequenter ante decretum. *Adhæc*: Propositio de præterito, v.g. *Petrus, auditâ concione, pœnituit*, ad sui veritatem, solùm desiderat, quòd sua de inesse, aliquando fuerit vera: ergo pariter propositio de futuro, &c. ûtraque enim regulatur per suam de inesse.

373 Hoc argumentum easdem patitur instantias, ac præcedens, ut constat ex num. 367. & 368. militat siquidem eôdem modô in futuris absolutis, in conditionalibus disparatis, & in quacumque propositione de futuro conditionato, etiam pro signo possibilium, & pro signo indifferentiæ objectivæ; in quibus, hujusmodi propositiones non sunt determinatè veræ. *N.* igitur 2. conseq. quam omnes negare tenentur, propter evidentes instantias modò indicatas. Itaque, sicut ex quo res ipsa sit in tempore, infertur quidem, fuisse ab æterno decretum de illius existentia; non tamen, quòd fuerit futura ante decretum: ita similiter, ex quo propositio de inesse, vera sit in tempore, sequitur quidem, conditionalem de futuro per illam regulatam, ab æterno fuisse veram, sed non ante decretum, aliàs esset vera, nulla existente causâ suę veritatis de futuro. Hinc, *Ad* 2. permissô ant. N. conseq. Pœnitentia enim Petri, auditâ concione, non est causa, sed signum duntaxàt, veritatis hujus conditionalis, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit*; est enim istâ posterior. Et quia aliàs, conditionalis non esset vera ab æterno, imò & numquàm, cùm desinat esse vera, quando verificatur pœnitentia Petri de prędenti in tempore: Quarè, ex quo Petrus, auditâ concione, pœniteat in tempore, solùm infertur, conditionalem fuisse veram ab æterno, ex eo quòd ab ęterno adfuit causa suæ veritatis, nempè decretum Dei.

374 Ad 3. R. 1. nimìs probare, scilicèt, quòd nec de potentia absoluta, possit non esse vera propositio de futuro contingenti; etenim propositio de prędterito, nullâ poten-

tentiâ, potest non esse vera, suppositô, quòd sua de inesse, aliquando fuerit vera. *Deinde* N. consèq. quia propositio de præterito, re verâ est posterior ad propositionem de præsenti; unde ista habere potest rationem causæ respectu illius, vel relinquere aliquid stabiliens veritatem de prçterito : At propositio de futuro contingenti, est vera, antequàm vera sit sua de inesse : quarè, ultra hujus veritatem, requiritur causa stabiliens veritatem de futuro, quæ alia esse non potest, nisi decretum. *Demùm* negari potest ant. juxta dicta n. 317.

375 Opp. 3. cum P. Borrull : De illis principiis, quibus voluntas operatur in statu absoluto, verificatur in statu conditionato, quòd si ponantur, operabitur, quôlibet aliô seclusô; sed dantur hujusmodi principia: ergo de illis in statu conditionato verificatur, quòd si ponantur, operabitur voluntas, quôlibet aliô seclusô; at decretum objectivè conditionatum, non est aliquod ex hujusmodi principiis, cùm pertineat ad statum conditionatum, non ad absolutum : ergo, seclusô hujusmodi decretô, verificatur in statu conditionato, quòd si adsint alia principia, voluntas infallibiliter operabitur. *En argumentum* positivè probans scientiam mediam, ut Recentior ille existimat. *Sed certè* (pace illius dictum sit) vagatur extra controversiam, & non repugnantes aggreditur Thomistas. Unde concedimus totum argumentum, quod procedit de conditionatis illis, in quibus, ex parte conditionis, importatur principium infallibiliter connexum cum actu: quæ cùm sint conditionata simpliciter necessaria, ex vi illationis; cognoscuntur ante decretum per scientiam necessariam, ut universi Thomistæ ultrò fatentur. Hujusmodi sunt : *Si prædeterminavero Petrum ad consensum, consentiet*: *Si decrevero pœnitentiam Petri, pœnitebit*, & id genus alia. Præsens autem controversia est : *Utrum futura conditionata contingentia* (in quibus scilicèt, ex parte conditionis, non importatur aliquid connexum cum eventu) *cognoscantur à Deo ante decretum, seu per scientiam mediam*? illis affirmantibus, nobis negantibus. Profectò, si hoc est argumentum positivè probans *scientiam mediam*; qualia erunt probabiliter solùm eam suadentia?

Opp.

376 Opp. 4. cum eodem : Post decretum absolutum quò Deus velit, Petrum, auditâ concione, pœnitêre; infallibiliter scit Deus, Petrum, auditâ concione, absolutè acturum pœnitentiam : ergo ante hujusmodi decretum, infallibiliter sciebat Deus, quòd si Petrus audiret concionem, pœnitêret. Tenet conseq. quidquid enim in statu absoluto infallibiliter fit sub aliquo principio, verum erat in statu conditionato, quòd fieret sub conditione ejusdem principii. *Præterea*: Per hoc præcisè quòd Deus habeat duo decreta, alterum, quô velit, Petrum audire concionem, & alterum, quô velit ejus pœnitentiam, erit verum hoc conditionatum, *Si Petrus audiat concionem, pœnitebit*: ergo hoc conditionatũ, potest esse verum absque decreto conditionato. *Ad* 1. N. utrâque conseq. In antecedẽti enim, assumitur decretũ absolutum, ut medium infallibile in statu absoluto, ad attingendã pœnitentiam absolutè futuram; in consequenti autem, non infertur pœnitentia in statu conditionato, futura sub conditione decreti, sed sub conditione non connexa, scil. cèt, audiendi concionem, quod nec ex ant. illo, nec ex principio subjuncto, ad probandam conseq. inferri valet. Fallaciter igitur procedit. *Si autem* inferret benè, concedenda esset conseq. Sed nihil contra nos, ut dictum est ad prçcedens argumentum. *Ad* 2. C. totum. Hoc quippè unum est pro quo disceptamus; nimirùm, *Ante decretum divinæ voluntatis, seu absolutum sit, seu conditionatum, nullam dari veritatem contingentem futuri absoluti, vel conditionati.*

377 Opp. 5. ex eodem : Deus ab æterno novit quidquid in tempore fit, v.g. Petrum hodie disputare, idque in ipsa veritate objectiva, in qua novit etiam, hodiernam Petri disputationem non fuisse ab æterno: ergo novit in ea, disputationem Petri ab æterno fuisse futuram. Et idem est de aliis. *Mirum* profectò, medium istud visum fuisse demõstrativum, cùm nè leviter quidèm difficultatem attingat, sicut & præcedentia. Concedo ergo totum. Nemo enim dubitat, *futura, ab æterno esse futura, habereque veritatem objectivam, quã Deus certò ab æterno sciat.* Quid ergo opponunt? quasi idem sit, *Deum cognoscere ab æterno futura in veritate objectiva*, Et, *illa*

in

in ista cognoscere ante omne decretum ? Hoc secundum negamus, & hoc est quod suadêre debent, non primum, quod nec Philosophos latêre potuit. Et sanè argumentum loquitur de futuris absolutis, quæ, non ante decretum per scientiam mędiam, sed post decretum per scientiam visionis, cognosci à Deo, omnes Jesuitæ nobiscum fatentur. Et nihilominùs efficax reputatur contra Nos.

378 Oppones ultimò : Peccatum conditionatè futurum, cognoscitur à Deo infallibiliter ab æterno, cùm illud non semèl revelaverit, ut videre est 3. Reg. 11. & alibi; at peccatum, saltèm quoàd formalem malitiam, prędvideri non potest conditionatè futurum in decreto conditionato illius, Deus enim non decernit peccatum quoàd malitiam : ergo prævidetur in ipsa veritate objectiva, independenter à decreto. *Resp.* malitiam prævideri futuram in decreto permissivo. Porrò, datô quòd malitia formalis prævideretur futura ante omne decretum, parùm utilitatis afferret SCIENTIA MEDIA quæ ad solam malitiam explorandam inventa esset.

DUBIUM V.

An, ut Deus certò cognoscat futura contingentia conditionata, opus sit decreto subjectivè absoluto, & objectivè conditionato?

379 CONclusio est affirmativa, & intelligitur de decreto ab intrinseco efficaci; quâ ratione, est doctrinę Thomisticę character; & prob. *Tum* ex dictis, cùm enim Deus certò cognoscat hujusmodi futura, & non in ideis, nec in voluntate creata ut supercomprehensa, nec in decretis pro aliquo signo futuris, nec tandèm in ipsa veritate objectiva ante omne decretum : restat, ut ea cognoscat in decreto actualiter existente in Deo. *Tum*, quia ut Deus cognoscat hujusmodi futura, seu quòd aliquid sit conditionatè futurum, opus est, quòd sit conditionatè futurum; at nihil contingens, est conditionatè futurum, nisi ratio-

tione divini decreti actualis, ut fusè ostensum est suprà à n. 308. ergo. *Dices*, non requiri decretum actu existens, sed sufficere decretum quod esset, si purificaretur conditio; futurum enim conditionatum, per illud cognoscendum, non est, sed esset, si purificaretur conditio. *Hæc est* præcipua solutio Adversariorum: Sed rejicitur evidenter, præter dicta, *Tum*, quia tale futurum, actu & de facto est conditionatè futurum: ergo & decretum, tribuens illi futuritionem, debet actu existere: *Tum*, quia futurum absolutum, re verâ non existit, sed existet; sed nihilominùs, quia de facto est futurum, indiget decretô, quod sit, nec sufficit, quod esset: ergo cùm futurum conditionatum, quanvis de facto non existat, re verâ sit conditionatè futurum ab æterno, eget decretô quod sit, non quod esset.

380 Ut hujus replicæ vim declinent RR. dicunt, nec futurum absolutum exigere per se, & ex terminis, decretum actu existens, sed ab extrinseco, id est, non conditio ipsa futuri, id exigit; sed ipsa natura decreti, cui repugnat futuritio, cùm sit essentialiter æternum: Futurum enim (dicunt) exigit decretum tanquàm causam sui esse, posteà habendi, quæ non requiritur actu existens, sed satis est, quòd posteà existat, ut patet in aliis causis, à quibus res futura etiam dependet, quæ quidèm satis est, quòd sint futuræ; ut enim actus charitatis, v.g. sit absolutè futurus, non requirit voluntatem, habitum charitatis, & auxilium, actu existentia; sed satis est, quòd sint futura: futurum igitur absolutum, ex natura sua, non exigit decretum existens; ac proinde nec futurum conditionatum: sed decretum duntaxàt quod esset, si purificaretur conditio. Et sanè (subdunt) nec Thomistæ negare possunt, quòd de facto non datur in Deo decretum conferendi gloriam Judę; quod tamen esset in Deo, sub conditione quòd decrevisset illius perseverantiam finalem: Negari ergo non potest in Deo decretum quod esset sub aliqua conditione, quod tamen de facto non est.

381 Sed tota hęc doctrina improbatur nobis. Et rejicitur 1. hoc ultimum: Nam gloria Judę futura sub conditione finalis perseverantiæ, est conditionatè futura in vi de-

decreti efficacis, quò Deus voluit dare gloriam omnibus perseverantibus usque in finem, juxta illud Matth. 10. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: ergo non est conditionatè futura ante omne decretum actualiter existens. Profectò, si Deus (ut potuit) non habuisset decretum conferendi gloriam omni justo finaliter perseveranti; gloria Judæ, non esset futura in vi decreti finalis perseverantiæ illius, nec esset futurum decretũ conferendi illi gloriã: etenim, ex terminis, nec perseverantia connectitur cum gloria, nec decretum perseverantiæ cum decreto collationis gloriæ: Gloria ergo Judæ, est conditionatè futura, ex vi memorati decreti actu existentis in Deo; & non ex vi decreti finalis perseverantiæ quod esset, & de facto non est.

382 Rejicitur deindè id, in quo maximè fidunt: Futurum absolutum, nec esse, nec intelligi potest, absque decreto actu existente: ergo exigit istud ab intrinseco, & ex terminis. *Prob. ant.* decretum enim absolutum, vel est forma futuri absoluti, juxta nos; vel saltèm, causa efficiens futuritionis, ut ipsi tenent: cùm ergo causa efficiens rei existentis jàm de præsenti, debeat esse actu existens, & futuritio existat de præsenti; exigit decretum, de præsenti existens. *Præterea*: Possibilitas creaturæ, ex terminis & ab intrinseco petit, juxta omnes, Omnipotentiam actu existentem: ergo futuritio creaturæ, ex terminis petit decretum actu existens. Et urgetur conseq. Sicut enim futuritio solùm explicat determinationem ad essendum posteà; ita possibilitas solùm explicat potentiam ad essendum: ergo si, hoc non obstanti, possibilitas petit Omnipotentiam actu existentem, exiget futuritio determinationem seu decretum actu existens, quanvis istud respiciat ut causam. *Hinc* corruit id quod additur: Possibilitas enim exigit causam primam existentem, & ejus Virtutem seu Omnipotentiam, tametsi causas secundas exigat solùm possibiles: ergo futuritio exigit causam primam existentem, ejusque determinationem seu decretum, quanvis solùm petat causas secundas futuras. Et utriusque ratio est, maximum discrimen inter causam primam, & secundas.

Re-

383 Rejicitur demùm ſolutio: Quia futurum abſolutum exigit decretum abſolutum aliquando exiſtens, ſequitur, quòd iſtud exigat ab æterno, ſive hoc proveniat ex futuri exigentia, ſive ex natura decreti: ergo pariter, quia futurum conditionatum exigit decretum conditionatum aliquando exiſtens (nempè quando purificetur conditio;) debet iſtud ab æterno exiſtere, ſive hoc proveniat ex futuri exigentia, ſive ex natura decreti. *Dices*, futurum conditionatum, cùm plerunquè non ſit extiturum, non exigere decretum, aliquando & ab æterno exiſtens; ſed quod eſſet. *Contra eſt*, primò: Ergo reſpectu conditionatorum quæ aliquando erunt (qualia plura ſunt) tenet argumentú. *Secundò*: Quia etiam conditionata non extitura, eſſent, ſi purificaretur conditio; ſed decretum non exiſtens ab æterno, non poteſt eſſe, caſu quô purificaretur conditio: ergo. *Urgetur*: Decretum quod non ſit ab æterno, eſt complicatorium; at decretum quod eſſet, ſi purificaretur conditio, non eſſet ab æterno, ſed in tempore quô purificanda eſt conditio: ergo eſt complicatorium.

384 Prob. 2. principaliter concluſio: Futurum conditionatum, re verâ tranſlatum eſt à ſtatu poſsibilitatis ad ſtatum futuritionis conditionatæ, cùm non cognoſcatur à Deo ut merè poſsibile, per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; at hæc tranſlatio, cùm ſit contingens & ab æterno, dependet à cauſa libera, ab æterno exiſtente, quæ alia eſſe non poteſt, niſi decretum: ergo. *Dices* cum P. Annato, cauſam illius tranſitûs, eſſe voluntatem creatam poſsibilem, intellectam cum omnibus requiſitis ad liberè operandum; quæ ſub conditione poſita, prævidetur unum potiùs, quàm aliud volitura: ſicut cauſa hujus conditionalis, *Si crearetur alius Sol, futuri eſſent alii radii*, non eſt Dei determinatio, ſed poſsibilitas alterius Solis. Pariter ergo, cauſa hujus conditionati, *Si voluntas vocetur hâc vocatione congrua, conſentiet*, eſt ipſa voluntas ut poſsibilis, inſtructa vocatione, & aliis requiſitis ad conſenſum liberum.

385 Sed contra eſt: *Tum*, quia cauſa poſsibilis, nequit præbere effectum qui de facto jam ſit; at talis tranſitus jam

de facto est: ergo. *Tum*, quia voluntas possibilis, etiamsi instructa omnibus requisitis ad liberè operandum, est conjungibilis tàm cum futuritione conditionata, quàm cum hujus carentia: *Tum*, quia si talis possibilitas sufficeret ad talem transitum, omne conditionatum possibile, transiret ad statum futuritionis conditionatæ; quod est apertè falsum. *Tum*, quia possibilitas voluntatis, & cujuslibet alterius rei, est omninò necessaria: ergo ex ea haberi non potest talis transitus, re verâ contingens. *Tum* demùm, quia voluntas possibilis, solùm potest reddere conditionatum possibile: ergo non futurum. Porrò exemplum adductum, est de conditionato necessario, quod proindè non transit de statu possibilitatis & contingentiæ, ad futuritionis & determinationis statum; & in omni signo est verum, sicut & alia conditionata, quæ passim gratis & juxta importunè nobis objiciunt: corruit ergo undequaquè solutio.

386 Dices 2. Futura conditionata, non esse in rei veritate futura, sed solùm si conditio purificetur: dummodò igitur non purificetur conditio, manent in statu possibilitatis. *Sed contra* est 1. Quia in Scriptura S. enuntiantur ut in rei veritate futura; interroganti enim David 1. Reg. 23. *Si tradent me viri Seilitæ?* &, *Si descendet Saul?* respondit Dominus: *Descendet. Tradent.* Secundò, quia de illis verè dicitur quòd erunt, si purificetur conditio. *Tandem*, quia quanvis non verificetur de illis quòd existunt antequàm purificetur conditio; sunt tamen futura seu extitura, antequàm conditio purificetur. *Profectò*, futura hęc plerunquè existunt in eodem instanti, in quo purificatur conditio; consensus v.g. in instanti, in quo datur voluntati auxilium indifferens sub quo videtur consensura: ergo consensus, erat antè re verâ futurus; aliàs nunquàm esset conditionatè futurus; siquidèm quando purificatur conditio, jam existit consensus, & consequenter tunc non est futurus: ergo antè, vèl nunquàm.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

387 Opp. 1. Ut futura conditionata cognoscantur à Deo, sufficit quòd illa sint cognoscibilia, & Deus summè co-

cognoſcitivus ; at ſine decreti interventu, Deus eſt ſummè cognoſcitivus, ut nullus dubitare poteſt, & futura conditionata ſunt cognoſcibilia, ſiquidèm conditionatè exiſtunt: ergo. *En* præcipuum argumentum à priori, ut dicunt, ſcientiæ mediæ; ſed verè inefficax. *R.* ergo, N.min.quoàd 2. p. Ad adjunctam prob. N. ant. Futura quippè conditionata, non exiſtunt conditionatè ; dum enim conditionatè exiſtunt, ſunt *præſentia conditionata*: quapropter dum ſunt futura, ſunt *extitura conditionatè* ; quod quidem à decreto habent. Falſum eſt ergo id quod ſæpè inculcant Contrarii, nempè, *Futura per hoc præcise quod exiſtant ſub conditione, habent quidquid requiritur, ut cognoſcibilia ſint tanquàm futura*: Sunt etenim futura conditionata, *quatenùs extitura ſunt ſub conditione*, non autem *quatenùs ſub conditione exiſtunt*; tunc enim deſinunt eſſe futura, & fiunt præſentia conditionata, ut patet. Quod igitur exiſtit conditionatè, cognoſcitur ut præſens conditionatum, non ut futurum.

388 Opp. 2. Futurum, v.g. peccatum craſtinum Petri, per hoc præcisè quòd Petrus peccet cràs, & Deus ſit ſummè cognoſcitivus, cognoſcitur à Deo, nullô exiſtente decretô : ergo idem de futuro conditionato dicendum eſt. *N. ant.* vel potiùs ſuppoſitum, quia ſicut non ſtat, Petrum peccare de facto, ſeu abſolutè, ſeu conditionatè, niſi Deô permittente : ita non ſtat, Petrum peccaturum abſolutè, vel ſub conditione, niſi Deô permittente; permiſsio autem, eſt æterna. Profectò, ſi Deus determinaretur ad cognoſcendum peccatum Petri exiſtens, ex ipſa temporali exiſtentia peccati; cognitio Dei inciperet in tempore, & conſequenter non æterna, ſed temporalis, eſſet.

389 Opp. 3. Futurum conditionatum reſpicit decretum ut cauſam rei futuræ ; at cauſa rei futuræ, non oportet quòd ſit exiſtens: ergo. *Præterea*: Futurum conditionatum, non eſt abſolutè futurum, ſed conditionatè duntaxàt, id eſt, eſſet futurum, ſi poneretur conditio: ergo ſufficit illi decretum quod eſſet. *Poſtremò*: Superfluum & inveroſimile videtur, ponere in Deo tot decreta, quot ſunt conditionata de omnibus conbinationibus poſsibilibus ; quæ tamen certè

cognoſcuntur à Deo, ut diximus: ergo abſque decreto. *R.* ad 1. Futurum conditionatum reſpicere decretum ut cauſam, tàm formalem, quàm efficientem, decretum enim ſe habet per modum efficientis reſpectu rei, quæ futura eſt; reſpectu autem futuritionis, ut forma. Oportet ergo quòd ſit exiſtens, quia cauſa formalis eſt; & etiam, quia efficiens prima, cui repugnat ab intrinſeco futuritio: Quemadmodùm cauſa prima effectûs poſsibilis, non ſatis eſt, quòd ſit poſsibilis, ſed requiritur exiſtens; ut diximus, n. 382.

390 Ad 2. N. ant. Eſt quippè abſolutè & de facto futurum ſub conditione, ab æterno. Sæpè enim dictum eſt, futurum conditionatum, de facto & abſolutè eſſe futurum, quanvis nō ſit abſolutum; nec exiſtat, ſed exiſteret. *Permiſſò* etiam ant. N. conſeq. Quia decretum requiritur ad futurum conditionatum, tanquàm actualiter illi prębens conditionatam futuritionem, quidquid ſit de conditione. *Ad ult.* N. ant. Sunt enim neceſſaria tot decreta ad futurorum conditionatorum cognitionem, exactam ad univerſaliſsimam Dei providentiam. Sunt inſuper decreta illa re verâ unicum virtualiter ſubjectivè decretum. *Dices*: Mirabilius foret, Deum cognoſcere futura hæc abſque decreto. N. ſicut de futuris abſolutis, tenentur ipſi negare. *Tum*, quia id indecens Deo eſſet, tanquàm ſupremi dominii & libertatis divinæ penitùs everſivum, ut videbimus. *Tum*, quia foret impoſsibile, non minùs, quàm Omnipotentiam producere impoſsibilia. Ultrò hîc omittimus alia argumenta; quia ſolùm probant, Deum cognoſcere ab æterno futura contingentia conditionata; quod nullus ſinitur abnegare. Hinc autem inferre, Deum illa cognoſcere ab æterno ante decretum, nihil eſt aliud, quàm à ſuperiori ad inferius affirmativè paralogizare. Vide ſup. n. 377.

DIS-

DISPUTATIO ULTIMA.

De impoſsibilitate Scientiæ mediæ.

391 SCIENTIA MEDIA, apud illius Aſſertores, eſt, *Cognitio divina certa & infallibilis futurorum contingentium conditionatorum, antevertens divinum decretum*: Unde objectum illius, ſunt futura contingentia conditionata, pro ſigno priori ad divinam determinationem, ſeu, antequàm Deus erga illa determinet, quòd ſint, vel non ſint futura. Quæ quidem cognitio, aut ſcientia, dicitur *media* inter liberam, & neceſſariam, quia ab utraque aliquid, quaſi medium tenens, participat: à libera quidèm, contingentiam, potuit enim deficere; à neceſſaria autem, independentiam à divinæ voluntatis determinatione. Quanvis autem *ſcientia media*, ſub hoc nomine, audita non fuerit uſque ad PP. Molinam, Fonſecam, & Leſium, ut omnes fatentur; quoàd rem tamen, eô nomine ſignificatam, & traditâ diffinitione explicatam; nullus jam ambigit, pervetuſtam eſſe. Plura de illius origine, progreſſu, uſu, & abuſu tradunt utriuſque partis Defenſores, quæ libenter, brevitati conſulentes, omittimus. Porrò *ſcientia media* ſatis ſuperque, uſque modò, rejecta eſt à priori. Refutanda eſt nunc (citra omnem tamen injuriam, ut par eſt) ab inconvenientibus, quibus ſcatêre videtur. Pro quo ſit

DUBIUM UNICUM.

Utrum ex inconvenientibus, quæ ex SCIENTIA MEDIA *ſequi videntur, ejus impoſsibilitas oſtendatur?*

392 CONcluſio eſt affirmativa, & prob. premendo graviora duntaxàt. Primùm eſt: Quia ſcien-

ſcientia media, tollere videtur à Deo, erga actus liberos creaturæ, omnipotentiam, ſupremam libertatem, dominium. Ex illa enim ſequitur, actum liberum creaturę, ex terminis poſsibilem, reddi & fieri Deo impoſsibilem, independenter ab ejus libertate; at hoc evertit omninò Dei omnipotentiam, libertatem, & dominium erga actus liberos creaturæ: ergo. Utraqne præmiſſa probanda eſt. Maj. quidèm oſtenditur ſic: In occaſione, quâ Petrus v.g. videtur conſenſurus ſub his auxiliis, diſſenſus liber, poſsibilis eſt ex terminis; ſed redditur Deo impoſsibilis, ex ſuppoſitione ſibi non libera, ſcilicèt, *ex ſcientia media conſensus*: iſtâ enim poſitâ, impoſsibile eſt Deo, facere quòd Petrus diſſentiat: *Tum*, quia ſolùm poteſt facere, quòd Petrus liberè diſſentiat ſub auxiliis, ſub quibus viſus eſt diſſenſurus: *Tum*, quia non eſt in poteſtate ejus, conjungere diſſensũ Petri cũ ſcientia media conſensûs: *Tum* poſtremò, quia non habet in ſua poteſtate unum de requiſitis ad diſſenſum, nempè, ſcientiam mediam diſſensûs; cùm nec poſsit hanc conjungere cum ſcientia media conſensûs, & iſta exiſtat independenter ab ejus libertate: ergo.

Min. autem ſic convincitur: Libertatem enim & potentiam lædi, ac diminui, in alio ſtare non poteſt, quàm ſi ab extrinſeco limitetur & coarctetur, nè poſsit facere, quod ex terminis & aliundè poterat. Agens, inſuper, quod ab alio impeditur, nè poſsit, quod antecedenter & ex ſe poterat; ſubditur illi, ejuſque potentia ligatur ab illo: ergo ſi ex ſuppoſitione ſcientiæ mediæ conſensûs, redditur Deo impoſsibilis diſſenſus, aliàs ſibi poſsibilis; læditur ac deſtruitur ſumma Dei libertas, & omnipotentia erga, &c. *ſumma*, inquam, & *independens* libertas Dei, quæ, ſi talis non eſt, nulla profectò eſt.

393 Hinc, ſuâ ſponte corruit importuna illa inſtantia *de voluntate creata præmota ad conſenſum*, quæ juxta nos, libera manet ad diſſenſum, tametſi non poſsit iſtum conjungere cum præmotione ad conſenſum, nec iſtam à ſe removere. Corruit inquam: *Tum*, quia ſaltèm in principiis illorum, & ad hominem, ut vocant, efficax erit argumentum noſtrum. *Tum*, quia ex quo prædeterminatio non ſit in

li-

libera poteſtate voluntatis creatæ, evidenter infertur, hanc eſſe *liberam libertate ſecunda*, *Deo ſubjecta & ſubordinata*, ab eoque *dependentem in libere operando*: ergo ſi Deus non habet in ſua poteſtate ſcientiam mediam, &c. deſtrueretur *ſuprema* ejus libertas, *independens, & nulli ſubjecta, &c.* *Tum*, quia cùm prędeterminatio non ſe teneat ex parte actûs primi; carentia illius, non eſt defectus potentię; at ſcientia media, juxta illos, ſe tenet ex parte actûs primi, cum eſſentialiter requiratur in Deo, ut poſsit providè producere actum liberum creaturæ: ergo illius defectus, arguit in Deo defectum potentiæ.

394 Dices tamen: Quòd quanvis Deus videat voluntatem creatam in hac occaſione & ſub his auxiliis conſenſuram; videt nihilominùs illam ſub aliis diſſenſuram: Quapropter, etiam illius diſſenſus manet in ſumma Dei libertate & omnipotentia. *Sed contra* eſt 1. Quia adhùc admiſsâ doctrinâ ſolutionis, ſubſiſtit inconveniens: Petrum enim diſſentire in hac occaſione, & ſub his auxiliis, quibus viſus eſt conſenſurus, eſt ex terminis poſsibile; at ſemèl poſitâ ſciétiâ mediâ conſensûs, redditur Deo impoſsibile, Petrum diſſentire in illa occaſione ſub illis auxiliis, tametſi in alia occaſione & ſub aliis auxiliis, maneat Deo poſsibile: ergo aliquid ex terminis poſsibile, redditur Deo impoſsibile, &c. *Secundò*, quia juxta probabilem ipſorum ſententiam, diſſenſus poſsibilis ſub his auxiliis, nô eſt poſsibilis idem numerô, ſed diverſus, ſub aliis: ergo hic numerô diſſenſus, qui erat poſsibilis ſub his auxiliis ante ſcientiam mediam, redditur per illam Deo omninò impoſsibilis. *In ſententia* autem aſſerentium, eundem numerô diſſenſum eſſe poſsibilem ſub diverſis auxiliis; aſſeritur, non eſſe poſsibilem eandem numero actionem productivam diſſensûs (diſtinguunt ipſi actionem quâ voluntas producit actus liberos, ab iſtis) ergo ſaltèm actio productiva hujus diſſensûs ſub his auxiliis, quæ ante ſcientiam mediam erat poſsibilis, redditur Deo impoſsibilis; poſitâ ſcientiâ mediâ: ergo jam aliquid ex terminis poſsibile, redditur Deo impoſsibile, &c.

395 Tertiò: Quia poſsibile eſt ex terminis, & meta-

phy-

physicè, voluntatem visam dissensuram sub his auxiliis, videri dissensuram sub quibusvis; potest siquidèm voluntas pro suo libito se determinare ad dissensum, sub quocumque auxilio ponatur, cùm omnia auxilia, juxta illos, sint indifferentia & conjungibilia cum consensu & dissensu, & Deus nihil aliud videat per scientiam mediam, nisi quod voluntas pro libito determinare velit: ergo saltèm in hoc casu, ex terminis possibili, redderetur Deo omninò impossibile, voluntatem illam liberè consentire, ex suppositione scientiæ mediæ dissensûs.

396 Hæc instantia valdè torquet Adversarios, quorum aliqui cum P. Suarez admittunt sequelam, asserentes, possibilem esse ex terminis hominem, quem Deus nullatenùs convertere possit. *Sed contra* stant verba Aug. in Enchirid. c. 97. *Quis porrò* (inquit) *tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere?* Et cap. 14. de correp. & grat. ubi asserit, *Virtutem divinæ voluntatis ad inclinandum hominum corda, esse omnipotentissimam.* Et, *magis habere Deum in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*; at non est possibilis homo, adhùc metaphysicè, qui non possit, mediô auxiliô Dei, liberum exercere consensum: ergo nec, &c. aliàs *non haberet Deus magis in sua potestate, &c.* Nec haberet ad inclinanda hominum corda *omnipotentissimâ virtutem*; ejus quippè dominium & potestas, vinci & superari posset à libertate cordis humani.

397 Respondent quidam RR. Valentini in M.S. talem impotentiam esse in Deo consequentem & liberam, utpotè ortam ex suppositione decreti de conferenda homini libertate, & consequenter non derogare dominio Dei, sicut illi non derogat impotentia nolitionis mundi, ex suppositione quòd voluerit ipsum creare: Testimonium autem Aug. intelligi debere, antecedenter ad tale decretum, & de conversione non libera, sed necessaria. *Sed* contra est 1. Nam *potentia ad convertendas malas hominum voluntates, &c.* intelligi non potest antecedenter ad tale decretum, & de conversione necessaria; etenim antecedenter ad illud, & ad liber-

ta-

tatē hominis, hujus voluntas nequit intelligi *mala*, ac proindè nec capax converti de mala in bonam, ut patet. *Secundò*: Nam si suppositô tali decretô, non potest Deus hominem illum convertere; minùs id poterit antecedenter ad illud, cùm requiratur ex parte actûs primi, ut possit Deus extorquêre ab homine assensum liberum; utpotè sine tali decreto, & cõsequenter sine libertate, non est possibilis in homine consensus liber: ergo nullô modô posset Deus, &c. *Tertiò*: Nam suppositô illô decretô, potest homo in tali casu se liberè convertere: ergo implicat, quòd Deus non possit convertere illum.

398 Alitèr etiam respondent præfati replicæ principali: negando videlicèt sequelam. *Nam homo* (ajunt) *qui prævideretur in statu conditionato non convertendus, potest se convertere; & subindè potest à Deo converti; implicat enim, posse hominem converti, & Deum non posse illum convertere.* Sed quis non videat, hoc esse velle absurdum vitare, eò quòd absurdum est? Fatemur equidèm & nos, esse absurdum; sed demonstrare conamur, sequi illud ex scientia media. Instauratur igitur sic argumentum: In dicto casu, ex terminis possibili, posset homo pro suo libito converti, Deus tamen non posset illum convertere; sed hoc est complicatorium, ut vel ipsimet fatentur: ergo. Prob. 2. p. maj. Casu quô prævideat Deus per scientiam mediam hominem sub nullo auxilio convertendum; nec potest illum convertere in sensu cõposito talis scientiæ mediæ, cùm neutiquàm possit conjungere conversionem cum scientia media de non conversione: nec in sensu diviso, cùm removere à se non possit talem scientiam mediam, nec ista existat ex libertate Dei: ergo in nullo sensu potest illum convertere. Quod quidèm urgentiùs tenet ad hominem: ipsi quippè, hôc argumentô, suadere conantur, voluntatem creatam reddi impotentem ad dissensum, suppositâ præmotione ad consensum.

399 *Secundum inconveniens* est: Quia scientia media videtur non cohærere cum perfecta Dei providentia. Hæc etenim, juxta Boëtium communiter receptum, est, *Ipsa divina ratio, in summo omnium Principe constituta, quâ cuncta dis-*

disponit ; at per scientiam mediam , actus liberi voluntatis creatæ,non subduntur dispositioni divinæ,sed solius voluntatis creatę; ad hoc enim inventa est, ut explôret, quid voluntas creata, posita in tali ordine rerum, & sub his auxiliis, pro suo libito disponet: ergo. *Præterea* : Scientia media, cùm non sit in Deo ex aliqua dispositione ipsius,sed voluntatis creatæ,contingenter se determinantis ; est in Deo contingenter, ac subindè fortuitò & casualiter : ergo quidquid Deus per illam disponere potest , cadit à perfecta ratione providentiæ ; omnis quippè dispositio supponens aliquid fortuitum & casuale, à perfecta providentia cadat , necesse est. *Tandem* : Quia ipsa scientia media non subest divinæ providentiæ, cùm antecedat omnem dispositionem liberam divinę voluntatis : ergo cùm sit contingens ut sit , vel non sit, saltèm quoàd terminationem;aliquid contingens subterfugeret divinam providentiam.

400 Dices , quòd per scientiam mediam consulitur libertati actuum,quam servare debet Providentia;undè hæc per illam perficitur: *Scientia* autem media, *quia divina*, non subest providentiæ, nec subesse debet, *quia contingens*: peccatum enim,contingens est ; existit tamen , nullô supposità decretô prædiffinitivô. *Sed* contra primum stat,quòd providentia ita debet servare illæsam libertatem actuum, quòd de illis re verâ disponat ; quòd sanè non faceret, suppositâ scientiâ mediâ : per hanc enim explorat Deus, quid voluntas creata disponet de illis,ut,juxta dispositionem illius,provideat circa eos;quòd profectò non est, divinam providentiam verè disponere,sed alterius dispositionem sequi.Enimverò nisi Deus perfectè & primò disponat de rebus, erga quas versatur;perfecta non erit ejus providentia, sed pedissequa: Positâ autem scientiâ mediâ , ad summum, disponet Deus de actibus liberis voluntatis creatę, post hujus dispositionem : destruit ergo scientia media perfectam Dei providentiam.

401 Contra secundum facit : Quia quidquid contingens est, & indifferens ut sit, vel non sit,alicui providentiæ subdi debet: cùm ergo scientia media sit hujusmodi, saltèm

quoàd

quoàd terminationem ad hunc actum, præ oppoſito; alicui providentiæ ſubdi debet, & conſequenter divinæ, quę univerſaliſsima eſt. Antecedens patet: nam quod tale eſt, ex diſpoſitione alicujus determinari debet ad eſſe, potiùs quàm ad non eſſe, & ſubindè ex vi alicujus providentiæ. *Urgetur*: Abſurdum eſſet, aliquod prædicatum creaturæ non ſubdi providentiæ Dei: ergo abſurdius eſſet, prædicatum divinum (quale eſſet ſcientia media) ſubdi providentię creaturæ. Et re verâ ſic eſſet, cùm ſcientia media terminetur ad conſenſum v.g. potiùs quàm ad diſſenſum, ex vi diſpoſitionis voluntatis creatæ. *Porrò* peccatum non ſubtêrfugit divinam providentiam; verſatur quippè Deus erga illud, decretô permiſsivô, ſine quo, re verâ non exiſteret; illud inſuper ſeveriſsimè punit: Undè, fruſtrà adducitur in exemplum doctrinæ modò rejectæ.

402 *Tertium inconveniens* eſt: Quia ſcientia media creatæ libertati videtur officere: *Tum*, quia ſcientia media lædit libertatem divinam: ergo & creatam, hæc enim ſine illa ſtare non poteſt. *Tum*, quia complexum ex ſcientia media conſensûs, & auxilio ſufficienti, antecedit conſenſum ex parte actûs primi, illumque infallibiliter infert: ergo ejus libertatem evertit. Conſequentia tenet apud omnes, & anteced. prob. quia ûtraque illius pars ſe tenet ex parte actûs primi; de auxilio quidèm, non eſt dubium, de ſcientia autem media, convincitur. *Tum*, quia illa prędcedit tale auxilium, cùm iſtud detur, juxta illos, aut ſaltèm dari poſsit, ex directione ſcientię medię; quod autem antecedit actum primũ, non poteſt ſe tenere ex parte actûs ſecundi, cùm actus ſecundus ſubſequatur primum. *Tum* etiam, quia abſque ſcientia media, non intelligitur Deus in actu primo expeditè potens concurrere cum voluntate creata, ut ipſi fatentur: ergo nec voluntas creata eſt in actu primo potens ſine ſcientia media: ergo ſcientia media ſe tenet ex parte actûs primi voluntatis creatæ. Tenet hęc conſequentia; prima autem prob. quia cùm non poſsit voluntas creata operari, niſi Deo concurrente cum illa, ſupponi debet Deus expeditè potens in actu primo concurrere cum illa, ut hęc in actu primo ſit

po-

potens. *Præterea*: Tale complexum antecedit actum, & illum infallibiliter infert, idque, non ex vi dominii Dei, aut creaturæ, cùm nec scientia media sit ex dominio Dei, nec auxilium sufficiens ex dominio creaturæ: ergo ruit libertas actûs. *Urgetur*: Scientia media, cùm non sit Deo libera, non est ex dominio Dei; & cùm voluntas creata non possit exercere dominium in prædicata divina, nec esse potest scientia media ex dominio voluntatis creatæ: cùm ergo auxilium sufficiens, inferat infallibiliter actum ex vi scientiæ mediæ (ex se enim non connectitur cum actu;) infert illum ex vi prædicati non cadentis sub dominio Dei, aut creaturæ. Læditur ergo libertas actûs.

403 *Quartum inconveniens* est: Quia scientia media Dominicæ gratiæ videtur adversa, quatenùs, juxta illam, discretio benè operantis ab eo qui malè operatur, non in Dei gratiam & voluntatem, sed in creaturæ libertatem, referenda videtur, contra illud 1.Cor.4. *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Et prob. assumpt. Semel enim admissâ scientiâ mediâ; de duobus hominibus omninò æqualibus quantùm ad divinam voluntatem, & auxilia gratiæ ipsis à Deo collata, sæpè contigit, unum benè operari, alterum verò malè: juxta principia enim scientiæ mediæ, êadem & æqualis est divina voluntas erga omnes, id est, indifferens quantùm est ex se: auxilia pariter êadem & æqualia, utpotè ex se indifferentia: ergo positâ scientiâ mediâ, discretio benè operantis à malè operante, ad solam creaturæ libertatem referenda est.

404 Dices: Talem discretionem, esse potiùs à Deo tribuente vires supernaturales, interiùs vocante, & suâ vocatione faciente quòd voluntas se determinet, & insuper simultaneè cooperante. Sic P. Tyrsus ex communi suorum sensu. *Sed contra* est: *Tum*, quia doctrina hæc, quantùm ad primum, extendi non potest ad operantem actum honestum naturalem; cujus tamen discretio etiam Deo tribuenda est. *Tum*, quia cohærere non potest principiis scientiæ mediæ: omnes enim ejus assertores, unò ore fatentur, *vo-*

lun-

luntatem creatam determinare vocationem internam Dei, quia hæc est indifferens ex se, & consequenter determinanda à voluntate creata: ergo juxta illa, vocatio interna Dei, non facit quòd voluntas se determinet; hæc quippè stare simul non possunt, videlicèt, *quòd voluntas determinet vocationem*, & *quòd vocatio faciat voluntatem se determinare*. Hoc secundum verum est, sed primo ex diametro opponitur. *Prætereà*: Juxta illos, verum est, *voluntatem creatam suâ operatione facere, quòd voluntas divina determinetur*: ergo juxta illos, non potest esse verum, *quòd Deus suâ vocatione faciat, ut voluntas creata se determinet*. Insuper: Ab indifferenti, ut indifferens est, oriri non potest determinatio, ut commune fert proloquium, à quo Adversarii unum excipiunt liberum arbitrium, quod, tametsi indifferens, natum esse existimant, determinare se ipsum: ergo vocatio illa, de se indifferens juxta illos, facere nequit, quòd voluntas se determinet, cùm aliàs non sit liberum arbitrium.

405 Respondent apud eundem, discretionem non refundi in vocationem, entitativè consideratam, quâ ratione, indifferens & æqualis est erga omnes; sed inspectam secundùm congruitatem, quam ex suppositione scientiæ mediæ sortitur, quatenùs, scilicèt, prævisa est habitura effectum: quâ ratione, jam non indifferens, sed determinata est, connexaque cum bono efficaciter & infallibiliter. Itaque benè operantes, accipiunt vocationē in opportunitate & occasione, quâ visa est efficaciam habitura; at malè operantes, in occasione, in qua visi sunt illam in malum flexuri: deest igitur istis beneficium & gratia, concessa illis. Hæc est summa doctrinę Adversariorum. *Sed* contra est: Quòd vocatio visa sit habitura effectum, per hoc quòd voluntas determinabit ipsam ad bonum (in quo vocationis congruitas consistit, juxta illos) potiùs est, vocationem, ex vi congruitatis, esse determinandam à voluntate, quàm facere, quòd voluntas se determinet: ergo hoc secundum non salvat solutio. *Prætereà*: Congruitas, juxta ipsos, stat in eo, *quòd voluntas pro suo libito determinatura est in tali occasione vocationem internam ad bonum, potiùs quàm ad malum*: ergo per congruitatem, ni-

nihil efficientiæ seu activitatis habet vocatio interna, in ordine ad determinationem voluntatis.

406 Insuper: Scientia media solùm explorat, quid voluntas sit operatura: ergo nihil derîvat in auxilium, nec in voluntatem: ergo solùm explorat discretionem, non quâ ipsa faciat (cùm sit purè speculativa) sed quæ procedit ab ipsa voluntate. *Adhæc*: Indè oritur talis discretio, unde oritur determinatio voluntatis, se ipsam & auxilium determinantis ad bonum, potiùs quàm ad malum; at hæc determinatio, ut ipsa scientia media confirmat, est à voluntate creata, & non à divina: ergo scientia ipsa media infert, discretionem esse à voluntate creata. *Ultrà*: Scientia media, cùm sit merè speculativa, non operatur, sed supponit, suum objectum; istud autem est ipsa discretio, Deus enim discernit, seu cognoscit scientiâ mediâ, quis sub hoc auxilio benè operabitur, & quis malè: ergo supponit discretionem, & quidem provenientem à voluntate creata: ergo. *Postremò*: Discretio provenit ex efficacia auxilii, ut certum est; hæc autem (seu stet in scientia media operationis creatæ, seu in ipsa operatione in statu conditionato futura, seu in ipsa operatione actu & absolutè existente, juxta varia illorum placita) non est ex voluntate divina, sed creata; nam scientia media antecedit voluntatem divinam: operatio autem videtur conditionatè futura, ex determinatione voluntatis creatæ, & ex hac ponitur etiam de facto extra causas: ergo discretio non est ex voluntate divina, sed ex voluntate creata.

SOLVUNTUR FUNDAMENTA Scientiæ Mediæ.

407 Ut plura Adversariorum argumenta funditùs evellas, nota, ferè omnia illa, hôc unô difficultatis cardine volvi: *Quomodò*, scilicèt, *salvetur libertas ad actum, sine omnibus prærequisitis ad illum: & ad omissionem, dum quis est prædeterminatus, sine potentia impediendi præmotionem, & decretum efficax, à quo ista descendit?* Unde & solemne ipsis est, hęc duo, ceu doctrinæ suæ capita, proponere. Primum: *Quæcumque suppositio antecedens, seu independenter à voluntate*

no-

nostra existens, si est infallibiliter cum actu connexa, & à nobis inimpedibilis, seu irresistibilis, destruit libertatem. Secundum: *Defectus cujuscumque requisiti ad operãdum, si non sit in nostra potestate illud acquirere, destruit libertatẽ.* Quę, proindè, si falsa esse ostẽderimus, omnia eorũ molimina, unò ictu sedabimus.

408 Convincitur ergo primæ propositionis falsitas. Primùm: Quia omninò æquivalet huic, *Quod ex inimpedibili per necessariam sequitur consequentiam, hoc inimpedibile est, & necessarium*: Quæ quidem proscripta est à Sixto IV. an. 1476. contra Petrum de Ribo Doct. Lovanien. ut, præter Nostrates, testantur Franciscus Silvius tract. de 1. Motore, & Facultas ipsa Theologica Lovanien. in quadam sua defensione, Parisiis impressa an. 1644. & exhibita Nuntio Apostolico per Decanum dictæ Facult. die 9. Septembris an. 1687. *Nihil* autem refert, si quibusdam ex Adversariis demus, non memoratam propositionem à Sixto esse damnatam, sed istam, *Quod ex præcedenti, ordine successivę durationis, sequitur per necessariam consequentiam, necessarium, & inimpedibile est.* Quis enim non videat, illam ex ista apertè deduci? *Quidquid* enim *per bonam consequentiam sequitur ex aliquo præcedenti, ordine successivę durationis*; etiam est verum, *quod sequitur per bonam consequentiam ex aliquo antecedenti, à nobis inimpedibili*: quod enim præcedit ordine successivæ durationis, à nobis fieri non potest quòd non fuerit, ut patet.

409 Prob. deinde ad hominem, *primò*: Complexum enim ex scientia media de efficacia auxilii, & ex decreto collativo illius, infert infallibiliter actum, illum antecedit, & est, per illius omissionem, inimpedibile; at tale complexum, actûs libertatem non destruit, juxta omnes Adversarios: ergo. Maj. quoàd 1. p. est certa, aliàs scientia media posset falsificari. Quoàd 2. autẽ prob. & quidem, quòd decretum conferendi auxilium, præcedat actum, patet; est enim decretum dandi libertatem, & constituendi actum primum: Quòd autem etiam scientia media antecedat istum, prob. *Tum*, quia scientia media præcedit tale decretum, cùm sit regulativa illius: ergo præcedit actum secundum, potiùs quàm illud. *Tum*, quia illa requiritur, juxta eos, ex parte Dei, ut providè

actum

actum producat, ut ex ſpeciali benevolentia donet illum,& ut diſcretionem inter conſentientem & non conſentientem ponat,ad eam enim recurrunt,dùm his argumentis premuntur:ergo antecedit actum,nedùm accidentaliter(ut communi ſolutioni occurramus) ſed etiam eſſentialiter , nam actus bonus eſſentialiter exigit,providè & ex ſpeciali benevolentia à Deo cauſari: ergo talis ſcientia media,nequit per actûs omiſsionem impediri;quod enim antecedit actum, eumque infallibiliter infert, ſupponitur exiſtens pro priori ad omne voluntatis exercitium. Et quidem PP. Molina,Suarez,Granados, Tannerus, quos citat & ſequitur Ruiz , expreſsè affirmant, ſcientiam mediam ita præcedere actum, ut nec per eum acquiri poſsit , nec per ejus omiſsionem impediri. In iſtorum igitur ſententia , apertiſsimam patitur inſtantiam pronuntiatum illud. Cujus falſitas

410 Prob. inſuper: Quia complexum ex unione hypoſtatica, & præcepto moriendi,eſt ſuppoſitio hujuſmodi,reſpectu obedientiæ Chriſti in moriendo , juxta ſententiam P. Suarez, pro qua refertur etiam Molina,quin ejus libertatem minimè lædat : ergo. *Prætereà* : Prædiffinitio efficax, actum antecedens, regulata per ſcientiam neceſſariam quâ Deus cognoſcat,non deficere ſibi medium, vel neceſsitans, vel indifferens, quô obtineat conſenſum liberum ; non deſtrueret libertatem conſensûs , ut docent Suarez, Coninch, & Alderete apud Arriaga diſp. 35. de prædeſt. & idem tenent Oviedo, Quirós, Izquierdo, Ribadeneyra,& alii apud ipſos; at tale decretum eſt omninò antecedens conſenſum, illum infallibiliter infert, cùm ſit efficax , eſt demùm inimpedibile à voluntate creata , quia, cùm præcedat ſcientiam mediam,& immediatè reguletur per neceſſariam, eſt omninò independens ab exercitio libertatis creatæ : ergo. Sanè, ut decretum ſit impedibile à voluntate , non ſufficit , quòd relinquat in ea poſſe ad actum cum illo incompoſsibilem; aliàs & prędiffinitiones Thomiſticæ , quantunvis antecedentes, & cum actu connexę , eſſent impedibiles à voluntate,relinquunt enim in illa potentiam ad actum oppoſitum, cum eis incompoſsibilem,ut nec Adverſarii negare poſſunt,

ſe-

semèl quòd id suis prædiffinitionibus asserant. Ut igitur decretum sit impedibile, necesse omninò est, quòd non supponatur impeditum, dùm existit actus ille; nam quod impeditum supponitur, non potest per aliquid adveniens impediri, cùm ad præteritum non detur posse.

411 Demùm: Si creatura posset decretum illud impedire, posset determinare Deum ad illius omissionem liberam, Deumque impedire ab exercitio, sibi immediatè & proximè libero, absque ulla divinæ libertatis jactura; at hoc manifestè repugnat alteri ipsorum decantato principio, nimirùm, *Nullius agentis liberi actus, potest ab alio agente determinari*: ergo vel istud planè corruit, vel decretum Dei est prorsùs inimpedibile à creatura. Hinc,

412 Ostenditur jam falsitas alterius ipsorum principii, loquendo de requisitis ex parte Dei. *Primùm*: Quia omissio decretorum, de quibus modò, necessaria simpliciter est ut creatura omittat actum, quin sit in hujus potestate, omissionem illam acquirere, utpotè Deo formaliter liberam, nòn minùs quàm decretum. Vel si in creaturæ est potestate, talem omissionem acquirere; erit etiam in sua potestate, impedire libertatem divinam ab uno exercitio libero, & ad aliud determinare; quod, & libertati divinæ, & alteri eorum principio, adversatur apertè: ergo. *Præterea*: Homo liberè dissentiens, non supponit scientiam mediam consensûs, ad illum essentialiter exactam, sive ex parte Dei, sive ex parte creaturæ, de quo non curamus; at non habet potestatem acquirendi illam, juxta præcipuos ejus Assertores, ut vidimus n. 409. ergo. *Tandem*: Futuritio actûs, necessariò requiritur ad existentiam actûs, & non futuritio, ad actûs omissionem, ut patet; sed stat libera omissio actûs, sine hujus futuritione, & sine potestate illam acquirendi: ergo. Prob. min. quoad 2.p. Id quod si existit, existit pro priori ad actum, & si deficit, deficit etiam pro priori ad ejus omissionem; nec potest per actum acquiri, nec per ejus omissionem impediri, ut vel ipsi fatentur; at si detur futuritio actûs liberi, datur pro priori ad ejus existentiam, & si deficit, deficit etiam pro priori ad illius omissionem; status

enim futuritionis, præcedit ſtatum exiſtentiæ, cùm detur ab æterno, dùm nulla rerum exiſtentia datur: ergo. Et ſanè, cùm præcedentia futuritionis, reſpectu exiſtentiæ rerum, ſit ſenſibilis; aut agnoſcenda ab omnibus eſt poſitionis Adverſariorum falſitas, aut evidens experientia deneganda. His animadverſis,

413 Opp.1. Decreta ab intrinſeco efficacia,& à ſcientia media independentia, inferunt auxilia ab intrinſeco pariter efficacia, quæ voluntas abjicere non poteſt, & quibus reſiſtere, reniti, refragari,aut diſſentire nequit; ſed hęc cum creaturæ libertate non cohęrent: ergo nec illa. Prob. min. *Tum* ex Trident. ſeſſ. 6. cap.5. ubi gratiam prævenientem, contra Pelagianos, diffinit; & illius concordiam cum arbitrii libertate firmat,contra Calvinum,per hoc,quòd arbitrium *poteſt eam abjicere*; & can.4.per hoc, quòd *ei poſsit diſſentire, ſi velit*; ait enim: *Si quis dixerit,liberum hominis arbitrium, à Deo motum,& excitatum, nihil cooperari, aſſentiendo Deo excitanti,atque vocanti,quò ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat,ac præparet: nec poſſe diſſentire,ſi velit... anathema ſit.* Tum ex Con.Senonenſi,decreto 15. explicante concordiam noſtræ libertatis cum auxilio Dei trahentis: *Quia tale non eſt* (inquit) *hujuſmodi Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Tum poſtremò ex damnatione hujus Janſenianæ propoſitionis, *Interiori gratiæ,in ſtatu naturæ lapſę, nunquàm reſiſtitur.* Pontifex enim illam ut hæreticam damnans, diffinit oppoſitam, ſcilicèt, *Interiori gratiæ,in ſtatu naturæ lapſæ, reſiſtitur*, ſeu *poteſt reſiſti.* Unde, cùm hæc ſit indefinita,ut vocant, & doctrinalis, æquivalet univerſali; ac proinde voluntas omni gratiæ interiori reſiſtere valet: nulla ergo datur gratia interior ab intrinſeco efficax, & cui voluntas reſiſtere non poſsit.

414 N.min. Ad 1. prob. R. omnes omninò Thomiſtas, ſemper & ubique, docere id ipſum quod Concilium ibi diffinit. Quis enim noſtrûm dixit unquàm, *quòd voluntas, à Deo mota* (quantunvis efficaciter) *& excitata,non poſsit diſſentire, ſi velit*? Fortè ab hujuſmodi objectionibus abſtinêrent Adverſarii,ſi diſcernere vellent inter has propoſitio-

nes,

nes, *Voluntas cum gratia efficaci potest dissentire, Voluntas potest dissentire gratiæ efficaci*, quarum discrimen nullus finitur ignorare. Nam prima catholica est, & à Concilio diffinita, loquitur enim Concilium in illo Can. de gratia efficaci, ut cum ea libertatem consensûs conciliet; aliàs Calvinum minimè læderet. Secunda autem est falsissima: Cùm enim ly *dissentire*, faciat sensum compositum (sicut ly *addere*, & *subtrahere*, juxta D.Th. q.6.de verit.a.4.ad 8.) sensus illius est, *Quòd voluntas potest conjungere dissensum cum gratia efficaci ad consensum*, quod est complicatorium, juxta omnes.

415 Idem manifestum discrimen versatur inter has propositiones, *Nullum est auxilium gratiæ, cum quo voluntas non possit dissentire, Nullum est auxilium gratiæ, cui voluntas non possit dissentire.* Prima siquidem est vera, à Concilio tradita, & hæresim Calvini jugulat, quia cum omni gratia componit potestatem dissensûs, & libertatem consensûs. Secunda autem est falsa, propter dicta, & à mente Concilii longè distans; Concilium enim minimè exposcit potestatem abjiciendi omnem gratiam, sed solam *inspirationem*; nec potestatem dissentiendi omni gratiæ, sed *Deo excitanti, atque vocanti*, ut ex ipso apertissimè constat.

416 Nec error Calvini, erat in hac propositione, *Aliquod est auxilium gratiæ, cui voluntas non possit dissentire*; quę quidem vera est, auxilium quippè gratiæ efficacis, *à nullo duro corde respuitur, nullum ei resistit arbitrium, illòque indeclinabiliter & insuperabiliter agitur humana voluntas*, ut Augustinus perpetuò docet. Sed error Calvini, erat in hac, *Aliquod est auxilium gratiæ, cum quo voluntas non potest dissentire*; asserebat enim, per gratiæ efficacis auxilium, dissensûs potestatem auferri, & consequenter libertatem suffocari; imò, omnem gratiã, talem esse blasphemavit; hanc enim impietatem (quam nupèr suscitavit Quesnelius) ex Calvino mutuatum fuisse Jansenium, jam fere nullus ambigit, apertèque demonstratur à validissimis Jansenii debellatoribus, videndis apud M. Massoliè, & Castell. Concilium autem utrumque reprobat, agnoscit quippè gratiam excitantem, quam voluntas recipere, & abjicere possit; simulque diffinit, voluntatem

adjutam cooperari, assentiendo Deo excitanti, ita, ut Deo excitanti possit dissentire, si velit. Quid aptius ut declaret, nullum auxilium gratiæ necessitare ad consensum, si nullum aufert potestatem dissensûs? Propositio igitur illa Concilii, loquitur, ex parte subjecti, de gratia etiam efficaci, ut *cum ea* potestatem dissentiendi diffiniat; non autèm ex parte prædicati, ut cum illa componat dissensum, seu terminum potestatis.

417 Diffinit ergo Concilium, voluntatem *motam*, & *excitatam*, id est, *cum gratia* tum movente, adjuvante, seu efficaci; tum excitante, inspirante, seu sufficienti, *posse dissentire*; nullibi tamen, nè leviter quidem, insinuat, posse voluntatem dissentire *gratiæ moventi, adjuvanti*, seu *efficaci*: huic quippè *dissentire, reniti, reluctari, refragari*, aut *resistere*, non valemus nec eam *abjicere*, aut *respuere*, possumus; nam omnia verba hæc, faciunt sensum compositum, non minùs quàm, *falsificare, frustrare, addere, subtrahere*, & id genus alia. *Si autem sit impossibilis compositio*; (qualis est dissensûs cum gratia efficaci) *omnes locutiones illæ, quæ sensum compositum implicant, sunt falsæ simpliciter*, ut subdit D.Th. locô cit. de verit. adeoque, nec in sensu diviso sunt veræ; nam quæ veræ sunt in sensu diviso, sunt veræ simpliciter, ut patet in istis, *Prædestinatus potest damnari, Justus potest peccare*; unde hæc propositio, *Voluntas potest resistere gratiæ efficaci*, est falsa simpliciter, & consequenter vera esse non potest, adhùc in sensu diviso.

418 Posse autem resistere aut dissentire *cũ aliquo*, & posse resistere aut dissentire *alicui*, adeò evidens est, esse diversa; ut, nisi sponte quis velit, dubitare nô possit. Id enim, ultra dicta, exépla sequentia (quibus validè firmatur solutio) apertè demonstrant. *Primum*: Voluntas *cum consensu*, est potès dissentire, quin potens sit dissentire *consensui*. *Secundum*: Arbitrium *cum omni gratia interna & externa*, potest dissentire, qui *præcipuę gratię externę*, prædiffinitioni scilicèt consensûs, dissentire possit, etiam juxta Adversarios; dissensus enim est inconjungibilis cũ tali prędiffinitione. *Tertium*: *Cum gratia efficaci*, reduplicativè *ut efficaci*, potest voluntas dissentire & resi-

ste-

stere; nec tamen potest *gratiæ efficaci, ut tali*, resistere aut dissentire : aliàs posset componere dissensum cum consensu, quem gratia efficax, ut talis, includit. *Quartum: Cum voluntate efficaci* Dei, sive illâ suppositâ, potest voluntas resistere & dissentire ; *voluntati* tamen *efficaci* resistere aut dissentire non potest, juxta apertissima Scrip. testimonia. Isai. 14. *Supremus Dominus exercituum decrevit, quis poterit infirmare?* Esther 13. *Non est qui tuæ possit resistere voluntati.* Rom. 9. *Voluntati enim ejus quis resistet?*

419 Et pro pleniori dictorum captû, benè nota, Concilium appositè dixisse, Liberum arbitrium *posse dissentire* (quod, propriè loquendo, solùm est respectu gratiæ excitantis, solùm enim suadenti assentimur, aut dissentimus; adjuvanti autem seu moventi, cooperamur, non assentimur) non autem dixit, *posse resistere*, quod tàm efficaci motioni, quàm excitationi, propriè adaptatur: fortè, nè putaretur docere, posse hominem resistere illi efficaci & efficienti motioni. Hęc igitur est legitima intelligentia Tridentini, quam, post M. Lemos tom. 1. p. 2. cap. 21. & alibi sæpè, unò ore tradidêre Thomistæ : quanvis enim quidam illorum asserant, voluntatem posse resistere gratię efficaci, in sensu diviso; non sumunt propriè *resistentiam*, per respectum *ad agentem*, sed impropriè, secundùm *impedimentum effectûs*; quod est idem, ac asserere, *voluntatem, cum gratia efficaci, posse dissentire.* Videantur Philip. à Trinit. disp. 4. de gratia, cap. 5. M. Massob. tom. 2. disp. 3. q. 4. a. 9. & Illust. Castell. disp. 2. q. 4. sect. 9. n. 610. ubi hanc interpretationem firmant quâdam perspicuâ doctrinâ D. Th. in 4. d. 11. q. 1. a. 3. qa. 3. ad 3.

420 His rectè perpensis, corruunt omnia quæ super Tridentinum struere nituntur Adversarii, ut suadeant, gratiam efficacem, non esse *prędeterminantem*. Duplicem syllogismum P. Peynado apud Castell. d. 2. q. 4. adducere placet, ejusdem sanè efficaciæ cum illis, quos ad idem urgent Suarez, Tyrsus, Aranda, Ramirez, Prado, & alii. Primum format in *Baroco*, sic: *Gratia cum qua de facto operamur, est talis, cui voluntas potest dissentire & resistere; sed gratia prædeterminans, non est talis, cui voluntas possit dissentire & resistere: ergo*

gra-

gratia cum qua de facto operamur, non est prædeterminans. Alterum in *Celarem*; sic : *Nulla gratia cui voluntas potest dissentire & resistere, est prædeterminans; sed omnis gratia, cum qua de facto operamur, est gratia cui voluntas potest dissentire & resistere: ergo nulla gratia, cum qua operamur, est prædeterminans.* Majorem primi, & minorem secundi, de Fide esse pronuntiat, existimans, à Concilio esse diffinitas. Cæterùm (omissò, quòd in primo arguitur à non distributo ad distributum) satis superquè constat ex dictis, majorem illam, esse quidem veram, si de gratia *excitante, inspirante,* & *illuminante,* intelligatur ; secùs, si intelligatur de gratia *præveniente, adjuvante, efficaci* : Minorem autem secundi syllogismi, esse absolutè falsam. Unde potiùs in oppositum arguitur in *Barbara,* sic : *Omnis gratia à nostra voluntate irresistibilis, est physicè prædeterminans ; sed omnis gratia efficax, cum qua de facto operamur, est à nostra voluntate irresistibilis: ergo omnis gratia efficax, cum qua de facto operamur, est physicè prædeterminans.* Majorem concedunt Adversarii. Minor autem constat ex dictis.

421 Nec omittendum est hîc, Concilium potiùs nobis ibi favere, ut multis ostendunt Lemos, Alvarez, Zumel, Joann. à S.Th. Salmant. Ferre, Castell. Illust. Montalvan, & alii innumeri. Manifestè enim agnoscit Concilium gratiam ab intrinseco efficacem, physicè prævenientem, & cum qua componi non potest resistentia aut refragatio, vel actûs omissio. Ratio est : Quia si gratia adjuvans, quam, præter excitantem, ad justificationem requirit, est prævia, seu præveniens ; talis est naturæ, quòd ex se & ab intrinseco est efficax, physicè movens, & cum qua conjungi non possit dissensus, resistentia, aut refragatio, ut vel ipsi Adversariorum Agonistę planè confessi sunt Romæ, teste M.Lemos lib.1.p.2.tract.4.cap.18. & ratio convincit: cùm enim gratia, sub munere adjuvantis, non tantùm moraliter concurrat, sed etiam physicè, & verè efficiendo actum ad quem concurrit; si gratia adjuvans est prævia seu præveniens, concurrit profectò, non solùm moraliter, sed etiam physicè præmovendo. Tunc sic ; sed Concilium astruit, non solùm

gra-

gratiam excitantem, sed etiam adjuvantem, esse prævíam, & prævenire nostros actus: ergo agnoscit gratiam ab intrinseco efficacem, &c.

Prob.min. *Tum*, quia cap. 5. laudatæ sess. expresè docet, quòd per gratiam excitantem, atque adjuvantem, disponuntur homines ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem; sed gratia disponens ad conversionem, eam prævenit, homo enim non disponitur ad actum cùm agit, sed, ut agat: ergo non solùm gratia excitans, sed etiam adjuvans, prævenit hominis liberam conversionem. *Tum*, quia Concilium affirmat, quòd per gratiam excitantem, atque adjuvantem homo disponitur ad se convertendum, assentiendo, & cooperando eidem gratiæ: ergo assensus & cooperatio, est effectus utriusque gratiæ: ergo gratia, etiam sub munere adjuvantis, prævenit assensum & cooperationem liberam, sicut causa, suum effectum. *Demùm*, quia can. 3. ejusdem sess. dicitur: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritûs Sancti inspiratione, atque adjutorio, hominem credere, &c.* ergo non solùm inspiratio, sed etiam adjutorium, est præveniens.

422 Et hinc habes, gratiam excitantem, & adjuvantem, esse distinctas: Id enim ex modo loquendi Concilii satis liquet, ut latè probat M. Lemos lib. 4. p. 1. tract. 7. cap. 22. Profectò, si Concilium judicaret, *inspirationem, & adjutorium*, eandem esse gratiam, propriùs diceret can. 3. *Sine præveniente Sp. S. inspiratione adjuvante*: cùm ergo non sic loquatur, sed ita, *Sine præveniente Spiritûs S. inspiratione, atque adjutorio*; non inspirationem astruit adjuvantem, sed, præter inspirationem, adjutorium etiam exposcit. Constat insuper ex Actis Concilii, quæ ex particulari commissione vidit M. Lemos, in quibus legitur (ut ipse testatur) quòd cùm PP. inquirerent: *Quid Deus facit cùm hominem vult convertere?* hæc verba apposuerunt respondentes: *Duo facit Deus: primò, hominem excitat suadendo, & invitando: deinde, fortius auxilium dat, quò hominem convertit.* Idipsum tradit Andreas Vega, qui S. Concilio interfuit, lib. 6. in Trid. cap. 9. *Illud* (inquit) *seriò & magnâ attentione advertendum est, duplicem asseruisse in cap. 5. gratiam quâ disponimur ad justificationem; excitantem,*

tem, & adjuvantem : excitat namque Deus vocatione suâ sanctâ, & illuminatione, ut surgamus à peccato ; neque contentus excitare; quâdam, nobis ignotâ, suę virtutis applicatione, & nostræ voluntatis mirificâ inclinatione & inflexione, benignè nos adjuvat, ut consentiamus, & ut obediamus vocationi suæ. Quibus nihil apertius pro nobis adduci potest, ut vel ipse P. Molina palàm fatetur in sua Concordia, q. 14. d. 37. *Cum* Vega concinunt & alii graviss. Tridentini PP. qui formationi adducti Canonis pariter adfuerunt. Corn. Musus lib. de divina hist. cap. 15. ubi adjutorium ; seu gratiam adjuvantem, vocat *applicationem & virtutem, quâ Deus priùs & efficaciùs operatur, quàm causa secunda.* Et cap. 17. *Motionem divinam, nobis ignotam, quâ priùs à Deo movemur.* Quæ quidem, gratiæ excitanti, & motioni morali, aptari non possunt, ut satis ex terminis liquet. Petrus de Soto l. de Instit. Sacerd. lect. 9. de Sacram. Pœnit. gratiam adjuvantem nominat *operationem Dei convertentis cor nostrum, causam primam & efficacem; priorem naturâ.* Alfon. Salm. disp. 23. super Epist. ad Rom. eam appellat *vocationem, quę suum sortitur effectum, quâ Deus vocat certissimè & fixè;* subditque : *Et licèt simul tempore sint vocatio, & justificatio ; præcedit tamen naturâ vocatio justificationem.* Amb. Cathar. *Vocationem efficacem, cui nullus resistit*, imò, *cui non potest resisti.* Et: *Adjectum robur fortitudinis.* Et subdit, quòd *quantò vehementiùs moventur* (illi quos Deus prædiligit) *tantò etiam liberiùs* :: *Deus est enim qui hoc in illis magnâ providentiâ & curâ facit.* Joann. Grop. tract. de Sacram. Pœnit. dicit, esse *gratiam prævenientem, quâ homo cooperatur alteri gratiæ prævenienti, scilicèt vocationi.* Didacus Covarrubias in cap. *Alma Mater*, de sent. excomm. *Concursum Dei prævenientis, & auxilium, quò Deus peculiariter adjuvat, & potentiùs movet, & inflectit.* Ferè èadem docent Dominicus Soto lib. 1. de nat. & grat. cap. 16. & Ferdinandus Velloſillus in Advertentiis ad tom. 1. Auguſt. quæsitô 4. Demùm, ut alios omittamus, Didacus à Paîva appellat Dei adjutorium *impulsum, & potentissimam motionem.*

423 Unde juxta mentem Concilii, quam præfati PP. apprimè calluerunt, non solùm gratia excitans, sed etiam gra-

gratia adjuvans, ab illâ distincta, liberum prævenit arbitrium: ac proinde, Concilium, præter motionem moralem quâ Deus excitando prævenit, agnoscit aliam motionem *physicam*, & verè effectivam, quâ prævenit adjuvando. *Miretur* nunc P. Aranda disp. 6. n. 328. confidentiam RR. Thomistarum. Moneatque nos Reverendiss. Tyrsus t. 4. d. 4. n. 132. ut accensâ lucernâ quæramus in citato cap. Tridentini gratiâ physicè prædeterminantem. *Enimverò* opus non est, novô illam lumine quærere admotô, sed à Majoribus nostris suprà n. 421. laudatis, à quibus hæc omnia mutuati sumus, gratulamur inventam, & agnitam custodimus.

424 Pro majori dictorum penetratione, notandum est, Lutherum, & Calvinum, sicut & Pelagium, existimasse bonam hanc consequentiam: *Prædiffinitio, aut determinatio, sive gratia, sunt ab intrinseco efficaces: ergo destruunt libertatem.* Sicut & istam: *Bona opera nostra sunt dona Dei: ergo non sunt nobis libera & meritoria.* Unde Pelagius, ut libertatem servaret illęsam, negavit utrumque; at Lutherus & Calvinus, & antecedens & consequens judicarunt vera. Concilium autem, circa secundum, diffinit sess. 6. can. 23. *quòd bona nostra opera sunt dona Dei, & nobis libera*; quibus errores extremos simul damnat. Pariter ergo, ut in alio illos simul rejiceret; necesse non erat, aut quòd negaret gratiam ab intrinseco efficacem, aut nostram libertatem. Sed benè & directè eis opponeretur, concedendo, illam esse ab intrinseco efficacem; sed talis naturæ, quòd libertatem actualem in nobis causet, minimè tamen lædat.

425 Quis adhùc nobis Calvinismum improperet, Calvini errorem, à Tridentino percussum, totô animô detestantibus? Profectò, doctrina Augustino-Thomistica è diametro, & per omnia, Calvino adversatur; & in antecedenti, & in consequenti, & in consequentia. *In antecedenti* quidèm, nam Calvinus (sicut & ejus infandi sequaces Jansenistæ & Quesnelistæ) admittit gratiam necessitantem, indifferentiamque activam penitùs opprimentem, salvâ solâ spontaneitate voluntatis; Thomistæ verò propugnant gratiam foventem potentiam ad oppositum, etiam dùm actu movet.

In

In consequenti, quia Calvinus liberum arbitrium adimit, asserens, esse *titulum sine re*, aut, *rem de solo titulo*; at Thomistæ, suum Magistrum secuti 1.p.q.83.a.2.ad 3. liberum arbitrium prædicant, post peccatum quidèm infirmum, sed minimè extinctum. Tandèm *in consequentia*, quia ex efficacia divinæ gratiæ ineptè Calvinus libertatis exterminium intulit. Thomistæ autem efficaciam gratię divinę, sicut & voluntatis, creatam libertatem non auferre asseverant, sed inferre. Quod quidèm manifestum discrimen agnovit tandè P. Annatus jam annosus & senex lib. de libertate incoacta, pag. 226. & his verbis, quibus quod scripserat Junior retractavit, expressit: *Quem invenient Jansseniani inter Thomistas, qui dixerit, voluntatem divinâ gratiâ prædeterminatam, carère proximè ad dissentiendum potentiâ? Quem dabunt, qui distinctionem sensûs compositi & divisi, sic interpretentur, ut sensus fit, voluntatem à Deo motam posse dissentire, quandò illa motio abierit, & advenerit alia?* Idem præstat in opere dicto: *La conduite de l'Eglise, & du Roy*; ubi octodecim discrimina, Thomistas inter, & Calvinistas (quibus Jansenianos adjungit) totâ accuratione prosequitur. Sed de his hactenùs.

426 Ad secundam min.prob.R.Conc. Senonse non loqui de gratia efficaci, sed de excitante & sufficienti, ut contextus ipse apertè demonstrat: ad probandam enim resistentiam de qua loquitur, adducit illud, *Quotiès volui congregare filios tuos, & noluisti?* illud etiam: *Vos Spiritui Sancto semper resistitis*; illud demùm: *Spiritum nolite extinguere.* In quibus, citra aleam, est sermo de resistentia, quę de facto ponitur; gratiæ autem efficaci, etiam ab extrinseco tali, nunquàm de facto resistitur, aliàs non esset efficax. *Præterea*: Quia per auxilium, quod *resistibile* vocat, ait, quòd *Deus stat ad ostium, & pulsat*: quare, non de efficaci, sed de sufficienti auxilio, loquitur. Nec obstat quòd vocetur, *Dei trahentis auxilium*; etenim utrôque auxiliô, & efficaci, & sufficienti, liberè trahimur, tametsi istô non infallibiliter, sed suô modô, moraliter scilicèt & inclinativè, trahamur. Profectò Draco Apoc. 12. moraliter duntaxàt & objectivè alliciendo, *trahebat tertiam partem stellarum*; & de morali

tra-

tractione exponitur à pluribus illud Joan. 14. *Omnia trabam ad me ipsum.* Nec dubium, quòd *trahere* aliquando significet *attrahere*, seu *allicere*, ut Calepinus advertit, adducens illud Ciceronis pro Archîa : *Trahimur omnes laudis studiò*, idemque ostendit Aug. tract. 26. in Joan. ex illo Poëta: *Trahit sua quemque voluptas.*

427 Ad 3. R. propositionem illam, ad mentem Jansenii, esse universalem negativam; caput enim 1. libri 3. pro titulo habet : *Nullum dari, post lapsum Adami, adjutorium sufficiens, quin simul sit efficax*, ut testatur La-Croix tom. 1. in principio. Unde propositio illa damnata, æquivalet huic, *Nulli gratiæ interiori, in statu naturæ lapsæ, resistitur*; Quapropter evidens est, Ecclesiam non diffinire illius contrariam, nempè, *Omni gratiæ interiori, in statu, &c. resistitur*; ambæ enim contrariæ possunt esse falsæ, imò necessariò sunt falsæ in materia contingenti, juxta dialecticum dogma; solùm ergo diffinit contradictoriam damnatæ, nimirùm, *Interiori gratiæ, in statu naturę lapsę, aliquando resistitur*, sive hujus æquipollentem, nempè, *Alicui gratię interiori, in statu naturæ lapsæ, resistitur.* Ex hac autem inferre, quòd *interiori gratiæ efficaci aliquando resistitur*, est fallaciter procedere ab amplo ad non amplum, sine distributione ampli, seu à superiori ad inferius affirmativè. Enimverò, ex illo Matth. *Quoties volui congregare filios tuos, & noluisti*, evidenter infertur veritas hujus, *Voluntati Dei aliquando resistitur.* Ex hâc autem quis, nisi ineptissimè, & juxta impiè, inferat : *Ego voluntati efficaci Dei aliquando resistitur*? reclamante Scripturâ: *Non est qui tuę possit resistere voluntati.* Sed hęc adeò aperta sunt, ut ea ampliùs explicare non oporteat.

428 Opponit nihilominùs P. Peinado hunc syllogismum : *Ecclesia declaravit, voluntatem nostram posse resistere ei interiori gratiæ, quam Jansenius irresistibilem sustinebat*; *aliàs contra Jansenium non diffiniret*; *sed gratiam efficacem esse irresistibilem astruebat Jansenius* : *ergo gratiam efficacem esse resistibilem, Pontifices declararunt.* R. objectum syllogismum constare quatuor terminis, & ex puris particularibus procedere. Et sanè, sub illa majori, universaliter intellecta, con-

concludi posset diffinitum esse ab Ecclesia, gratiam necessitantem esse *resistibilem*, illam quippè irresistibilem adstruebat Jansenius. Si autem syllogismus rectè formetur, hôc modô, *Omnis gratia, à Jansenio asserta irresistibilis, resistibilis diffinitur ab Ecclesia; sed omnis gratia interior, est à Jansenio asserta irresistibilis: ergo omnis gratia interior, resistibilis diffinitur ab Ecclesia.* Si sic, inquam, formetur, N. maj. Jansenius enim duo asserebat: Primum, *gratiam efficacem, esse irresistibilem*; Secundum, *nullam dari gratiam interiorem prævenientem, præter efficacem*; & consequenter, nullam gratiam interiorem esse *resistibilem*. Pontifex autem, non primum, sed secundum duntaxàt, anathematizavit. Et hanc esse Ecclesiæ intentionem, adeò notum est, ut probatione non egeat. *Ex quibus* duo evidenter colliges. Primum, falsò & importunè gloriari Jansenistas de Thomistarum patrocinio, ut optimè, præter Annatum, advertunt PP. Decamps lib. 2. disp. 3. c. 5. Ripalda, Martinonus, & alii Societ. DD. sæpiùs convincentes, *nullos Jansenismo magis infensos Thomistis*, de quo consule P. Viva. Secundum, injustè simul & inaniter, ex damnatione Jansenii, gratiam efficacem esse resistibilem, à quibusdam propugnari. *Id* enim *in quo convenimus* (Thomistæ & Jesuitæ) *sancivit Pontifex*; *id in quo dissidemus*, *disputationi nostræ reliquit*, ut rectè dixit P. Annatus. Ac de primo argumento satis superquè dictum sit.

429 Opp. 2. Ex præscientia futurorum, innixa decreto ab intrinseco efficaci & prædeterminante, sequitur, esse injustam peccatorum increpationem, etenim ut sit justa unius præ alio, requiritur in ipsis æqualitas ex parte Dei in donis collatis, aliàs increpatus posset respondere, quòd defuit illi decretum, & gratia efficax, &c. N. assumptum. Ad prob. dicimus, requiri æqualitatem in pertinentibus ad sufficientiam, seu posse; secùs in pertinentibus ad actum secundum, seu exercitium talis potentiæ: *Potenti enim facere bonum, & non facienti* (si adest obligatio) *peccatum est illi*, ut Jacobus ait Apost. Carentia autem decreti, & gratiæ efficacis, non est carentia potentiæ, cùm hanc non constituant, sed supponant. Potentia tamen voluntatis completè constitu-

tuta, eget ope Dei quæ non sit in voluntatis potestate, (decretô scilicèt, & prædeterminatione,) ex conceptu essentiali libertatis creatæ, subjectæ, & subordinatæ Deo tanquàm supremo Domino. Et sanè argumentum instatur in gratia illa congrua, quę malè operanti deest, ex beneplacito Dei, conferentis auxilium in circunstantiis in quibus visus est malè operaturus.

430 Opp. 3. Omnis suppositio antecedens actum, & connexa cum illo, si à nobis sit inimpedibilis, actûs libertatem evertit; at decretum prędeterminans, est hujusmodi, ut patet: ergo. *Prætereà*: Homo præventus decretô prædeterminante ad consensum, est inevitabiliter impeditus ad illius omisionem; est quippè illud cum ista incomposibile, nec in nostra est potestate: ergo. *En* vetustissimum argumentum, vî cujus Epicurei & Tullius, divinæ Providentiæ infallibilitatem, Originistæ & Pelagiani, gratiæ insuper efficaciam, inficiebantur. Per oppositum autem Stoici, & Manichæi, fatalem providentiam admittebant; quos secuti sunt Lutherani, Calvinistæ, & Jansenistæ, nullam admittentes, in statu lapsûs, gratiam sufficientem, seu *cui* voluntas refragari valeat. *Hoc est* argumentum, quod Pelagiani, Augustino, Hieronymo, Prospero, Hilario, aliisque PP. gratiæ efficacis invictis Assertoribus, perpetuò, & juxta importunè objiciebant, ut nullus, qui eorum scripta legerit, poterit vel dubitare.

431 Audiatur Hieronym. epist. ad Ctesiphont. Pelagianis respondens, & absurdum læsæ libertatis sic retorquens: *Quis destruit arbitrium? Ille, qui semper Deo agit gratias, & quodcumque in suo rivulo fluit, ad fontem refert; an qui dicit: Recede à me, non habeo te necessarium, dedisti enim semèl mihi arbitrii libertatem, ut faciam quod voluero; quid rursus te ingeris, ut nihil possim facere, nisi tu in me tua dona compleveris?* Augustin. insuper lib. 3. in Julian. operis imperfecti cap. 105. ita illis respondet: *Vos inimici, & defensores, liberum arbitrium defendendo perimitis, quod ad suos revocari limites, Omnipotentis & veri defensoris bonitatem, non vultis.* Et epist. 80. *Hæc enim* (inquit) *voluntas libera, tantò erit liberior, quantò sanior,*

tan-

tantò autem ſanior, quantò dominicæ miſericordiæ, gratiæque ſubjectior. In forma ergo N.maj. cujus falſitatem abundè oſtendimus ſuprà n.408.

432 Ad 2. R. quòd decretum eſt impedimentum, non ſe tenens ex parte actûs primi, ſed ſecundi; reducitque libertatem ad alterum exercitium, ab eo à quo reduci debet, & ſine cujus determinatione nunquàm reduceretur: quod certè libertatem non deſtruit, ſed planè oſtendit, eſſe ſecundam, & à Deo eſſentialiter dependentem. *Et hinc* conſtat, decretum impropriè dici *impedimentum*; iſtud enim *à pedum ligamine* etymon habet, & propriè ſignificat *ligamen potentiæ, per quod ab omni exercitio ſuſpendatur*, ut Calepinus advertit. Hęc autem, quis non videat, neutiquàm decreto congruere reſpectu voluntatis? Hinc patet, quàm gratis opponatur nobis exemplum illud de homine conſtricto catenis, qui liber non manet ad deambulandum, totiès olim Auguſtino à Pelagianis objectum, ut conſtat ex cap. 14. de corrept. & gratia: tale quippè ligamen, non reducit, nec applicat ad liberam deambulandi omiſsionem, imò tendit ad auferendam potentiam deambulandi: Nec eſt medium, aut determinatio deſcendens à primo libero, quâ indiget ſecundum liberum ut in actu ſecundo ſuam exerceat libertatem. Et ſanè de ratione exercitii liberi eſt, quòd nulli alteri dominio, aut poteſtati creaturæ ſubjiciatur, ſed dominio Dei. Si autem decreta & auxilia ab intrinſeco efficacia, *vincula* ſunt; non utiquè ferrea, ſed *cõpedes in protectionem fortitudinis; decor enim vitæ eſt in illis, & vincula illius, alligatura ſalutis.* Eccli. 31.

433 Sed inſtabis: Implicat in homine potentia ad omiſsionem conſensûs, quin habeat potentiam ad impediendum decretum prædeterminativum conſensûs: ergo ex eo præcisè, quòd decretum ſit ſuppoſitio inevitabilis, deſtruit libertatem. Prob. ant. *Tum*, quia potens ad non eſſe alicujus extremi, debet eſſe potens ad non eſſe alterius extremi, cum illo eſſentialiter connexi: ergo. *Tum*, quia impotens falſificare aliquam ex præmiſsis rectè inferentibus concluſionem, impotens eſt iſtam falſificare; ſed homo

eſt

est impotens falsificare aliquam ex his præmissis: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentit; Petrus est prædeterminatus ad consensum*, quæ rectè inferunt hanc conclusionem, *Petrus consentit*: ergo. Nullam igitur habet Petrus potentiam ad omissionem consensûs, eô ipsô, quòd illam non habet ad non esse decreti & prædeterminationis ad consensum. *Præterea*: Hic est bonus syllogismus, *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentiet; Petrus est prædeterminatus ad consensum: ergo consentiet*: ergo & iste erit bonus: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentiet, & hoc est illi inevitabile; sed Petrus, &c. & hoc est illi inevitabile: ergo consentiet, & hoc est illi inevitabile.* Tenet consequentia, arguitur enim ab eodem antecedenti ad idem consequens, cum eodem addito. *Tandèm*: Si Deus ostenderet evidenter Petro decretum de ejus consensu futuro, tunc Petrus, ex præmissis sibi evidentibus, inferret: ergo *consentiam*, cui conclusioni necessariò assentiret: ergo non liberè consentiret, hoc enim stare non potest absque judicio indifferenti.

434 N. ant. Tollit enim dependentiam libertatis creaturæ in suo exercitio à Deo, divinamque libertatem subordinat creaturę. *Ad* 1. prob. R. antecedens esse verum, loquendo de potentia suprema, & nulli subjecta; secùs de limitata, dependenti, & subordinata, qualis est potestas voluntatis creatæ ad consensum, ejusque omissionem liberam; quapropter, exercitium liberum omittendi, essentialiter supponit carentiam decreti prędeterminantis consensum, à Deo positum; sicut exercitium consensûs, supponit essentialiter decretum, à Deo positum. Aliud autem est, *quòd unum extremum, essentialiter cum alio connexum, possit deficere, alterô non deficiente*; & aliud, *quòd voluntas sit potens ad non esse unius extremi, quin potens sit ad non esse alterius connexi.* Primum repugnat planè: secundum autem, verificatur per hoc, quòd voluntas sit potens ad non esse unius extremi dependenter à Deo, per priùs destruente aliud extremum; per hoc siquidèm constituitur ejus potentia *secunda*, & *Deo subordinata.* Ad 2. N. maj. Stat enim potestas falsificandi conclusionem, sine potestate falsificandi aliquam ex præmissis, si

exer-

exercitium falsificandi conclusionem, essentialiter dependeat ab alio dominio, per priùs falsificante aliquam ex præmissis. *Nec inde* sequitur, posse dari antecedens verum, & consequens falsum: quanvis enim libertas creaturę possit falsificare consequens, & non antecedens; non tamen potest falsificare consequens, nisi dependenter à Deo, per priùs falsificante aliquam ex præmissis. Et subinde, non potest falsificari consequens, sine antecedenti. Unô verbô. *Ex quo præmissæ necessariæ sint creaturæ, & non Deo; solùm infertur, creaturam non posse falsificare conclusionem, nisi dependenter à Deo, falsificante aliquam ex præmissis.*

Patet insuper falsitas maj. seq. instantiis. Primâ: *Omnis qui salvabitur, est ab ęterno prædestinatus; sed Petrus non est ab ęterno prædestinatus: ergo Petrus non salvabitur.* Sanè, hanc conclusionem potest Petrus falsificare, cùm sit illi liberum, salvari, & non salvari; quin aliquam ex præmissis possit falsificare. *Secundâ* ad hominem: Hic est bonus syllogismus, *Si dedero Petro auxilium A, Petrus peccat; sed Petrus non peccat: ergo non do Petro auxilium A.* Cujus conclusionem potest Deus falsificare, cùm sit illi liberum, dare, vel non dare, auxilium *A*; nullam tamen ex præmissis falsificare potest. Non quidèm majorem; nam cùm sit objectum *scientiæ mediæ*, præcedit signum divinæ libertatis. Nec minorem; nam libertas impediendi illam, importat, juxta Adversarios, potestatem determinandi suum contradictorium; Deus autem nequit determinare contradictorium illius, aliàs posset determinare hanc, *Petrus peccat.* R. deindè, & quidèm formaliùs, concessô totô syllogismô, N. conseq. subillatam; arguitur quippè à sensu composito ad divisum negativè: Siquidèm, non posse falsificare illud consequens, est idem, ac, non posse non consentire, in sensu composito. Petrus igitur impotens falsificare illud consequens, scilicèt, *consentiet*; est absolutè potens non consentire, seu dissentire, quia est potens non consentire, seu dissentire, in sensu diviso: sicut impotens *frustrare* præmotionem ad consensum, & impotens *falsificare* scientiam divinam consensûs, est absolutè potens non consentire, seu dissentire: Unde, si dicatur: *Potest non*

con-

consentire: ergo potest falsificare illud consequens, N. conseq. arguitur enim à confusa ad determinatam.

435 Ad 1. conf. dist. conseq. *ergo & iste, &c.* Si major est divisa, C. si composita, N. Itaque si major illius syllogismi intelligatur *de dicto*, est composita, & est vera; est enim sensus: *Hoc dictum*, omnis prædeterminatus ad consensum, consentiet, *est inevitabile, seu necessarium.* Sed tunc, consequentia non est bona; etenim variatur appellatio à sensu composito, ad divisum, cum ly *inevitabile*, appellet in conclusione supra rem, seu prædicatum. Si autem major intelligatur *de re*, est divisa, sed tunc est falsa; est quippè sensus: *Omnis prædeterminatus ad consensum, consentiet consensu inevitabili.* Vide omninò D. Th. in hoc art. 13. ad 3. Ad prob. conseq. dicatur, regulam intelligi de addito, quod non solùm sit idem, sed appellans eòdem modò; quod hic non accidit, si major est vera. *R.* 2. neg. absolutè conseq. Ad prob. N. ant. non enim arguitur cum addito propriè tali; sed quod additur, est propositio quædam reflexa: & quanvis esset additum; adhùc esset sophisma, quia non extrema afficit, sed propositiones integras, *majorem* scilicèt, *minorem*, & *consequens*: Ter ergo repetitum, nunquàm ad idem applicatur. Et ut fallacia evidenter appareat, nota sequentem instantiam: *Omnis homo est animal, & hæc est præmissa; Petrus est homo, & hæc est præmissa: ergo Petrus est animal, & hæc est præmissa.* Hanc etiam in Darapti: *Omnis homo est animal, & hoc est dictum universale; omnis homo est rationalis, & hoc est dictum universale: ergo aliquod rationale est animal, & hoc est dictum universale.* His, & sexcentis aliis id genus instantiis, proditur objectus paralogismus.

436 Ad 2. datò quòd consensus esset tunc necessarius; esset quidem talis, non ex efficacia decreti vel auxilii, sed ex defectu judicii indifferentis, propter evidentem objecti manifestationem. *Deindè* N. conseq. Cùm enim decretum, & consensum & hujus libertatem inferat, ut perpetuò, ex Anselmo, docet D. Th. conclusio illata, esset hæc, *Ergo consentiam liberè*, cui conclusioni assentiret per judicium evidens speculativum; sed simul haberet judicium practicum

indifferens, proponens consensum, ut potentem non esse: quę judicia, non versantur circa idem, essent enim hujusmodi: *Ego consentiam liberè* : *Ego possum non consentire.*

437 R. aliter objectis syllogismis: *Ad* 1. dist. maj. Omnis prædeterminatus ad consensum liberè eliciendum, liberè consentiet, C. necessariò consentiet, N. Sed Petrus est prædeterminatus ad consensum liberè eliciendum, C. min. ergo consentiet liberè, C. conseq. *Secundus* autem exponitur sic: *Omnis prædeterminatus ad consensum liberum, liberè consentit, & hoc est illi inevitabile; sed Petrus est prædeterminatus ad consensum liberum, & hoc est illi inevitabile: ergo Petrus consentit liberè, & hoc est illi inevitabile.* Et hæc conclusio est vera in sensu in quo sunt veræ præmissæ, in ea quippè, solùm enuntiatur necessitas in Petro, ad modum libertatis; vel, quòd non est liber in ponenda libertate consensûs; quod verum est, & à D. Th. 3. contra Gent. cap. 94. his aureis verbis expressum: *Si Deus efficaciter vult, actum esse futurum contingenter; sequitur infallibiliter, quòd erit contingenter, & non necessariò.* Ibique, & 6. Metaph. lect. 3. traditur hic modus respondendi; utrobique enim, altè advertit S. Doct. quòd cùm de divina providentia agitur (idem est de divinis prædiffinitionibus, gratia efficaci, aut prędeterminationibus) non est dicendum solùm, *Hoc est provisum* (prædiffinitum, aut prædeterminatum) *à Deo, ut sit*; sed, *Est provisum* (prędiffinitum, aut prædeterminatum) *ut sit necessariò, vel contingenter*; etenim, sub ordine providentiæ divinæ, non solùm substantia actûs cadit, sed etiam modus libertatis, contingentię, vel necessitatis.

438 Omittenda hîc non est formula quædam, quâ præcipuam solutionem hujus argumenti, exhibitam n. 434. impugnare solent, videlicèt: Qui non potest facere, quòd præmissæ veræ non inferant conclusionem, non potest facere, quòd conclusio non inferatur ex illis (hæc enim comparantur tanquàm activum, & passivum;) sed qui non potest falsificare aliquam ex præmissis, non potest facere, quòd non inferant conclusionem (suppositô quòd sint rectè dispositę, ut suprà:) ergo non potest facere, quòd conclusio non

sit

sit illata ex illis. *Dist.*min. Non potest facere, quòd non inferant, &c. sumptâ illatione signatè, & logicè, C. Considerata, proùt infert exercitam veritatem consequentis, subdist. Non potest facere, quòd non inferant, secundùm quod inferre importat in recto, C. in obliquo, N. Dicendum igitur, quòd illatio, logicè accepta, consistit in bonitatè consequentiæ, quæ necessaria est. Unde, hôc modô, nè Deus quidem, potest facere, quòd præmissæ illæ non inferant conclusionem. At, proùt infert exercitam veritatem consequentis; creatura, est quidem impotens ad illationem illam, activè sumptam, impediendam; proùt sic enim, identificatur cum veritate præmissarum, & hoc dicit in recto ly *inferre*. Quia tamen ly *inferre* dicit in obliquo terminum illationis, qui est ipsa veritas conclusionis; creatura non est impotens absolutè impedire conclusionem illatam; sed absolutè est potens, potentiâ sui ordinis, & essentialiter dependente à Deo, per priùs impediente veritatem alicujus ex præmissis, quæ activè inferunt conclusionem.

439 Opp. 4. Carens principiô aliquô essentialiter requisitô ad positionem actûs, & facultate illud acquirendi, caret libertate ad actum; sed impredeterminatus ad consensum, est carens, &c. ergo. Prob. maj. quam evidentem existimant, quia carens mediô unicô essentialiter requisitô ad finem, & facultate illud acquirendi, caret libertate consequendi finem: sicut qui caret cibô ad vivendum, equô ad equitandum, navi ad navigandum, & facultate ea acquirendi; impotens est ad vivendum, equitandum, navigandum: ergo. *Præterea*: Qui non habet posse ad consensum, proùt iste essentialiter poni debet, re verâ non est potens ad consensum: sicut qui non potest ponere hominem *animal rationale*, re verâ non est potens ponere hominem; at per nos, consensus essentialiter poni debet, ut conjunctus cum decreto prædiffinitivo ejus: ergo carens tali decretô & facultate illud acquirendi, re verâ non est potens ad consensum.

440 R. argumentum, difficile quidèm esse, sed solutum jàm ab Apost. Rom. 9. Stabilitis quippè his conclu-

sionibus, *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et, *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; illicò opponit sibi ex adverso: *Dicis itaque mihi: Quid adhùc queritur? voluntati ejus quis resistet?* Ac si apertiùs diceret: *Si non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis; & ista Dei misericordia in hominis potestate non est, sed ex sola Dei voluntate, cui nemo potest resistere, dependet (cujus enim vult miseretur, & quem vult indurat:) quid adhùc queritur? vel, quid adhùc Deus de nobis conqueritur, quòd non benè velimus, vel curramus?* Hæc, sine dubio, est vera intelligentia Apostoli, juxta Aug. epist. 105. quibus tota argumenti difficultas, nec minori expressione, continetur. Illi tamen non respondet Apost. per liberi arbitrii *velle*, & *nolle*, ut appositè advertit Prosper lib. 7. de vocat. Gent. c. 29. sed increpat & humiliat hujusmodi arguentem, dicens: *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me feci sti sic?* ac si expressiùs diceret: O homo! considera quis tu sis, ut sic respondeas Deo. Tu enim ex te, nihil, & ex nihilo es: quòd cùm ita sit; ex te, tantùm defectibilis es: Unde tibi, ex te, non debetur, quòd Deus te gratiâ suâ ad bonum promoveat; sed potiùs, quòd deficere permittat. Te ergo recognosce, & in manu Dei te esse considera, sicut lutum in manu figuli, de quo, pro sua libertate, potest te facere, vel vas in honorem, conferendo tibi suam gratiam, vel in contumeliam, eam à te subtrahendo. Hæc videtur in summa Apost. solutio, quam egregiè, pro more, expendit Ven. Mag. Lemos, tract. de divinis prædiffinit.

441 Solutum pariter est ab Aug. totô lib. de correp. & gratia. Illud enim oppositum fuerunt Monachi Adrumentini, contra principia gratiæ ab ipso tradita, per hæc verba, quæ habentur cap. 4. *Rectè corriperet, si eam gratiam mea culpâ non haberem; hoc est, si eam possem mihi dare vel sumere ipse, nec facerem: vel si, dante ipsô, accipere noluissem. Cùm ergo, & ipsa voluntas à Domino præparetur: cur me corripis, quia vides, me ejus præcepta facere nolle; & non potiùs ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Cui argumento, ut satisfaciat Aug. ad principia *scientiæ mediæ* non recurrit, sed ad verba Apostoli mox lauda-

data. Agnovit igitur libertatem & potestatem ad actus, etiam supernaturales, sine aliqua gratia ad eos requisita, scilicèt efficaci, & sine potestate eam acquirendi. Unde & cap. 8. ait, quòd *voluntas humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ libertatem.*

442 Ad 1. igitur R. dist. maj. Carens principiò essentialiter requisitò, se tenente ex parte actûs primi, C. ex parte actûs secundi, subdist. Caret libertate primâ, supremâ, & independenti, C. secundâ, subordinatâ Deo, ab eoque dependenti, N. Itaque actus liber creatus, sicut exigit duas causas, primam, & secundam: ita & duos dominos; dominium tamen causæ secundę, cùm sit Deo subjectum in suo exercitio, essentialiter exigit, quòd in sua libera facultate non sint omnia, à quibus actus essentialiter dependet; sed quòd aliqua, in sola Dei sint potestate; aliàs, non Deus creaturam, sed, *creatura Dei omnipotentiam sibi subordinaret*, ut ajebat opinio illa quorundam RR. ab Ecclesia jam proscripta ann. 1679. *Ad maj.* prob. dist. ant. Si tale medium sit ratione cujus creatura subjicitur Creatori in actuali acquisitione finis, N. Si tale non sit, C. ant. & N. conseq. Tale quippe medium supponit posse creaturæ; unde, illò deficiente, & facultate illud acquirendi; remanet absoluta potestas in actu primo consequendi finem, quæ cùm subordinata esse debeat, non oportet, quòd possit acquirere decretum, aut auxilium efficax, ratione quorum subordinatur Deo in actuali acquisitione finis.

Exempla autem adducta, & alia, quę coacervare solent, non sunt ad rem: quia illa requisita, se tenent ex parte concursûs causarum secundarum, quibus libertas voluntatis nostræ non est nata subjici aut subordinari; imò exigit, quòd omnia comprincipia ex parte illarum ad aliquem actum liberum, sub ejus sint potestate & dominio: quapropter, hâc subordinatione deficiente, sicut deficit in casibus illis; deficit voluntati facultas libera exercendi operationes, ab illis principiis dependentes. *Tum* etiam, quia concursus alterius causæ creatæ, qui sub mea non est potestate, se tenet ex parte actûs primi ad effectum; cùm talis naturæ sit, quòd

sine

sine effectu esse posit, alterâ causâ non concurrente.

443 Ad secundum N. conseq. Voluntas enim est potens ad consensum conjunctum cum decreto, secundùm id quòd dicit in recto de actu ipso, quanvis non secundùm id quod dicit in obliquo de ipso decreto, quod cùm sit exercitium supremi dominii; creatam subterfugere debet potestatem. Sicut si Deus necessitaret voluntatem, eam prædeterminando ad aliquem actum, ille actus necessarius, exigeret poni cum prædeterminatione, quin propterea voluntati, cui est impossibilis prædeterminationis positio, impossibilis etiam foret positio actûs, cum prædeterminatione conjuncti, secundùm id quod dicit in recto de actu conjungendo. Et sanè, ut aliquis sit absolutè potens ponere actum, sufficit, quòd possit ponere omnia prædicata essentialia intrinseca illius; nec requiritur, quòd possit illum ponere sub omni respectu essentiali ad aliquid extrinsecum; aliàs, nec homo posset producere hominem, cùm iste exigat creari secundùm animam: nec Deus posset producere actum nostrum vitalem, cùm iste exigat vitaliter procedere; & Deus non posit illum vitaliter producere. Demùm, omnis effectus à duplici causa essentialiter dependens, aliquid respectivum essentialiter importat, sub quo procedit ab una, & non ab alia. Hinc, potest disting. maj. Proùt iste essentialiter poni debet, ly *essentialiter*, appellante supra prædicata intrinseca illius, C. extrinseca, seu respectum essentialem ad aliquid extrinsecum, N.

444 Adverte hîc, ut aliis importunis instantiis occurras, quòd decretum præparativum omnipotentiæ in actu primo, est decretum productivum liberi arbitrii cum omnibus requisitis ex parte actûs primi ut operari possit, & simul cum potestate & supremo dominio Dei, quibus nos determinare, & nobiscum concurrere possit ad quod voluerit. Præparatio autem omnipotentiæ in actu secundo, est decretum efficax jam concurrendi nobiscum, & nos determinandi. Sine primo, non stat potestas in voluntate ad actum, sed per illud constituitur, includendo subordinationem ejus ad dominium Dei. Sine

se-

ſecundo autem, ſalvatur plena poteſtas in actu primo.

445 Opp. 5. & poteſt eſſe replica contra plura ex dictis: Decretum prædeterminans, ſe tenet ex parte actûs primi ad operationem: ergo. Prob.ant. *Tum*, quia per decretum & auxilium efficax, *facit Deus ut faciamus*; at *Deus facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſsimas voluntati*, ut docet Aug.lib.de libero arb. ergo. *Tum*, quia actus fit poſsibilis, per collectionem omnium prærequiſitorum eſſentialium ad illum: ergo omne principium eſſentialiter prærequiſitum, dat poſſe ad illum. *Tum*, quia per decretum applicatur nobis omnipotentia ad concurrendum; ſed applicatio omnipotentię, requiritur ex parte actûs primi; ergo. *Tandem*, quia prædeterminatio, quæ eſt executio talis decreti, ſe tenet ex parte potentię, utpotè realiter ſubjectatur in voluntate: ergo. *N.ant.* Ad 1.prob.dicimus, mentem Aug.eſſe, quòd Deus, *faciendo ut faciamus*, præbet, *vires voluntatis efficaciſsimas eſſe*. In hoc enim complexo, *vires efficaciſsimas*, duo ſunt, & *vires*, & earum *efficacia*; & utrumque confertur à Deo, efficaci decretò: at non eòdem: ſed primum, per decretum conſtitutivum libertatis cum omnibus requiſitis ex parte actûs primi: ſecundum autem, per decretum applicativum virtutis ejus; & hòc decretò *facit ut faciamus*, faciendo, quòd *vires voluntatis ſint efficaciſsimæ, quæ, ſine illo, ineffi-caces eſſent*. Unde verba Auguſtini apertè continent ſententiam noſtram.

446 Ad 2. R. quædam eſſe requiſita eſſentialia, ſupponentia integrum poſſe; & hujuſmodi eſſe decretum efficax, quod non requiritur per modum dantis vim aut ſufficientiam, ſed per modum applicantis ſuppoſitam ſufficientiam. Et quidèm contendere, quòd omne requiſitum eſſentiale ad actum, det poſſe; videtur eſſe, nolle intelligere *veram ſufficientiam creatam, Dei opê indigentem*, & velle, *quòd ſufficientia creaturę, ſemel conſtituta in actu primò, jam non dependeat à Deo in operando*, adeò, ut *eò dormitante* (ut ajebat Hieronym.) creatura, non ſolùm ſe determinet, ſed determinet ipſum Deum, ut quodcumque ipſa voluerit, operetur. *Ad* 3. conſtat ex n. 431. applicationem omnipo-

ten-

tentiæ, quæ fit per decretum efficax concurrendi, & per auxilium efficax, se tenere ex parte actûs secundi, & supponere integrum & expeditum posse. *Ad ult.*N.conseq.Quia non omne quod subjectatur in potentia, se tenet ex parte actûs primi; ad hoc enim requiritur, quòd det virtutem & posse: nisi velint,& ipsam voluntatis operationem se tenere ex parte actûs primi, certum quippè est, in voluntate subjectari.

447 Opp.6. ad idem, & replicabis contra dicta: Applicatio causæ, requisita ad operandum, se tenet ex parte actûs primi ad operationem, ergo quanvis decretum, &c. Prob.ant. exemplis: Applicatio enim intentionalis objecti, quâ intellectus facit ut voluntas velit, seu amet, se tenet ex parte actûs primi ad actum voluntatis,ut est certum:& idem est de applicatione locali ignis ad comburendum, equi ad equitandum, navis ad transfretandum. Idem denique est de applicatione quâ voluntas applicat potentias executivas ad suos actus,istæ enim potentiæ,nec possunt operari;deficiente tali applicatione,nec, eâ suppositâ, possunt non operari. *Prob.deindè* idem ant.Nam si Deus suspéderet omne decretum prædeterminans ad omnem actum voluntatis; omissio actûs non esset voluntati libera,in sententia negante possibilitatem purę omissionis liberæ:ergo voluntas non esset tunc potens ad actum;sed hoc proveniret ex defectu decreti: ergo. *Prob.tandèm* ant.exemplô causarum naturalium,in quibus,defectus horum decretorum,infert defectum potestatis, ut patet in igne fornacis Babylonis;si enim posset comburere, de facto combureret, nam virtus combustiva, est necessariò connexa cum effectu.

448 Dist.ant. Si sit applicatio causę ad causam, ut ambę operentur, C. si sit applicatio causæ, ut immediatè operetur, N. Prima quidèm applicatio, se tenet ex parte actûs primi:cùm enim effectus dependeat in actu primo ab omnibus suis causis; non datur posse expeditum ad illius productionem, quousquè omnes simul sint. Secunda autem applicatio,non constituit,sed supponit,actum primum seu posse; sola enim causa plenè & expeditè potès,applicari potest, ut

im-

immediatè operetur. Hujuſmodi autem eſt decretũ efficax, ſolùm enim applicat cauſam creatam, ut immediatè (Deo tamen ſubjecta) operetur. *Exempla* autem adducta in 1. prob. (demptô ultimô) ſunt primi generis ; nam objectum quod applicatur,eſt cauſa ſpecificativa,vel finalis,ipſius voluntatis. Combuſtibile etiam, eſt cauſa materialis combuſtionis , à quo nempè dependet iſta , tanquàm à ſubjecto. Equitatio demùm & transfretatio,ab equite & equo,à nauta & navi, dependent. Idem dicendum ad innumera alia exempla, quæ congerere ſolent.

449 Ad ult. ex aſsignatis N.ant. Potentiæ enim executivæ, ex ſe habent ſufficiens poſſe ad ſuas operationes; unde applicatio voluntatis reſpectu illarum , eſt ſecundi generis. *Ad* 2. ant. prob. N. conſeq. Etenim neceſsitas omiſsionis, non proveniret, juxta ſententiam illam , ex defectu potentiæ ad agendum ; ſed , quia voluntas non ſe exercêret per illam , neque ad illam ſe determinaret , ſed eam ab extrinſeco inductam pateretur , & ideò non eſſet voluntaria. *Ad ult.* negetur ant. & dicatur , virtutem combuſtivam , non metaphyſicè, ſed phyſicè & naturaliter duntaxàt, eſſe connexam cum effectu. Idem de aliis.

450 Si omnia implexa argumenta , quibus Adverſarii eandem in dies replicant difficultatem , ſigillatim hîc extricare velimus; nimis, præter inſtitutum,dubium excreſceret. Non pauca in 2.Phyſic. à Noſtratibus protrita ſupponimus; plura in alios Tractatus diſſolvenda remittimus, & maximè in ſequentem de Voluntate, ubi,de vera intelligentia ſensûs compoſiti & diviſi,erit ſermo. Quę autem hîc & alibi omiſſa fuerint,facilè quis ex dictis & dicendis,imò ſolâ dialecticæ memoriâ,elidere poterit;quanvìs enim,apud eorum Authores, *demonſtrationes* ſępè audiant;ſophiſmata re ipsâ ſunt. Proferamus in medium, exempli gratiâ , famoſam illam argumentationem Reverendiſſ. Tyrſi , quam *demonſtrationem* nominare libuit.

451 Probare nititur Sapientiſſ. ille,tom. 1.diſp. 11.n.8. hanc propoſitionem, *Nulla voluntas prędeterminata ad actionem amandi, habet poteſtatem antecedentem ad faciendum , nè*

actio

actio amandi ponatur â parte rei, & probat illam, hôc ſyllogiſmô in *Cameſtres*: *Prædeterminationem actu inſluere in actionem amandi, eſt, actionem amandi poni à parte rei, & econverſò; ſed nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi, habet poteſtatem antecedentem ad faciendum nè prædeterminatio influat in actionem amandi*: *ergo*, &c. Enimverò argumentatio hæc, demonſtrativa eſſe non poteſt; quippè quæ & in materia & in forma palàm deficit. In materia quidem; nam major eſt falſa; eſt enim propoſitio cathegorica affirmativa, cujus extrema non ſupponunt pro eodem, utpotè, & pro materiali, & pro formali, realiter diſtinguuntur; hoc ſiquidem concretum verbale, *influere*, poſitum ex parte ſubjecti, importat de materiali, cauſam, & de formali, influxum activum cauſæ: hoc autem concretum, *poni à parte rei*, ſeu, *exiſtere*, importat de materiali, effectum, & de formali, exiſtentiam effectûs: nullus autem dubitare poteſt, quin cauſa efficiens ab effectu, & influxus cauſæ ab exiſtentia effectûs, realiter diſtinguantur. Quanvis autem ad veritatem propoſitionis hypoteticę, ſufficiat connexio ſeu illatio extremorum; cathegorica tamen affirmativa, neceſſariò requirit, ad ſui veritatem, extremorum identitatem, ut in confeſſo eſt apud omnes: quapropter, hęc propoſitio eſt abſolutè falſa, *Hominem eſſe rationalem, eſt eſſe riſibilem*. Major igitur illius ſyllogiſmi, eſt apertè falſa.

452 Falſa pariter eſt ſequens, quam in illius probationem adducit, *Actualis influxus prędeterminationis in actionem amandi, non diſtinguitur ab actuali influxu voluntatis*: etenim prædeterminatio, ſe ipsâ, eſt influxus Dei in actionem amandi; ipſa autem actio amandi, cùm ſit actio acta, ſimul eſt effectus, & actualis influxus voluntatis; nec enim voluntas influit in actionem amandi per aliam actionem diſtinctam. *Falſa* demùm eſt hæc, quam ad probandam præcedentem adfert, *Prædeterminationem actu influere, idem eſt, ac voluntatem, ut prædeterminatam, actu influere*: quia complexum ex parte ſubjecti importatum, ſolius prædeterminationis influxum ſignificat; importatum verò ex parte prædicati, & Dei, & voluntatis, influxum exprimit; unde non ſunt idem, ſed

val-

valdè diversa : quemadmodùm valdè diversum est dicere, *Sol generat hominem*, ac dicere, *Sol & homo generant hominem.*

453 Deficit etiam in forma syllogismus ille: *Tum*, quia arguitur à non distributo ad distributum, ex parte majoris extremitatis, nam ly, *Actionem amandi poni à parte rei*, non distribuitur in majori, & distribuitur in consequenti negativo; unde, ex hac parte, syllogismus objectus est evidenter fallax, non minùs quàm sequens, in quo instatur: *Omnis premotio influens, est ens; sed nulla voluntas, est premotio influens: ergo nulla voluntas est ens*: ergo non datur liberum hominis arbitrium. In quo certè arguitur cum eodem defectu, ex parte de ly, *Ens*, quod distribuitur in consequenti negativo, non tamen in præmissis. Constat insuper quatuor terminis. Primus est ly, *Prædeterminationem actu influere in actionem amandi.* Secundus, ly, *Actionem amandi poni à parte rei.* Tertius, ly, *Nulla voluntas prædeterminata ad actionem amandi.* Quartus, ly, *Habens potestatem antecedentem ad faciendum nè prædeterminatio influat in actionem amandi.* Quibus additur quintus inconsequenti, nempè, hoc complexum, *Habens potestatem antecedentem ad faciendum nè actio amandi existat à parte rei.* Et sanè, inter tot terminos, nullus est medium verbum in *Camestres*; nullus quippè bis prædicatur, ut patet. Ut autem sit in Camestres, saltèm apparenter; debet sub illa maj. sic subsumi: *sed nulla voluntas, est actionem amandi poni à parte rei*, & tunc infertur: *Ergo nulla voluntas, est prædeterminationem actu influere in actionem amandi.* Quod verum est, & à nobis ultrò conceditur. Dixi, *saltèm apparenter*, quia adhùc arguitur à non distributo ad distributum, propter dicta. Vide Illust. Palanco disp. 17. de Provid. n. 121. qui, in hoc displicet, quòd num. seq. ait, objectum syllogismum, esse nihilominùs *validam arguendi formam.*

454 Et benè nota, quòd *actionem amandi poni à parte rei*, stat dupliciter, nempè, proùt à Deo, & proùt à causa secunda. Unde quando arguitur sic: *Aliquod agens ponit actionem amandi à parte rei: ergo ponit eam, ut à Deo dependentem*, fallaciter arguitur à superiori ad inferius affirmativè. Si autem

tem arguatur sic: *Aliquod agens non ponit actionem amandi à parte rei, ut à Deo dependentem: ergo non ponit absolutè actionem amandi à parte rei*, tunc fallaciter proceditur ab inferiori ad superius negativè. Simili defectu laborat hoc enthimema: *Voluntas creata non est libera ad ponendum à parte rei actionem amandi, ut à Deo dependentem: ergo absolutè non est libera in ponendo actionem amandi à parte rei.*

455 Nec piget aliam ejusdem Doct. existimatam demonstrationem in *Baroco*, adducere: *Omnis non amans, est non prædeterminatus ad amorem; sed Petrus prædeterminatus ad amorem, non potest non esse prædeterminatus: ergo non potest esse non amans.* Mirum sanè, doctissimum Virum, hujusmodi apertissimas fallacias, *demonstrationes perspicuas* judicasse. Profectò, si talis esset objecta; talis esset & ista: *Omnis non consequens finaliter gloriam, est non prædestinatus ab æterno; sed Petrus semèl prædestinatus ab æterno, non potest esse non prædestinatus: ergo non potest esse non consequens finaliter gloriam.* R. ergo, esse *perspicuum* paralogismum; arguitur enim in quatuor terminis, & consequenter cum duplici medio, vel potiùs, sine medio; nam in majori, prædicatur hoc complexum, *Non prædeterminatus*, in minori autem, hoc aliud, *Non potest non esse prædeterminatus*; quæ toto cælo differunt. Esset autem in *Baroco*, si sub illa majori, subsumeretur sic; *Sed Petrus semèl prædeterminatus, non est non prædeterminatus.* Et tunc inferretur: *Ergo non est non amans*, quod verissimũ est. Sed de his, & de toto Tractatu, satis superquè diximus.

***

TRA-

TRACTATUS V.

DE VOLUNTATE DEI.

Ad quæst. 19. 1. *p. D.Th.*

CONSIDERATIS ad scientiam divinam seu intellectum pertinentibus, agit S. Doct. de spectantibus ad ejus voluntatem. Et primò de ipsa voluntate q. 19. In qua, tria generaliter considerat. Primum pertinet ad quæstionem, *an est*, & *quid est*, divinæ voluntatis. Secundum, ad modum ipsius erga actus & objecta sua. Tertium, ad manifestationem voluntatis erga nos. Primum præstat duobus primis articulis: secundum, octo sequentibus: tertium, duobus ultimis. De quibus omnibus, sequentibus disputationibus disseremus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De existentia & objecto voluntatis divinæ.

DUBIUM I.

An in Deo detur voluntas?

456 COnclusio est affirmativa, & de Fide ex illo Matth. 6. *Fiat voluntas tua.* Rom. 12. *Ut probetis, quæ sit voluntas Dei;* plurimisque aliis. Prob. ratione D. Thomę art. 1. Datur in Deo intellectus: ergo & voluntas. Tenet conseq. intellectus enim & voluntas inter se connectuntur, sicut substantia intellectiva & volitiva: etenim si substantia intellectiva sit, cognoscere debet bonum & malum, & inter utrunque

que discernere : ergo & habere debet inclinationem, quâ istud fugiat, & illud prosequatur ; quod est esse volitivam. *Conf.* Quælibet res naturalis hanc habitudinem dicit ad formam per quam habet esse, ut si illam non habet, tendat in eam; si autem habet, in ea quiescat; (quæ quidem habitudo, in rebus carentibus cognitione, vocatur appetitus naturalis:) ergo & natura intellectualis, aut tendit in bonum apprehensum, aut in eo quiescit; quod ad voluntatem pertinet: ergo in quolibet habente intellectum, est voluntas, sicut in quolibet habente sensum, est appetitus animalis, vel sensitivus. Hanc rationem esse demonstrationem à priori, vel inde deducitur, quòd ex intellectu infert voluntatem in Deo ; sed intellectus est prior voluntate, & cum ea metaphysicè connexus, saltèm in Deo, in quo quidquid connaturaliter & quasi sequelâ physicâ ad aliud sequitur, sequitur ante quamcumque operationem, quâ impediri possit, ac proindè sequelâ omninò necessariâ: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

457 Opp. 1. contra rationem: Datô enim, quòd ad intellectum sequatur voluntas; id tamen non deducitur ex inclinatione rei naturalis ad formam: *Tum*, quia, ad summum, inferri potest inclinatio intellectûs ad formam quâ perficitur, scilicèt speciem, quę voluntas non est. *Tum*, quia solum deduci potest propensio quædam naturalis, & *appetitus innatus*; voluntas autem est appetitus elicitus. *Falsum* præterea videtur, *rem naturalem habere inclinationem ad formam per quam constituitur, ita ut in ea quiescat, &c.* Si enim rei naturali desit forma, res naturalis non est ; undè nec appetitum habere potest. *Postremò* : Cùm inclinatio quæcumque naturalis, à forma ptocedat, juxta D. Thom. dari nequit ad istam inclinatio naturalis.

458 N. assumptum, ad 1. prob. N. ant. Ex quo enim ad rem naturalem sequatur inclinatio naturalis, seu *appetitus innatus* ad objectum sibi conveniens, optimè infertur, quòd in substantia intellectiva, sequatur *inclinatio* quædam *elicita* ad bonum sibi conveniens, apprehensum per intellectũ; quę quidèm inclinatio, non in intellectu, sed in supposito ipso

in-

intelligente, ſubjectatur, & hæc eſt & dicitur *voluntas*. Per quod patet ad 2. prob.ant. *Ad ſecundum* R.quòd ſi eſt ſermo de forma ſubſtantiali, per *rem naturalem*, intelligit D. Th. materiam primam, quæ appetitu innatò in illam inclinatur. Si verò ſermo ſit de forma accidentali, per *rem naturalem*, intelligit compoſitum, quod ad illam, imò & ad complementum ſubſtantiale, naturaliter propendet. Hinc, *ad ult.* in primo ſenſu, N.ant. Juxta ſecundum, diſting.conſequens. Ergo ad illam nequit dari inclinatio naturalis, ſi de forma ſubſtantiali ſit ſermo, C. ſi de accidentali, N.

459 Opp. 2. ad idem: Non repugnat ſubſtantia intellectiva, quæ volitiva non ſit: ergo. Prob.ant. *tum*, quia non eſt aſsignabilis in eo aliqua contradictio. *Tum*, quiâ intellectivum eſt prius volitivô: ergo abſque iſto poni poteſt. *Tandèm*: Dabilis eſt intellectio purè ſpeculativa, imò, & quæ nihil boni aut mali attingat in objecto; ad quam proindè nulla ſequi poſsit volitio: ergo & ſubſtantia, hujuſce intellectionis duntaxàt, productiva, & quæ per conſequens volitiva non ſit.

N. ant. Ad 1. prob. N. ant. Oſtenſum enim eſt ſubſtantiam illam debere eſſe volitivam: ſi ergo volitiva non eſſet, ut Adverſarii volunt, *eſſet* & *non eſſet* volitiva. *Ad* 2. nego conſeq. quæ manifeſtè inſtatur in pluribus metaphyſicè connexis, quorum unum eſt prius aliô, & maximè, ſi identificentur inter ſe, ſicut intellectivum, & volitivum. Itaque, aliud eſt *ſimultas*, aliud *connexio*: undè, quæ non ſunt ſimul ſimultate rationis, poſſunt eſſe connexa. *Ad ult.* permiſsô ant. N.conſeq. Sicut ex quo detur de facto intellectio, ad quam nulla ſequitur volitio, non infertur, dari de facto ſubſtantiam intellectivam non volitivam; Inter principia enim operationum, major debet eſſe connexio, quàm inter operationes ipſas, & maximè, ſi de operatione quadam in particulari ſit ſermo. *Nec* inſuper dabilis eſt ſubſtantia intellectiva ad unam vel alteram intellectionem coarctata.

*** ***
***

DU-

DUBIUM II.

Utrum Deus amet creaturas possibiles?

460 DUbium non procedit de amore, quô Deus velit dare possibilibus bonitatem & esse; hic enim, seu efficax sit, seu inefficax, transfert illa ad statum futuritionis & existentiæ; sed de amore complacentiæ. *Certum* præterea est, Deum complacere in possibilibus, si de possibilitate eorum *extrinseca* sit sermo, cùm hæc sit ipsa omnipotentia, contentiva illorum. Quæstio igitur est de possibilibus, quatenùs in se ipsis dicunt non repugnantiam ut existant, quæ possibilitas, *intrinseca* dicitur.

Prima conclusio: *Possibilia nullam habent bonitatem essentiæ.* Est communis contra D.Godoy, & prob. 1. ex D.Th. tum suprà q.6.a.3.dicente: *Unumquodque est bonum, secundùm quòd est perfectum; perfectio autem cujuslibet rei, triplex est. Prima quidem, secundùm quòd in suo esse constituitur. Secunda verò, proùt ei aliqua accidentia superadduntur. Tertia verò per hoc, quòd aliud attingit sicut finem.* Nulla autem ex his bonitatibus competit possibilibus, nisi possibiliter & objectivè. *Tum* hîc art.2. ubi ostendit, *Deum velle alia à se, quia omnis bonitas creata, à Dei voluntate descendit.* Porrò bonitas illa *essentialis* possibilium, cùm ponatur in connexione prædicatorum essentialium; à divina voluntate non pendêret; status enim possibilium, antevertit omne signum in quo intelligitur divina voluntas: ergo D.Th. talem bonitatê non agnoscit. *Demùm* q.21.de verit.a.5.loquens de bonitate essentiali, affirmat, *sequi ad essentiam habentem esse*: ergo nè ista quidem convenit possibilibus, esse existentiæ non habentibus.

461 Prob.2. ratione: *Tum*, quia creaturæ in statu puræ possibilitatis, non habent actu essentiam, hæc enim producitur, dùm res actu producitur, v.g. quando homo producitur, de novo producitur anima, & de novo unitur materiæ: ergo nec habent actu bonitatem secutam ad essentiam. *Tum*, quia Petrus v.g. in statu puræ possibilitatis, solùm est

po-

potens habere formam & materiam, non verò habet illas de facto: ergo non habet de facto essentiam, nec bonitatem essentialem. *Præterea*: Quia merè possibilia non habent bonitatem *existentialem*, nec *accidentalem*, quia existentiam, & accidentia, actu non habent, quanvis illa habere possint: ergo nec *essentialem*, propter eandem rationem. *Insuper*: Connexio prædicatorum essentialium, reperta in possibilibus, eò modò existit, quò prædicata ipsa: ergo solùm possibiliter. *Adhæc*: Talis connexio, est ab æterno in mente divina duntaxàt, quatenùs Deus cognoscit, illa prædicata esse inter se conjungibilia ad integrandam aliquam speciem: ergo connexio illa de facto non est, sed potest esse. *Postremò*: Quod non transit à statu possibilitatis ad statum actualitatis, nec transit à statu independentiæ ad statum dependentiæ; res quippè dependent à Deo ratione existentię; at si talis connexio esset actualis in statu possibilitatis, non transiret ad statum actualitatis, nec per consequens ad statum dependentiæ: ergo cùm in illo statu, sit non dependens à Deo, talis esset in statu rei existentis; quod implicat.

462 Hinc colliges, sensum illius proloquii, *Rerum essentiæ sunt ab æterno, ingenerabiles, & incorruptibiles, &c.* esse, quòd rerum essentiæ, hominis v.g. sunt ipsa prædicata essentialia, non quidèm de facto ab æterno producta, vel inter se connexa; sed proùt divinę cognitioni objiciuntur, ut producibilia, & connectibilia de facto ad hominis constitutionem: undè, ab æterno sunt in mente divina, tanquam objectum cognitum, & per consequens *objectivè*, seu *possibiliter* duntaxàt, non *subjectivè* in se ipsis. *Colliges* prętereà, accidentia, & existentiam rerum, esse quoque ab ęterno *possibiliter* & *objectivè*, cùm pariter essentiam habeant; prędicata tamen accidentalia possibilia, non attinguntur conceptu repræsentante essentialia rei, sed aliò superadditò: Undè albedo v.g. etiam in statu possibilitatis, accidit homini. *Ex quibus* sic arguitur: Homo v.g. possibilis, sicut potest habere essentiam, ita potest habere existentiam, & accidentia, nihil tamen de facto habet: ergo, vel non habet de facto bonitatem *essentialem*, vel habet de facto omnem bonitatem, ni-

mirùm, *essentialem*, *accidentalem*, & *existentialem*; quippè bonitas essentialis albedinis, non potest non esse homini accidentalis.

463 Secunda conclusio : Deus nullô amore prosequitur creaturas possibiles. Traditur à D. Th. hîc art. 6. ad 2. & alibi sæpè, docente, *intellectum terminari ad possibilia; secùs voluntatem.* Prob. 1. ex præcedenti : Nam *bonum*, & *appetibile*, convertuntur juxta D. Th. constatque ex illo Philosophi, *Bonum est quod omnia appetunt*: ergo sicut propterea hæc consequentia tenet: *Non est appetibile: ergo non est bonum*, quam firmat D. Th. sup. quæst. 5. a. 2. ad 4. ita etiam ista est legitima: *Non est bonum: ergo non est appetibile*; at possibilia non sunt bona: ergo. *Dices* : Oppositum hujus subsumptæ, esse probabile, etiam inter propugnantes hanc secundam conclusionem: quarè ratio non est efficax, utpotè inferens conclusionem magis communem ex antecedenti minùs communi. *Sed contra* est : Quia illorum inconsequentia apertè convincitur: *Tum*, quia chimericum est *verum*, ab intellectu divino non cognoscibile: ergo & *bonum*, à voluntate divina non amabile. *Tum*, quia hæc consequentia D. Th. ubi suprà, est legitima: *Hoc non est appetibile* : *ergo non est bonum*: ergo etiam hęc: *Hoc est bonum*: *ergo est appetibile*: arguitur quippè ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis.

464 Prob. 2. concl. Quia Deus nequit amare possibilia amore effectivô, iste enim (sive efficax sit, sive inefficax) transfert possibilia ad statum futuritionis: nec simplicis complacentiæ, cùm hic supponat bonitatem in objecto, ratione cujus cômplacet in illo. *Dices* : Deum complacêre in bonitate, quam scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit, habitura possibilia, si producerentur. *Sed contra* est : *tum* quia complacentia terminatur ad bonitatem : ergo si hanc de facto non habent, sed haberent; illam non terminant, sed terminarent, si producerentur. *Tum*, quia aliàs Deus complaceret in bonitate *existentiali*, & *accidentali* possibilium, cùm etiam videat Deus, quòd illa, talia accidentia haberent, si producerentur. *Tum* demùm, quia complacêret etiam de

fa-

facto in pœnitentia Judæ, & in Juda posſibiliter pœnitente, cùm ſcientiâ ſimplicis intelligentiæ cognoſcat, quòd ſi pœnitentia Judæ poneretur à parte rei, talem haberet bonitatem.

465 Prob. tandèm concl. Quia aliàs diſplicêret Deus in peccato & peccatore poſsibili; quod videtur abſurdum, diſplicêret enim in Beatiſsimâ Virgine, imò in humanitate Chriſti, quæ, ſi à Verbo aſſumpta non fuiſſet, peccare poſſet: ergo. *Reſpondet* Auguſt.de Herrera, Deum diſplicêre in peccato poſsibili, ſed non in peccatore poſsibili,quia illud,ex ſuis prædicatis eſſentialibus,opponitur divinæ voluntati,& rectæ rationi; iſte autem, ſolùm ab extrinſeco,ratione ſcilicet culpæ,ſibi accidentaliter advenientis. *Sed contra* eſt: *Tum*, quia licèt peccatori, ſubſtractivè ſumpto, accidat peccatum; ſecùs accepto concretivè;concretum enim ſignificatum per has voces,*peccator poſsibilis*,includit eſſentialiter peccatum poſsibile; nihil enim concreto eſſentialius, quam forma ipſius conſtitutiva. *Tum*,quia Deus diſplicet in peccatore actuali,quia diſplicet in peccato actuali,cui ille conjungitur: cùm ergo peccator poſsibilis conjungatur cùm peccato poſsibili, ſi in iſto diſplicet, & in illo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

466 Oppones 1. D.Thomam 3. cont. Gent. cap.2. dicentem: *Bonum quodammodò amplioris eſt ambitûs, quàm ens: quaqropter dixit Dionyſius cap.4. de Divin. nòmin. quòd bonum ſe extendit ad exiſtentia, & non exiſtentia*: ergo licèt poſsibilia nec ſint entia, nec exiſtant, poſſunt eſſe bona. *Præt.* Hìc art.6. ad 1. dicit: *Et ideò Deus cognoſcit omne verum; non tamen vult omne bonum*: datur ergo bonum, quod Deus non vult, quod aliud eſſe nequit quàm poſsibile, exiſtens enim & futurum, verè vult. *R.*ad 1.loqui S.Doct.de materia prima, pro priori ad formam, quæ, quia iſtam appetit, dicitur bona; cùm tamen nec dicatur ens, nec exiſtens; *nam & ipſa non exiſtentia* (ſubdit) *ſcilicet materia prima, ſecundùm quòd intelligitur privatio in ſubjecto, appetit bonum, ſcilicet eſſe,ex quo patet quòd etiam ſit bona.*

467 Dices: D.Th.loquitur de materia prima poſsibili,

cùm loquatur de illa, ut ſtat ſub privatione formæ: ergo merè poſsibile, poteſt dici donum. *R.* loqui de materia prima, ut ſtat ſub privatione formę pręciſiva, non autem phyſica & reali; eſt enim ſermo de materia prima, verè producta, poſita extra cauſas, & exiſtente ſub forma; conſideratur tamen pro aliquo priori ad formam, quatenùs ſcilicèt, eſt cauſa materialis illius, quâ ratione, concipitur ſub privatione formæ præciſivâ, & cum appetitu ad illam; vî cujus appetitûs, dicitur jam *bona*, quanvis nec dicatur *ens*, nec *exiſtens*: undè, proùt ſic, eſt quidèm in pura potentia ſubjectiva ad exiſtendum, quę eſt propria illius; at non objectivâ, omnibus poſsibilibus communi. *Ad* 2. R. ſolùm docere, quòd verum merè poſsibile, actu cognoſcitur à Deo, bonum autem poſsibile, actu non amatur; quod verum eſt.

468 Opp. 2. Propoſitiones ęternæ veritatis, verificantur etiam de poſsibilibus, v.g. iſta, *homo eſt animal*, verificatur de homine poſsibili: ergo iſte habet integram eſſentiam, & conſequenter perfectionem, & bonitatem eſſentialem. *R.* propoſitiones æternę veritatis non enuntiare, prædicatum convenire actualiter ſubjecto, ſed ſolùm poſsibiliter, quia in illis verbum abſolvitur à tempore, nec denotat, prædicatum eſſe, nec ſubjectum; ſed enuntiat habitudinem duntaxàt, & unionem inter illas; quæ quidèm, in actualibus, actualis eſt & ſubjectiva, in poſsibilibus verò, poſsibilis & objectiva. Vide ſup. n. 462.

Opp. 3. Bonitas eſt paſsio entis: cùm ergo creaturæ poſsibiles ſint entia, ſaltèm nominaliter; erunt bonæ. *Prę.* Metaphyſica demonſtrat bonitatem de ente nominali, cùm iſtud ſit ejus objectum; at bonum nominale dicitur etiam de poſsibilibus: ergo. *Tandem*: Poſsibilium, alia ſunt aliis perfectiora, ut homo poſsibilis, leone poſsibili: ergo. *Ad* 1. R. quòd bonitas eſt proprietas entis *participialis* duntaxàt. *Ad* 2. quòd metaphyſica demonſtrat de ente nominali bonitatem poſsibilem & objectivam, non ſubjectivam & actualem. *Vel dic*, objectum metaphyſicæ, eſſe ens participiale, quod de poſsibilibus non dicitur. *Ad* 3. R. unum poſsibile, nec eſſe, nec dici, aliô perfectius ſubjectivè & actua-

actualiter, sed objectivè & possibiliter, quatenùs scilicèt, intelligitur ut potens habere prędicata aliis perfectiora.

469 Opp. 4. Quidquid terminat appetitum innatum, aut elicitum, habet aliquam rationem boni; at possibilia utrumque terminant, omnes enim potentiæ innatè propendent in sua objecta ut possibilia; & infirmus desiderat, imò & sæpè sperat, salutem sibi non futuram, seu merè possibilem, sicut & reprobus, gloriam: ergo. *R.* ad terminandum appetitum innatum, aut elicitum, non requiri rationem boni existentis, aut realis; sed sufficere rationem boni possibilis, vel apprehensi.

Opp. 5. Possibilia esse utilia omnipotentiæ, quippè, quæ sine illis non subsisteret, propter connexionem. *R.* possibilia respectu omnipotentiæ, solùm se habere per modum termini, ab illa dependentis ac potentis accipere esse; unde non sunt utilia omnipotentiæ, sed econversò.

470 Opp. 6. contra 2. concl. D. Thomam infrà q. 37. a. 2. ad 3. dicentem: *Sicut Pater dicit se, & omnem creaturam in Verbo :: ita diligit se, & omnem creaturam in Spiritu Sancto.* Præterea, 1. contra Gent. cap. 84. ait: *Deus vult ea quæ sunt vel possunt esse bona.* Ad 1. R. sensum esse, quòd sicut Pater Verbò cognoscit omnem creaturam quam cognoscit; ita Spiritu Sanctò amat omnem creaturam quam amat: Quòd autem amet omnem creaturam quam cognoscit; nec verum est, nec docetur ibi: undè ly *sicut*, non dicit paritatem in objecto cognito & amato, sed in medio: quemadmodùm licèt homo voluntate amet quidquid amat, sicut intellectu cognoscit quidquid cognoscit; non propterea, quidquid intellectu cognoscit, amat voluntate. In forma ergo N. conseq. *Ad* 2. R. loqui de amore effectivo, quem ut aliquid terminet, sufficit, quòd pro priori ad illum possit esse: loquitur enim de possibilibus contrapositivè ad impossibilia, quæ volitionem effectivam terminare non possunt. At, dùm amor effectivus terminatur ad possibilia, transfert illa ad statum futuritionis, vel existentiæ: Undè, nec amore effectivò amat Deus possibilia in sensu composito, sed divi-

viso ; amore autem complacentiæ, nullô modô, iste enim non efficit, sed supponit, bonitatem.

471 Opp. 7. Deus amat omnipotentiam suam ut connexam cum possibilibus, ipsamque connexionem: ergo & possibilia ; amans etenim extremum connexum cum alio, & istud amet, necesse est : Et propterea Deus non amat materiale peccati, ut connexum cum malitia, aliàs istam amaret. *N. conseq.* quę evidenter instatur: Deus enim cômplacet in pœnitentia, decreto permissivo, & scientia media peccati, cum peccato utiquè connexis, quin in isto complaceat. Et omnium ratio est : quia tunc, amans extremum cum alio connexum, cômplacet in isto, quando istud est capax amoris, & complacentiæ; secùs si incapax, cujusmodi sunt possibilia, & peccatum, quia istud est malum, & illa non sunt bona. *Ad prob.* (quâ instari potest solutio) dicendum, quòd si Deus amaret materiale peccati, ut connexum cum malitia formali, & istam amaret; non præcisè quia connectuntur, sed quia potens amare connexionem, quæ mala jam esset, & à voluntate ut prima causa deficiente; posset pariter & malitiam ipsam formalem amare.

472 Opp. tandèm: Plura amantur à Deo, quæ solam bonitatem possibilem habent, qualia sunt, salus reproborum, plura futura conditionata de conditione nunquam purificanda ; imò & omnia futura, quippè quæ quoad intrinseca, à possibilibus non differunt: ergo. *Præterea*: Deus odiô habet de facto peccatũ possibile, vult etenim de facto, nullum committi, prohibetque omne illud, etiam possibile: ergo. *R.* sæpè dictum esse, bonitatem merè possibilem terminare non posse divinam complacentiam, sed amorem duntaxàt effectivum, cujusmodi sunt, volitio salutis reproborum, & volitiones illæ conditionatæ; tendunt siquidem ad dandam existentiam & bonitatem objectis, sivè absolutè, sive conditionatè ; sive efficaciter, sive inefficaciter. *Omnia* etiam futura amore effectivô prosequitur, non autem affectivô, nisi ut præsentia in æternitate. *Ad* 2. R. Deum non displicere in peccato seu malitia possibili ; voluntas autem prohibens illa, cùm tendat ad eorum non esse, est quasi effecti-

fectiva carentię illorum, non autem displicentia, aut affectus oppositus complacentiæ, nec odium affectivum, sed effectivum carentię peccati. *Nota* in fine, quòd Authores tribuentes bonitatem posibilem essentialem posibilibus; docent, divinam complacentiam ad solam bonitatem existentialem terminari posse.

DUBIUM III.

Utrum creaturæ à Deo volitæ, contineantur sub objecto primario divinæ voluntatis?

473 COnclusio est neg. & comm. contra P. Suarez, nonnullosque RR. Traditur à D. Th. hîc, art. 1. dicente: *Sic igitur vult & se, & alia; sed se, ut finem; alia verò, ut ad finem.* Et expresiùs adhùc ad 2. *Prob.* autem ratione: 1. Objectum enim primarium, sive motivum, sive terminativum, cùm primò & ratione sui attingatur, est finis: Est præterea specificativum, cùm ab illo sumatur species & essentia potentiæ; at neutrum convenire potest bonitati creatę, aut abstrahenti à creata & increata, respectu voluntatis divinæ: Non primum, *omnia* siquidèm *propter se ipsum operatus est Dominus*, Prov. 16. Nec secundum, ut patet: ergo.

474 Prob. 2. *Sicut Deus alia à se intelligit, intelligendo essentiam suam; ita alia à se vult, volendo essentiam suam*, ut loquitur D. Th. hîc; at ita intelligit alia à se, intelligendo essentiam suam, quòd hæc sola sit objectum primarium, tàm motivum, quàm terminativum divini intellectûs, alia autem à se, omninò secundarium, cùm in essentia divina, & per illam, attingantur: ergo ita diligit alia à se, diligendo essentiam suam. *Tandèm*: Bonitas abstrahens à creata, & increata, cùm indifferens sit ut contrahatur ad creatam, & increatam; indifferens sit, necesse est, ut attingatur per voluntatem creatam, & increatam: ergo abstrahit à ratione objecti specificativi voluntatis creatæ, & increatæ: ergo.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

475 Opp. 1. Hęc causalis est vera, *Deus vult creaturas, quia bonæ sunt*; creaturas enim possibiles non vult, quia bonæ non sunt: aliquam ergo causalitatem habent, saltèm objecti motivi, respectu volitionis divinæ. *Præterea*: Motivum amoris, quò Deus in creaturis existentibus còmplacet, est id quod deest possibilibus; sed hoc est sola bonitas creata: ergo. *Tandem*: Deus movetur ad amandum actum charitatis, ex ipsa actûs bonitate, reddente ipsum dignum tali amore: sicut malitia ipsa actûs odii Dei, movet Deum ad tale odium odiô habendum: ergo.

476 Ad 1. R. causalè illam esse verâ, ly *quia* dicente causalitatem secundariam, & à posteriori (& quidem logicam duntaxàt;) secùs si dicat causalitatem primariam, & à priori, aut etiam secundariam physicam. Cùm enim voluntas divina, ad differentiam creatæ, det bonitatem objecto; potiùs hæc causalis est vera, *Quia Deus vult creaturas, illæ sunt bonæ*. Sicut hæc causalis, *Deus scit creaturas esse futuras, quia futuræ sunt*, in sensu duntaxàt logico, & non physico, vera est: Potiùs enim est vera ista, *Quia Deus scit creaturas esse futuras, illæ futuræ sunt*, ut docet D. Th. sup. q. 14. a. 13. Vide n. 293. Hæc pariter causalis, *Deus non vult possibilia, quia bona non sunt*, solam causalitatem logicam importat, id est, connexionem, seu bonitatem consequentię, consurgentem ex defectu conditionis, seu objecti secundarii, sicut ista, *Hic ignis non comburit lignum istud, quia illi non est applicatus*.

477 Ad 2. R. quòd creaturæ existentes, ultra propriam bonitatem creatam (ad complacentiam necessariò requisitam, tanquàm objectùm secundarium voluntatis divinę;) habent, quòd bonitas divina, ut contentiva bonitatis earum, movere potest divinam voluntatem ad complacendum in illis; utrumque autem deest possibilibus: undè neganda est minor. *Ad ult.* dicendum, bonitatem divinam, ut contentivam bonitatis actûs charitatis, primariò terminare divinum amorem, movereque divinam voluntatem ad illam bonitatem creatam amandam; undè hæc, se-

cun-

cundariò duntaxàt, terminat talem amorem. Similiter, quia Deus amat ſuam bonitatem, odiô habet malitiam peccati, ipſi oppoſitam: ex ſua ergo bonitate, ejuſque amore, movetur Deus ad odiô habendum malitiam cujuſvis peccati.

477 Opp. 2. Miſericordia eſt in Deo attributum, ab ejus charitate diſtinctum: cùm ergo objectum motivum charitatis, ſit bonitas divina; non hæc, ſed creata, erit motivum divinæ miſericordiæ. *Præterea*: Vera amicitia vult amico bonum, propter ipſum & in gratiam ipſius, & non propter bonitatem utilitatemque amantis: ergo amor amicitiæ quô Deus amat hominem juſtum, habet pro objecto motivo bonitatem iſtius. *Ad* 1. N. conſeq. Eadem enim bonitas divina, ſub diverſis reſpectibus, eſt Deo ratio amandi per charitatem creaturam, & ſubveniendi per miſericordiam indigenti; eadem quippè manens, & eſt ratio volendi ſublevare miſeriam, & diligendi creaturas: ſub hac ratione, ad charitatem movet, ſub illa, ad miſericordiam. *Ad* 2. R. quòd ut Deus diligat amicabiliter juſtos, ſatis eſt, quòd ipſis velit bonum, tametſi ratio formalis motiva, ſit bonitas ipſa Dei; etenim de ratione amicitiæ, eſt velle bonum amico propter ipſum, tanquàm ſubjectum, non tanquàm finem, vel objectum.

478 Opp. 3. Merita movent voluntatem divinam ad conferendum præmium. *Gloria* inſuper, intenta per modum coronæ, movet voluntatem divinam ad volenda media quibus conſequatur: moveri ergo poteſt divina voluntas à bono creato. *Ad* 1. R. merita movere divinam voluntatem ad conferendum præmium, non per modum objecti motivi, ſed, ad ſummum, per modum rei volitæ. Licèt enim divina voluntas ex objecto priùs volito moveatur ad aliud; motivum tamen utrunque volendi, ſola eſt divina bonitas. Per quæ patet ad 2. *Vel dic*, moveri Deum, non ex objecto creato, ſed ex propria volitione; ex volitione ſcilicèt meritorum, ad volitionem conferendi prçmium in executione, & ex volitione gloriæ per modum coronæ, ad volitionem meritorum; quia tamen volitiones ex quibus movetur, potiùs ex parte ſubjecti ſe tenent, quàm objecti: ideò

ſo-

sola bonitas divina est objectum motivum aliarum.

479 Opp. ult. cum P. Arrubal: Actus liber Dei, vel terminatio libera ad creaturas, virtualiter distinguitur ab entitate actûs necessarii; at hæc terminatur primariò ad bonitatem divinam: ergo illa, ad bonitatem ab ista distinctam, seu creatam. *Prætereà*: Libera terminatio, est defectibilis ex defectu sui objecti, ut infrà dicetur: ergo non terminatur ad divinam bonitatem, prorsùs indefectibilem. Sanè defectibilitas actûs, ex objecto primario pensanda est; hôc enim permanente, quanvis secundarium deficiat, permanet actus. *R.* quòd êadem bonitas divina, ut in se ipsa amabilis est, est objectum amoris necessarii; & ut est contentiva creaturarum & ratio diligendi eas, terminat primariò volitionem ut liberam, & sub hac secunda ratione bonitas divina defectibilis est; defectibile enim est, quòd divina bonitas contineat hanc vel illam creaturam existentem, vel futuram, & quòd sit ratio diligendi eam, cùm potuerit Deus nec illam producere, nec diligere.

DISPUTATIO II.

De libertate voluntatis divinæ.

DUBIUM I.

Utrum voluntas divina possit aliqua libertate gaudere in ordine ad divinam bonitatem?

480 SUpponendum est contra Cajet. rationem D.Th. ex terminis quidèm, solam necessitatem quoàd speciem convincere; utramque tamen, juxta subjectam materiam: cùm enim voluntas divina sit actus purissimus, secum identificans suum actum secundum; idem est in Deo, necesitari quoàd speciem, & quoàd individuum. Ratio igitur sic proponi potest: Quælibet potentia dicit necessariam habitudi-

nem

nem ad ſuum objectum primarium : ergo voluntas divina, ad divinam bonitatem; at hæc habitudo, neceſſaria eſſe debet, etiam quoàd individuum, cùm enim voluntas divina ſit actus purus, conſtitui nequit in actu primo ſub reali carentia actûs ſecundi: ergo. Et per hæc patet ad fundamentum Cajetani. Hòc ſuppoſitô,

481 Concluſio eſt neg. Unde nec poteſt Deus amare divinam bonitatem aliô amore, numero diſtinctô ab eo quô hìc & nunc diligit illam. Eſt communis,& oſtenditur: Voluntas divina, cùm ſit actus puriſsimus, realiter identificatur cum actu quolibet à ſe elicito: ergo confingi non poſſunt in ea actus, ſpecie, aut numerò, realiter inter ſe diſtincti; quæ enim ſunt realiter êadem uni tertio, ſunt realiter idem inter ſe,in abſolutis. *Præterea*: Voluntas divina realiter ſeparatur à quocumque amore, quem de facto non habet, ac proinde realiter ab illo diſtinguitur : ergo nunquàm potuit cum illo realiter identificari: ergo nec illô ſuam bonitatem amare. Hæc ratio planè demonſtrativa eſt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

482 Oppones 1. Actus attingentes idem objectum primarium, cum aliqua tamen varietate circa ſecundaria, aliqualiter diſtingui debent, & conſequenter numericè ad minus; ſed amor quô Deus de facto diligit ſuam bonitatem, & ſimul exiſtentiam mundi, & amor quô potuit velle ſuam bonitatem & carentiam exiſtentiæ mundi, ſic ſe habent : ergo &c. ergo non implicat, quòd Deus ſit liber in eligendo unum præ alio, tametſi neceſsitatus ſit, & quoàd ſpeciem, & quoàd individuum, ad ſuam diligendam bonitatem. *Præterea*: Actus quô Deus de facto diligit ſe, eſt ſimul volitio mundi,non autem carentiæ mundi;ſed potuit Deus diligere ſe, actu, qui eſſet ſimùl volitio carentiæ mundi, non autem exiſtentiæ mundi : ergo potuit Deus diligere ſe, actu numericè diſtinctô ab eo, quô diligit ſe de facto.

483 Ad 1. R. myſterium actuum voluntatis divinę, ad differentiam actuum voluntatis creatæ, ſtare in eo,quòd illi poſſunt habere varietatem erga objecta ſecundaria, abſque eo, quòd entitativè, & in ſe diſtinguantur. In forma ergo di-

distinguatur maj. & concedatur de actibus creatis, & à potentia realiter distincta elicitis; negetur autem de increatis, & cum potentia elicitiva identificatis. *Ad* 2. N. conseq. Idem quippè entitativè actus, quô Deus diligit se, & simul existentiam mundi, esset amor Dei, & simul carentiæ mundi, si voluisset non producere mundum. De quibus infrà n. 506.

DUBIUM II.

Per quid constituatur actus liber Dei?

484 *Nihil ad prædicandum notius, nihil ad intelligendum secretius*, ajebat August. de peccato originali loquens: id quod de mysterio libertatis divinę jure possumus affirmare; nihil enim in Fide, & naturali ratione, apertius & expeditius, quàm Deum esse liberum: nihil in Theologia occultius & intricatius, quàm modum libertatis ejus declarare. Consurgit autem difficultas ex duplici principio apud omnes certissimo, videlicèt, *Actum liberum Dei esse aliquid defectibile, & quòd potuerit non esse*, de ratione siquidèm libertatis est, posse non esse. *Nullam* præterea *perfectionem divinam, nullumque actum Deo realiter identificatum, posse, vel potuisse non esse*; cùm enim Dei esse entitatemque participent; necessitatem in essendo, immutabilitatem, & infinitatem, sortiantur, necesse est.

In hac controversia, omnium planè maxima, illud Cottę apud Ciceronem lib. 1. de nat. Deorum, propè medium, usurpare licet: *Omnibus ferè in rebus, & maximè in ista, quid non sit, citiùs, quàm quid sit, dixerim.* Ab impugnandis igitur penè innumeris aliorum sensibus (quod difficile non esset) abstinentes, Thomistarum Sententiam breviter aperire tentabimus, ut vel in hoc Angelicum Præceptorem imitemur, qui, ubicumque hanc versat difficultatem, mirum quàm paucis eam absolverit. Videantur, circa id quod omittimus, Joan. à S. Th. & D. Godoy.

485 Conclusio: *Divini decreti libertas exponenda est per*

ten-

tendentiam ſpontaneam, ſive voluntariam terminationem ad creaturas, ut ad objectum inadæquatum, potentem deficere activè duntaxàt, & ſub conceptu dandi eſſe, vel illud negandi, ſi fuerit nolitio. Sic expreſsè Joann. à S.Th. Illuſt. Marinis & Montalvan, & Mag.Eſcuder, in M.S.Et eſt omnium Thomiſtarum mens, tametſi ſub aliis, & aliis terminis tradita. Et meritò quidèm; docetur enim apertè à D.Th. pluriès, ſed præcipuè infrà q.20.a.3. ad 4. & 5. & 1. ad Anibald.d. 45.q.1.a.1.his aureis verbis: *Voluntas aivina non ſe habet ad oppoſita per modum receptionis, ſed per modum actionis; & ideò non ſequitur, quòd ſit mutabilis, ſed rerum mutativa.*

486 Pro ampliori adeò momentoſæ concluſionis captu, præ oculis ſequentia habere oportet. *Primùm*: Quemlibet actum liberum, ſeu increatum, ſeu creatum, duplicem importare conceptum; alterum libertatis conſtitutivum, alterum ſubſecutum per modum proprietatis, & ſupponentem libertatem jàm eſſentialiter conſtitutam. Primus ſtat in eo, quòd actus ſpontaneè tendat in objectum, voluntati inadæquatum, id eſt, non neceſſariò trahens illam ad ſe, ſed inadæquatè & contingenter duntaxàt eam movens. Et hinc conſequitur ſecundarius libertatis conceptus, nimirùm, defectibilitas actûs, & quòd potuerit abſolutè non eſſe. *Præterea*: Hanc defectibilitatem, non eſſe potentiam aliquam paſsivam in actu, ut tranſeat de non eſſe ad eſſe: aut, ut non ſit, dum eſt: primum quippè omni enti & actui creato, etiam neceſſario, commune eſt; ſecundum autem, planè repugnat. Stat ergo actûs liberi defectibilitas, in quodam prædicato reali, ipſi intrinſeco, inde conſurgente, quòd pro ſigno antecedenti ad ſuum eſſe, potuerit non eſſe, id eſt, quòd in eodem inſtanti in quo eſt, potuit voluntas ponere carentiam actûs, ſicut poſuit actum.

487 Hinc, ad divina aſcendendo, primarius conceptus libertatis volitionis divinæ, eſt, ipſa ſpontanea tendentia, terminatio, aut extenſio ad creaturas, tanquàm ad objectum inadæquatum divinæ voluntatis; ſecundarius autem divinæ libertatis conceptus, eſt, defectibilitas hujuſmodi tendentiæ, terminationis, vel extenſionis, quatenùs voluntas di-

vi-

vina potuit his, pro suo libito, carere. *Postremò*, defectibilitatem divinæ volitionis liberæ, esse *activam* duntaxàt, non autem *passivam*: in quo differt à volitione libera creata, quæ *passivè* & *entitativè* defectibilis est; at volitio libera Dei potuit deficere, non *passivè*, sed *activè*, id est, *non quòd potuerit non esse, sed quòd potuerit ipsa non facere*. Et hoc est, quod docet D. Th. verbis suprà adductis.

488 Discrimen autem, divinam inter, & creatam volitionem liberam, inde consurgit, quia oppositô modô comparantur ad objectum; volitio enim creata respicit objectum tanquàm sui mensuram, cùm ab eo speciem & esse recipiat; at volitio divina, econversò, est mensura & causa creaturarũ quas vult. Sicut ergo objectum volitionis creatæ, absque intrinseca sui mutatione & defectu, transit ab exercitio terminandi illam, ad non terminandum illam, volitio tamen transire nequit ab attingentia objecti, ad non attingendum illud, quin suum esse intrinsecum perdat: sic volitio divina transire potest ab exercitio attingendi objectum creatum, ad non attingendum illud, absque eo quòd aliquid intrinsecum, vel entitativum desit illi; objectum tamen creatum non potest non attingi à divina volitione, absque intrinseco defectu, cùm totum suum esse accipiat ab illa.

489 Hinc solvitur intricatissimus nodus, qui in tot sententias disperšit Auctores. Dicendum est enim, volitionem liberam Dei, in re & quoàd entitatem, esse indefectibilem, cùm sit ipsa entitas necessaria Dei; esse nihilominùs defectibilem quoàd terminationem, attingentiam, vel immutationem creaturarum, quia videlicèt, sub hac expresione, non dicit esse quod habet, sed esse quod dat; non importat *mutabilitatem* ex parte Dei, sed *mutationem* ex parte objecti, ut inquit D. Th. Itaque volitio libera Dei duplicem dicit respectum, alterum ad voluntatem divinam, à qua habet esse per identitatem; alterum ad objectum cui dat esse, nihil ab eo accipiens: juxta primum respectum, indefectibilis prorsùs est. Juxta secundum verò, dicitur & est defectibilis, *activè* quidèm, non *passivè*. Et hæc, citra aleam, est mens D. Thomæ n. 486. laudata.

Acci-

490 Accipe notanda verba Illuſt. Marinis in præſenti cap. 5. *Reſpondemus* (inquit) *diſtinguendo duplicem indifferentiam; alteram in eſſendo, alteram in operando. Libertas autem exigit indifferentiam in eſſendo, quando eſt paſsiva, qualis eſt creata; ſed libertas divina, quæ eſt activa tantùm, exigit ſolam indifferentiam in operando. Imò perfectio libertatis ut ſic, præcisè dicit dominium agentis in ſuos actus in ordine ad effectus producendos, ita, ut ad libitum, & indifferenter, poſsit agere, vel non agere; agere hoc, vel oppoſitum. Non implicat autem neceſsitas in eſſendo cum indifferentia in operando; ideòque poteſt idem actus divinæ voluntatis, eſſe entitativè neceſſarius, &, ut ita dicam, operativè liber.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

491 Opp. 1. cont. hanc doctrinam. Videtur enim coincidere cum ſententia Aureoli communiter rejecti, aſſerentis, *Deum, eſſe quidèm liberum in producendis creaturis, non autem in volendis illis.* Videtur præterea incidere in opinionem RR. conſtituentium volitionem liberam per entitatem actûs neceſſarii, & productionem creaturæ. *Demùm*, quia cùm volitio, ut contradiſtincta à productione, & ut præintellecta ad iſtam, nihil habeat vi cujus dicatur & ſit defectibilis, non erit, proùt ſic, libera; quod eſt inconveniens.

492 Ad 1. R. Aureolum abſolutè negaſſe Deo volitionem liberam in ſenſu propĩo & formali, ſolamque productionem ad extra liberam eſſe, expreſsè docuiſſe. Nos autem oppoſitum docemus, ut ex dictis ſatis conſtat. *Ad* 2. R. RR. illos, præter creaturam, vel ejus productionem, ſolam agnoſcere entitatem actûs neceſſariam, quæ ad conſtituendum actum liberum formaliter conducere nequit: Nos autem conſtituimus voluntatem liberam per tendentiam ſpontaneã ad creaturas, quæ ſunt objectum inadæquatum & inæquale volitionis divinę, cujus defectibilitas ſe tenet ex parte creaturæ, ſi de paſsiva loquamur, activa verò ex parte ipſius attingentiæ, in ratione, ſcilicèt, dandi eſſe, non autem in ratione habendi illud. *Ad* 3. dicendum, quòd volitio libera intelligitur conſtituta ſecundùm primarium libertatis conceptum, antequàm intelligatur creatura defectibilis; imò &

in-

intelligitur activè defectibilis ; passivè tamen, sola creatura intelligitur defectibilis, quæ totum suum esse habet à volitione libera Dei.

493 Sed instabis 1. Attingentia spontanea creaturæ, inquantùm concipitur respectivè ad creaturam, etiam est aliquod prædicatum divinum ; at potuit non esse sub hoc respectu : aliquod ergo prædicatum divinum potuit non esse. *Secundò* : Quòd volitio divina det esse creaturis, etiam est prædicatum divinum, & quidèm identificatum cum volitione, & entitate Dei ; at hoc potuit deficere : ergo aliquod prędicatum, &c.

R. ad 1. distinguendo maj. est aliquod prædicatum divinum, explicans rationem habendi esse, N. dandi esse, C. & datâ min. N. conseq. Cùm enim dicitur de aliquo prædicato, quòd *potuit non esse*, intelligitur de illo secundùm rationem habendi esse, non autem secundùm rationem dandi esse ; nam secundùm hanc rationem, dici non debet, quòd potuit non esse, sed quòd potuit non dare esse.

494 Ad 2. N. conseq. variatur enim appellatio ; nam ly *deficere*, in consequenti sumitur absolutè, & stat pro deficientia absoluta ; in præmissis autem, restrictivè, solùm enim verificatur *activè*, & in ratione dandi esse creaturis. Et hinc solvitur sequens paralogysmus: *Volitionem divinam esse dantem, aliquod prædicatum divinum est ; sed potuit volitio divina non esse dans: ergo aliquod prędicatum divinum potuit non esse.* In qua arguitur à restricto ad non restrictum, seu ab inferiori ad superius negativè. Sicut & in sequentibus, in quibus instatur: *Deus potuit non esse homo: ergo potuit non esse. Deus potuit non esse creans: ergo potuit non esse. Deum creare, est aliquod prędicatum divinum; at Deum creare, potuit non esse : ergo.* Teneret ergo discursus ille, si sic inferret : *Ergo potuit aliquod prædicatum divinum non esse dans.*

495 Ex dictis colliges. 1. Sententiam Illust. Godoy asserentis, *terminationem ad creaturas, esse defectibilem in ratione terminationis*, coincidere cum nostra, si intelligat, esse defectibilem *activè*, seu *in ratione dandi esse*; secùs si in ratione habendi esse. *Secundò*, plures Thomistas nullam agnos-

agnoſcentes defectibilitatem, niſi ex parte connotati, verum dicere, ſi de paſsiva defectibilitate loquantur; ſecùs ſi de activa; hæc enim competit volitioni ipſi divinę, antequàm intelligatur paſsiva creaturæ defectibilitas. *Colliges* 3. volitionem liberam Dei, explicari non poſſe adæquatè, abſque aliqua cauſalitate; non quidèm executivâ, quæ dat eſſe in tempore creaturis, ſed intentivâ, quâ nempè Deus ab æterno intendit, & apud ſe decernit, dare eſſe creaturis.

496 Quartò, volitionem inefficacem, ſive conditionatam, conſtituendam eſſe per attingentiam objecti inadæquati, dantem illi eſſe inefficaciter, ſeu ſub conditione. *Colliges* 5. quòd complacentia libera Dei erga creaturas, cùm non ſit in ſe formaliter libera, ſed velùt in cauſa, in amore ipſo efficaci, & qui dat rei bonitatem (Deus ſiquidèm non poteſt non complacêre in bonitate ſemèl exiſtente;) explicanda etiam eſt per defectibilitatem in ratione dandi eſſe, non quidèm formaliter, ſed præſuppoſitivè. *Colliges* 6. puram omiſsionem liberam, ſive ſuſpenſionem ab omni actu (ſi datur) conſtituendam eſſe ad modum volitionis, cui æquivalet: Stabit ergo in interpretativa attingentia creaturarum, nolendo eſſe illarum; quę erit defectibilis in ſuſpendendo, ſive interpretativè negando, eſſe creaturę.

497 Tandèm colliges, quòd cùm volitio Dei, plenè & adæquatè intelligatur libera ante rei futuritionem; hæc cauſalis eſt omninò falſa, *Deus libere vult creaturas, quia illę ſunt futuræ*. Unde, juxta noſtram ſententiam, vitatur penitùs circulus ille, quem RR. vix effugiunt, & quem planè inevitabilem reputavit Vazquez, videlicèt: *Creaturæ ſunt futuræ, quia Deus libere vult illas: Deus libere vult creaturas, quia illæ ſunt futuræ.*

Pro coronide ſubjungere placet verba ſapientiſsimi Ferrar. 1. contra Gent. cap. 83. ad myſterium libertatis divinæ explicandum, valdè accomodata: *Voluntas noſtra* (inquit) *& eſt potentia ad utrumlibet ſe habens, & eſt in potentia ad utrumlibet: Voluntas autem divina, eſt quidèm potentia ad utrumlibet ſe habens, quia ad rationem hujuſmodi potentiæ, ſufficit non neceſſaria habitudo ad utrunque oppoſitorum; ſed non eſt in poten-*

tia ad utrumlibet respectu causatorum, ut hîc dicitur: Quia ad hujusmodi esse in potentia, requiritur, ut non sit actu respectu alicujus oppositorum; quod divinę voluntati non convenit. Et hæc (subdit) *sunt valdè notanda, quia ad multa deserviunt.*

DISPUTATIO III.

De efficacia & immutabilitate voluntatis divinæ.

DUBIUM I.

Utrum in Deo admittenda sit formaliter voluntas inefficax, antecedens, & nunquàm implenda?

498 CONclusio est affirmativa, & ferè communis inter Thomistas & Jesuitas, contra quosdam antiquos quibus adhęrent Bañes, Navarrete, Zumel, aliique pauci. Et est expressa D. Thomæ hîc a. 6. ad 1. & alibi. Probatur: *tum*, quia nullum sequitur absurdum, ex quo in sensu proprio & formali accipiantur plura Scripturæ loca, quibus dicitur, Deum velle omnium hominum salutem, etiam eorum qui illam consecuturi non sunt; ut illud 1. ad Tim. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri, &c.* Illud 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Et id genus plura: ergo.

Tùm, quia tota ratio, propter quam voluntas hæc inefficax non impletur, est ipsa divina voluntas efficax, oppositum decernens: nunquàm ergo recedit homo à voluntate Dei, aut illam vincit; sed semper est verum, quòd *voluntas Dei semper impletur. Peccans* (inquit D. Th. hîc) *relabitur in aliam providentiam, quanvis effugiat voluntatem Dei generalem.* Profectò hęc consequentia est nulla, ab inferiori ad superius negativè: *Non impletur voluntas Dei inefficax: ergo non impletur*

tur voluntas Dei: ergo nullum sequitur absurdum,&c. *Tum*, quia Patres, præsertim Chrysost. Hieron. Ambr. August.& D.Thomas,sic exponunt præfata loca. *Tandem*,quia peccatores faciunt contra Dei voluntatem, ut testantur Scripturæ & PP. datur ergo voluntas cui re ipsâ homines contradicunt,& contra quam in re operantur, quę,cùm suum non consequatur effectum, inefficax sit, necesse est.

499 Nota, hanc voluntatem non conditionatam, sed absolutam, esse, cùm absolutè & absque conditione exprimatur in Scriptura;de se tamen,suum effectum non inferre, nisi cum alia voluntate efficaci de eodem ponendo,conjungatur, quidquid RR. dicant, ut suam stabiliant scientiam mediam. Potest nihilominùs hęc voluntas antecedens, dici *conditionata*, juxta D.Th. in 1.d.46. q.1.a.1. ad 2. non quia Deus illâ velit formaliter sub conditione salutem omnium v.g. sed quia volens inefficaciter illam, consideratam secundùm se; îndicat,se illam efficaciter voliturum,si alię non adessent circunstantiæ, quibus attentis, vult efficaciter aliquos à regno excludere. Vide M. Bolivar hîc dub.5.§.4.n.44. Et bene nota, Deum non semper velle voluntate consequenti oppositum ejus, quod vult voluntate antecedenti; utrâque enim voluntate vult,prædestinatum salvari.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

500 Opp. 1. Augustinum semper explicare adductum Apostoli testim. de voluntate efficaci, sumendo ly *omnes*, vel per distributionem accomodam,ut sensus sit,*Velle Deum salvos fieri omnes eos, qui salvi fiunt*, ita, ut nullus fiat salvus, nisi quem Deus vult salvum fieri: Vel per distributionem incompletam, scilicèt, pro generibus singulorum, ut sensus sit, *Deus ex omni statu & differentia hominum, vult aliquos salvos fieri*, ut videre est apud D.Th. in præsenti. *Præterea*: D. Prosper lib.2.de vocatione Gentium,cap.25.& D.Th.super locum Pauli, explicant illud de voluntate signi, terminatâ ad auxilia sufficientia,præcepta,& consilia;quia scilicèt,omnibus proponit Deus salutis præcepta, consilia,& remedia: ergo non intelligitur, juxta illos, de voluntate beneplaciti inefficaci,terminatâ ad ipsam omnium salutem in se.

501 R. ad 1. N. assumptum: licèt enim Augustinus exponat illud Apost. de voluntate efficaci, dùm arguit contra Pelagianos, nullum agnoscentes discrimen inter Reprobos & Prædestinatos, ex parte voluntatis divinæ; alibi tamen, interpretatur illud de voluntate inefficaci, ad omnium salutem in se terminatâ, ut videre est ad articulos sibi falsò impositos. *Ad Prosperum* similiter R. collegisse ibi voluntatem terminatam ad omnium salutem, ex voluntate conferendi auxilia sufficientia; at non docuisse, solùm dari voluntatem terminatam ad media, & non ad salutem in se ipsa; hanc enim agnoscit lib. 2. de conversione Gent. cap. 18. *Ad D. Th.* dicendum, subjungere ibidèm expositionem Damasceni, quam hîc retulit. Datur ergo in Deo, juxta laudatos PP. & voluntas *signi*, & voluntas *beneplaciti*, erga salutem omnium: sicut in creatura dicitur ratio entis intrinsecè, & extrinsecè. Unde omnia cônsonant. Ut aliis objectionibus occurras, scito, voluntatem illam beneplaciti inefficacem, terminatam ad salutem omnium hominum, reddere istam inefficaciter & imperfectè futuram, non autem efficaciter, perfectè, completè, consequenter.

DUBIUM II.

Utrum voluntas divina sit immutabilis, & an id efficaciter convincat ratio D. Thomę?

502 COnclusio est affirm. & quoàd 1. p. constat ex illo Num. 25. *Non est Deus:: ut filius hominis, ut mutetur.* Prov. 19. *Multę cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Psal. 32. *Consilium autem Domini in æternum manet, cogitationes cordis ejus, in generationem & generationem*, & innumeris aliis. Firmatur præterea omnium PP. consensu, & ratione D. Thomæ. *Quoàd* 2. autem prob. proponendo rationem S. Doct. quę est hujusmodi: Voluntas mutatur cùm incipit velle quod priùs nô volebat, vel cùm definit velle quod volebat. Quod quidèm accidit, vel quia cognoscitur bonũ de novo; vel ex mutatione appe-

ten-

tentis, cùm aliquid incipit ei esse bonum, quod priùs non erat, ut adveniente frigore, ignis; sed in Deo nulla talis potest esse mutatio, quia tàm ejus substantia, quàm scientia, est immutabilis, ut probatum manet: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

503 Opp. 1. contra 1. p. conclusionis: Volitio libera Petri, v.g. est spontanea tendentia sub expressione dantis, ut diximus à n. 486. ergo ex quo de novo Deo adveniret, Petro daret esse, non Deo: Petrus ergo mutaretur, non Deus. *Præterea*: Deus ab æterno habens liberam volitionem erga Petrum, nihil ab æterno habet, quod non habuisset, etiamsi illâ caruisset. *Nihil* demùm Deo ab æterno defuisset, si talem volitionem non habuisset: ergo idem dicendum, si illam de novo haberet, vel illâ careret in tempore: ergo. *Negatur* conseq. volitio enim adveniens Deo in tempore, cùm temporalis esset, non posset cum illo realiter identificari; aliquod ergo esse novum ei adferret, & consequenter realiter mutaretur: nec per illam se haberet in ratione dantis esse præcisè, cùm novũ esse per illam acciperet. Oppositũ cõtingit ab æterno. Et per hæc patet ad alia.

504 Opp. 2. Si decretum non posset incipere & desinere in tempore, non esset Deo liberum; Deus enim nequit esse liber in faciendo impossibile. Nec duratio decreti in suo esse, esset libera, cùm non posset aliter se habere, etenim non durare, esset desinere; quod impossibile pronuntiamus. *Præterea*: Decretum de creando Adam v.g. nunc in Deo non est; tum, quia, creatio Adæ nunc est impossibilis; tum, quia in vi illius redderetur Adam futurus; quod pariter impossibile est: ergo decretum non modò desinere potest, se de facto dẽsinit.

R. Deum non esse liberum in eo quòd decretum incipiat, sed in producendo illud; non quidèm dando illi esse quod incipiat, sed quod sine inceptione accipiat ab æterno: sicut esset liber in dando esse creaturæ ab æterno, absque inceptione. Duratio autem decreti libera est, sicut & esse; Deus enim verè potuit non dare esse decreto: potuit ergo istud non durare.

Ad

Ad 2. N. ant. Nec propterea tale decretum, nunc existens, versatur erga impossibile; non enim decernit creationem Adæ, nunc faciendam, sed tempore quò de facto cõntigit. Nec per illud redditur futurus Adam respectivè ad hoc nunc, sed comparativè ad tempus quò nondùm erat creatus.

505 Opp. 3. & potest esse replica contra solutionem secundi: Ad libertatem decreti, requititur potentia ad esse, & non esse illius; at hæc repugnat respectu decreti æterni, & Deo coëxistentis, in quocunque enim instanti est Deus, esset & decretum: ergo decretum nequit esse æternum. *R.* quòd licèt decretum æternum, existat in omni duratione & instanti reali; pro aliquo tamen priori intelligitur Deus existens, & pro illo priori potens ad non esse decreti; quod ad libertatem sufficere, vel in creaturis, constat in libertate Angeli in primo instanti suæ creationis.

506 Opp. 4. Actus quò Deus odiò habet peccatorem, est liber; at incipit dum homo incipit in tempore esse peccator, & cessat dùm convertitur, cùm tunc à Deo ametur: ergo. Profectò, D. Petrus, sicut tempore negationis Deo fuit exosus, ita tempore pœnitentiæ factus est ei amicus, & amicabiliter dilectus. *R.* N. min. actus enim quò Deus odiò habet peccatorem, æternus est. Nec homo incipit esse peccator respectu Dei, sed solùm respectu temporalium. Nec tale odium cessat, dùm homo convertitur; sed manet sub ea ratione, & pro eo tempore, quò fuit sub peccato.

Unde D. Petrus, & odium, & amorem divinum, terminat; odium quidèm, quatenùs ejus peccatum est præsens in æternitate Deo, cui nunc displicet; non pro hoc tempore, sed pro eo, quò præsens est Deo sub peccato: amorem autem, quatenùs præsens etiam est Deo, ut gratiâ ornatus. Absolutè tamen est verum, quòd est ei amicus, & falsum est absolutè, quòd est ei inimicus; propositio enim, cujus verbum de præsenti importatur, importat tẽpus in quo ipsa profertur; unde hæc propositio, *Petrus est amicus Deo*, per ly *est*, denotat, quòd respectivè ad hoc tempus, est illi amicus; quòd verum est. Et benè nota, hęc verba, *amo*, *volo*, & similia, esse appella-

ti-

tiva reſpectu termini poſt ſe reperti; unde cùm dicitur, *Deus amat peccatorem*, ſenſus eſt, *Deus amat peccatorem, quà peccatorem*: unde falſa ſemper eſt, & contradictoria, vera.

507 Opp. deindè contra 2.p. concluſ. *Primò* cum Patre Valentia: Voluntas mutari poteſt, manente eâdem diſpoſitione ſubjecti & conditione objecti, propter ſolam arbitrii libertatem, ut experientia docet. *Præterea*: ex Vazquez: Tum, quia cùm hac eadem diſpoſitione & cognitione quâ voluit Deus creare mundum, v.g. potuit ab æterno nolle illum creare: ergo & aliam habere volitionem ab æterno: ergo & in tempore. *Tum* etiam, quia diſpoſitio ſubjecti, & cognitio objecti liberi, ſunt de ſe indifferentes ut conjungantur cum volitione, aut nolitione illius, cùm ſe teneant ex parte actûs primi ad actum: ergo neutra debet variari, ut varietur voluntas de volente in nolentem.

Reſp. ad 1. manente eâdem ſubjecti diſpoſitione & objecti cognitione, poſſe quidèm voluntatem mutari, ſed leviter, & imprudenter: voluntati ergo divinæ, levitatis & imprudentiæ incapaci, repugnat prorsùs ſic mutari; ſecùs noſtræ. *Ad* 2. N. 2. conſeq. Quia ſi habitam ab æterno volitionem, eſſet in tempore mutaturus in nolitionem; deberet variari ſcientia, vel diſpoſitio ſubjecti, propter rationem dictam: At ſi ab æterno habuiſſet nolitionem mundi, cùm non præceſsiſſet volitio illi contraria, primò fuiſſet motus ex hac diſpoſitione & ſcientia ad illam nolitionem: unde non oportet, aliquid novum in ſcientia vel diſpoſitione reperiri. *Ad* 3. N. conſeq. Semèl enim quòd voluntas ſe conjungat cũ actu, potiùs quàm cum carentia illius; diſpoſitio ſubjecti, & objecti cognitio (tametſi indifferentes ex ſe) nequeunt voluntatem, in carentiam, potiùs quàm in actum, inducere, niſi aliquam patiantur mutationem, modò voluntas prudenter & rationabiliter operetur.

508 Opp. præterea ad idem: Ut voluntas moveatur de novo, ex nova objecti convenientia; debet ferri in objectum propter aliquam ſui convenientiam, ut vel ipſe D. Th. hîc docere videtur; at voluntas divina non fertur in ob-

objectum propter,&c. ergo, ut de novo feratur, non debet objectum de novo esse conveniens. *R.* min. esse veram, rebus ut nunc & juxta veritatem; secùs in hypothesi repugnante, quòd mutabilis esset divina volnntas: tunc enim, deberet ferri in objectum propter aliquam sui convenientiam; posse enim mutari, non aliter contingit. Cùm ergo hoc sit impossibile,& impossibile fit, posse mutari. Et hæc est mens S. Doctoris, ut consideranti patebit.

509 Opp. tandèm: Cùm enim principia debeant esse notiora conclusione, ex invariabilitate cognitionis divinæ, non rectè infertur immutabilitas voluntatis illius; èadem enim currit de utrâque difficultas, cognitio siquidèm regulans volitionem divinam,& dat esse objecto creato per modum mensuræ,& libera est, sicut ipsa volitio. *R.* rectè procedere D. Th. *tum*, quia etsi èadem esset de utrâque difficultas: ex invariabilitate nihilominuùs divinæ cognitionis, suprà q. 14. demonstrata, rectè hîc immutabilitatem voluntatis ostenderet. *Tum*, quia cognitio illa regulans voluntatem, cùm omne exercitium liberum antecedat; nec dat esse objecto, nec libera est, sed necessaria: unde non est èadem de utrâque difficultas, sed certior & notior est invariabilitas cognitionis illius, quàm immutabilitas voluntatis.

DUBIUM III.

Utrum decreta prædiffinitiva ab intrinseco efficacia circa actus liberos creatos sint de mente Divi Thomæ?

510 Conclusio est affirmativa, quam omnes Thomistæ acerrimè tuentur. Ante cujus ostensionem supponendum est, decretum prædiffinitivum ab intrinseco efficax, vocari à Theologis, actum divinæ voluntatis, quô Deus vult & decernit, aliquid à parte rei fieri, non quasi desiderando, aut inefficaciter volendo; sed efficaciter & simpliciter statuendo, illud esse faciendum; ita ut in vi hujus voluntatis, reddatur effectus verè & simpliciter futu-

rus,

rus, nullô habitô reſpectu ad aliquid extrinſecum, ex cujus determinatione, aut conſenſu, voluntas illa hauriat efficaciam; ſed ex virtute illius, diſponantur & ordinentur media, ſive cauſæ, quibus producendus eſt effectus.

Decretum autem de ſe indifferens, ſive ab extrinſeco efficax, vocari voluntatem, quâ Deus vult aliquid fieri, non ſimpliciter decernendo, illud eſſe faciendum; ſed quaſi deſiderando & conſulendo, ita, ut in vi hujus voluntatis, non reddatur effectus ſimpliciter futurus, ſed dependeat ejus futuritio ex determinatione voluntatis creatæ, quàm ſcilicèt Deus conſulat, antequàm abſolutè & ſimpliciter decernat effectum: unde efficacia & infallibilitas hujus voluntatis divinę, pendet à conſenſu voluntatis creatæ, ita, ut ſi iſta conſentire voluerit, efficax ſit; ſin autem, maneat inefficax. *Supponimus* prætereà, Deum decretô ab intrinſeco efficaci velle omnes effectus cauſę naturales & neceſſariæ, ut arborem germinare, ſolem illuminare, &c. de quo nullus ambigit.

511 Probatur jam concluſio, exhibendo aliqua teſtimonia, quibus decreta ab intrinſeco efficacia, adeò apertè tradit, & juxta invictè propugnat S. Doct. ut de illius mente, niſi ſpontè quis velit, dubitare non poſsit. Primùm, hîc ar.8.in corp.ait: *Cùm voluntas Dei ſit efficaciſsima; non ſolùm ſequitur, quòd fiant ea quæ Deus vult fieri; ſed quòd eô modô fiant, quô Deus vult fieri.* Profectò voluntas *efficaciſsima*, ſummô gaudet efficaciæ gradu: non ergo efficaciam ab extrinſeco (quæ minima eſt) ſed ab intrinſeco talem, aſſerit D.Th.voluntati divinæ. *Prętereà*: Si ex efficacia divinæ voluntatis ſequitur effectus juxta modum quô ipſa divina voluntas conſtituit, nempè, *neceſſariò*, ſi vult fieri *neceſſariò*; & *liberè*, ſi vult fieri *liberè*; neceſſe eſt, quòd efficacia divinæ voluntatis antecedat, tàm actum, quàm ejus libertatem, utpotè ad illam ſequuntur iſta: efficacia igitur divinæ voluntatis intelligitur conſtituta, antequàm intelligatur actus liber: ergo divina voluntas non habet à voluntate creata, ſeu ab ejus actu, efficaciam.

512 Idem, & eiſdem ferè verbis, docet q.23. de veri-

ta-

tate, a.5. dicens: *Voluntas divina est agens fortissimum, unde oportet, ejus effectum ei omnibus modis assimilari, ut non solùm fiat id, quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundùm speciem; sed ut fiat eô modô, quô Deus vult illud fieri, ut necessariò, vel contingenter.*

Præterea in 1. ad Anibald. d.47.q.1.a.4. idem ingeminat per hæc verba: *Voluntate Dei, non solùm res in esse producuntur; sed etiam rebus producendis modum, quô producantur, prædeterminavit: Unde, cùm voluntas Dei efficaciter impleatur; oportet, quòd res fiant, & eô modô fiant, quô voluntas divina disposuit; disposuit autem Deus, ad completionem universi, ut quædam fierent necessariò, & his præparavit causas necessarias; quædam verò ut fierent contingenter, & his præparavit causas contingentes.* Quibus apertè docet, decretum ex se & ab intrinseco efficax, esse *prædeterminativum* tàm rei, quàm modi, id est, ante omnem consensum voluntatis creatæ, determinare actum illius, & modum, nempè, quòd liber sit, vel necessarius; cujus contradictorium defendunt Adversarii. Unde nullus remanet tergiversationi locus.

513 Insuper hîc ante verba suprà laudata, stabilitâ conclusione, quòd scilicèt, *divina voluntas quibusdam voliti necessitatem imponit, non autem omnibus*; subdit: *Cujus quidem rationem aliqui assignare voluerunt ex causis mediis; quia ea quæ producit per causas necessarias, sunt necessaria; ea verò quæ producit per causas contingentes, sunt contingentia: Sed hoc non videtur sufficienter dictum, propter duo, &c.* Quibus non negat, ex causis intermediis aliquale oriri discrimen inter effectus contingentes, & necessarios; sed contendit, primam radicem rationemque discriminis, reducendam esse ad divinam voluntatem: ergo apertè reprobat sententiam RR.

514 Postremò, corpus art. sic absolvit: *Non igitur* (inquit) *propterea effectus voliti à Deo, eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes; sed propterea, quia Deus voluit eos contingenter evenire, contingentes causas ad eos præparavit.* Quibus decreta inefficacia evidenter explodit, & ab intrinseco efficacia apertè propugnat. *Primum* sic ostenditur: Illa decreta talis sunt naturæ, quòd ratio, cur effectus liberè ponitur,

nitur, reducitur ad causam mediam, nempè, voluntatem creatam, à qua decretum haurit efficaciam; sed hujus contradictorium affirmat S. Doct. dicens: *Non igitur propterea, &c.* ergo. *Secundum* autem sic convincitur: Decreta prædiffinitiva, ab intrinseco effficácia, sunt ea, quę, ante consensum voluntatis creatæ, definiunt & determinant actum illius; ex quo, efficacia præparatur & disponitur in causis mediis, à quibus actus est eliciendus; sed hoc expressè docet dicens: *Sed propterea, quia Deus voluit, &c.* ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

515 Opp. 1. quòd in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. qa. 2. ad 1. ait S. Doct. *Potentia rationalis se habet ad oppositа in his quæ ei subsunt; & hęc, sunt illa quæ per ipsam determinantur; non autem potest in oppositum illorum quæ sunt ab alio determinata: & ideò voluntas non potest in oppositum ejus ad quod, ex divina impressione, determinatur*: ergo voluntas non potest in oppositum ejus quod à divina voluntate efficaci & prædeterminativa fuit determinatum: ergo hæc libertatem evertit juxta D. Thomam.

N. conseq. quæ inferri nequit ab eo qui legerit D. Th. ibi enim inquirit: *An voluntas creata possit à ratione communi boni recedere, & appetere miseriam?* Proponit autem pro parte affirmativa hoc argumentum: *Voluntas creata se habet ad utrũlibet, utpote libera: ergo potest beatitudinem, & miseriam amare.* Cui occurrit verbis nobis objectis. Loquitur ergo in illis de naturali inclinatione ad bonum, quę per modum proprietatis imprimitur à Deo voluntati creatę. Duplex est ergo determinatio: alia est naturalis inclinatio, per modũ propietatis impressa à Deo volũtati, de qua ibi est sermo; alia est decretum prædiffinitivũ, & præmotio ab illo descédens, indita voluntati per modum applicationis. Porrò, voluntaté posse in oppositum illorum quæ à Dèo sunt determinata hâc secundâ determinatione; perpetuò docet D. Th. & nos cum ipso.

516 Opp. 2. S. Doctorem sæpè affirmare, *Voluntatem creatam se ipsam determinare, & à nullo principio exteriori determinationem habere*: ergo. R. nunquàm S. Doct. asserere, *voluntatem creatam, à Deo seu causa prima, non determinari.*

In

In locis autem quæ in oppositum adduci solent à RR. loquitur de voluntate creata, vel, ut contraposita agenti naturali (cujus actus, etsi sit ab illo, determinatio tamen ad actum, est à dante naturam agenti;) voluntas autem se ipsam determinat, quanvis determinata à Deo, ut prima causa. Vel ad differentiam aliarum potentiarum, organis affixarum; quæ *coguntur ad aliquem actum per immutationem organorum, sine quibus in actum exire non possunt*, ut loquitur S.Doct. in 2.d.30.q.1.a.2. & alibi: voluntas autem non ab objecto, sed à se ipsa determinatur.

517 Opp. tandèm, quòd 3.p.q.1.a.3.ad 4.ait S.Doct. *Prædestinatio supponit præscientiam futurorum*: ergo decretum prædestinativum non est ab intrinseco efficax; & consequenter nullum erit hujusmodi, cùm inter omnia, illud videatur efficacius. *Præterea* q.12. de verit. a.10. docere videtur, *actiones liberas causæ secundæ, esse præscitas à Deo, non autem prædestinatas*, ait enim: *Quædam verò explentur operatione causarum aliarum, sive naturalium: & hæc, inquantùm per alias causas explentur, non sunt prædestinata; sunt autem præscita*: ergo apertè favet scientiæ mediæ, & decreta ab intrinseco efficacia rejicit. *Demùm* 3.p.q.46.a.1.ait: *Quòd necessarium ex causa exteriori, si sit efficiens seu movens, causat necessitatem coactionis*: ergo cùm decretũ ab intrinseco efficax, sit causa exterior & efficiens, seu movens, necessitatem coactionis inducit.

518 R. ad 1. Prædestinationem Christi (de qua ibi est sermo) supponere præscientiam futurorum attinentium ad aliam providentiam anteriorem, scilicèt, rerum naturalium; non autem futurorum attinentium ad ipsam prædestinationem, eorum scilicèt, quę futura sunt ex vi prędestinationis; hæc enim non videntur futura nisi ex vi decreti prędestinativi & electivi, quod efficax est, & prædiffinitivum. Patet ex contextu. Vide Cajet. ibi. *Ad* 2. dicendum, quòd cùm loquatur etiam de effectibus causarum omninò necessariarum, erga quos versatur Deus decretis prædiffinitivis, juxta omnes; ab omnibus solvi debet. Porrò, cùm scientia media non attingat effectus causæ naturalis,

præs-

præscientia illa, de qua loquitur D.Th. nequit esse scientia media. Retorqueatur igitur argumentum in opponentes,& dicatur ad illud, S.Doctorem sumere ibi *prædestinationem* strictissimè, pro ordinatione scilicèt eorum,quę à solo Deo fiunt, ut ipse S.Doct. explicat. Unde in hoc sensu, non dicuntur *prædestinari* à Deo, sed *præsciri*, ea quæ facienda sunt interventû causarum secundarum; quæ tamen *prædestinari* dicuntur, sumptâ *prædestinatione* in communiori sensu, pro decreto scilicèt efficaci, directivô actionis creaturæ. *Ad ult.* R. loqui de causa exteriori inferenti violentiam, quę necessitatem coactionis inducit;subjungit enim, *ut cùm aliquis non potest ire, propter violentiam detinentis ipsum.* Imò in eo art. apertè nobis favet, ut legenti constabit.

DUBIUM IV.

Utrum talia decreta sint de mente Scripturarum, & Ss. Patrum?

519 COnclusio est affirm. & prob. quoàd 1.p. Nam penè innumera, & juxta apertissima, sunt Scripturę testimonia, quibus intrinseca efficacia divinæ voluntatis commendatur,ut illud Esther 3. *Nō est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israël.* Illud Isaiæ 14. *Dominus exercituum decrevit,& quis poterit infirmare?* Cap.46. *Consilium meum stabit, & voluntas mea fiet.* Cap.47. *Non resistet mihi homo.* Rom.9. *Voluntati ejus quis resistet?*

Nec dicas, non posse quidèm resisti decretis divinis; at, non quia ex se efficacia sint, sed quia talia sunt ex creaturæ determinatione, quę, per scientiam mediam, visa est futura. *Hæc* enim solutio repugnare videtur litteræ, quæ, totam rationem non resistendi,ipsi divinæ voluntati asserit. *Prętereà*, quia juxta solutionem, verificari ad summum posset, quòd *non est, qui velit resistere voluntati Dei*; non autem, quòd *non est, qui possit*: si enim voluntas creata resistere non potest decreto divino, quia ipsa jam se determinavit ad eam partem, quam Deus postmodùm approbat suô decretô; nunquàm veri-

verificabitur, quòd voluntas creata *non posiit*, sed quòd nunquàm *volet* resistere, siquidèm potuit ad oppositum se determinare, licèt ex quo jam determinata sit ad istud extremum, non sit volitura oppositum. Profectò, similem efficaciam posset homo erga voluntatem alterius adipisci, explorando scilicèt priùs, quid ille voliturus sit, & posteà illud volendo.

520 Prob.deindè concl. quoàd 2.p. Et primùm ex illo Dionysii cap.5. de divin. nomin. juxta translationem relatam à D.Thoma: *Exemplaria autem dicimus esse in Deo, rationes subsistentificas, quas Theologia* PRÆDIFFINITIONES *vocat, & divinas & bonas voluntates, existentium* PRÆDETERMINATIVAS, *& effectivas, secundùm quas, substantialis essentia omnia* PRÆDIFFINIVIT, *&* PRÆDETERMINAVIT. Quæ verba apertiora sunt, quàm ut aliquâ egeant ponderatione. Ex illis comperias, PRÆDETERMINATIONIS nomen, in ipsis Ecclesiæ primordiis usurpatum; ut hinc videas, quò jure, à Magistro Bañes inventum, nonnulli jactent. Porrò de scriptorum Magni Diony. firmitate, multa libens dicerem, si hujus esset loci, aut propositum pateretur institutum. De illa dubitare placuit Lutheranis, & eorum præcursori Erasmo, placuit & Vallæ, aliisque hujus farinæ Sciolis & Aristarchis. Viris autem doctis, & Catholicis nihil dubitantibus, ut testatur Bellarminus in Dionysio. At post tempora Bellarmini, non defuerunt Viri profundissimæ eruditionis, nulliusque hæreseos notâ respersi (quos adducit in quadam Dissertatione Præclarissimus & Excellentiss. Marchio Agropolitanus, Hispanicæ Nobilitatis decus & Oraculum) qui opera Dionysio atributa, illius esse apertè negarunt. Sed eorum molimina, cùm in Antiquorum silentio unicè nitantur, funditùs corruunt ex his quæ adducit Abraham Echellensis, Maronita eruditissimus, linguarumque Orientalium peritiâ insignis, in quadam epistola ad Joan. Morinum: testatur enim, Joannem Episcopum Darensem Syrum scripsisse quartô sæculô Commentarios in utramque Diony. Areop. Hierarchiam. Isaachum præterea Syrum, S.Ephremi Discipulum, qui floruit sæculô 3. ad 4. vergente, scripsisse libros

de

de Angelis, in quibus testimoniò Areopagitę passim utitur. Subditque Echellensis, rem esse sibi planè compertam, cùm libros istorum syriacè scriptos sępiùs perlegerit. Vide Joan. Cabassutium in sua Not. Eccles. sæculo VII. ad ann. 689. pag. mihi 294. Vide insuper Bellar. ubi suprà. Baron. in Notis ad diem 9. Oct. Maluen. de Parad. cap. 51. versus medium, Petrum de Alloix, Societ. Jesu, in Apologia quæ habetur in Biblioth. Anissoniana Vet. PP. tom. 2. à p. 115. appositâ Operibus Diony. initiò, & Pet. Annatum in App. l. 4. a. 8. à pag. 282.

Consonant Athanasius, Chrysost. Cyrill. Alex. Theod. Leo, Hier. Damasc. Beda, Ansel. & reliqui PP. præcipuè Augustinus, ejusque discipuli Prosper, & Fulgentius, quorum verba sole clariora videri possunt apud Nostrates, maximè apud Mag. Lemos. *Notum*, fœlicis record. Clementem VIII. in unum collegisse centum viginti tria August. testimonia, quæ ad verbum transcripta extant in fronte tom. 1. Mag. Lemos; quibus, intrinsecam efficaciam divinæ voluntatis, apertissimè propugnat. Unum, aut alterum insinuare juvat.

521 Lib. de corrept. & gratia, cap. 14. ait: *Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cælo & in terra omnia quęcumque voluit fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse quod vult: quandoquidem enim de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit:: habens sine dubio humanorum cordium, quò placuerit inclinandorum, omni potentissimam potestatem.* Profectò, si divina voluntas, non à se ipsa, sed à voluntate creata haberet efficaciam; virtus ejus, *omnipotentissima potestas* appellari nullatenùs posset. Quis enim censeat, *omnipotentissimam* esse virtutem ad alienas inclinandas voluntates, ubi duntaxàt datur pedissequa quædam virtus ad sequenda alienarum placita voluntatum?

Perpende insuper, *omnipotentissimam* hanc *potestatem*, esse ad inclinanda, quò ipsi placuerit, hominum corda; at, juxta RR. potiùs sequitur Deus humanorum cordium inclinationem, & quò ista volunt inclinari, ipse subsequitur: ergo. *Præterea*: Si virtus omnipotentiæ subditur arbitrio creato

erga

erga hujus actus liberos, ut quidam illorum asserere non dubitarunt, vel, *quasi subditur*, ut alii mitiùs loquuntur; non modò *omnipotentissima*, sed nè *omnipotens* quidèm esse poterit.

522 Subdit deindè Mag. Parens: *Si ergo cùm voluerit Deus Reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas: quis alius facit, ut salubris sit correctio, & fiat in correpti corde correptio?* Nullus sanè Thomistarum significantiùs unquàm intrinsecam divinæ voluntatis efficaciam asseruit, nihilque excogitari potuit repugnantius inefficaci illi benignitati, quam divinæ voluntati tribuunt RR: juxta quorum sententiam, non habet Deus in sua potestate volitiones hominum liberas, magis quam ipsi suas; sed econtrariò, homines habent in sua potestate, nedùm suas liberas volitiones, sed etiam volitiones divinas, quibus illæ dirigendæ sunt.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

523 Opp.1. contra 1. p. concl. illud Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui: adjecit mandata & præcepta. Si volueris mandata servare, conservabunt te*: ergo actualis impletio mandatorum, non est ex decreto prædeterminante. Sic infert P. Borrull, de scientia media disp.6. sect.1. asserens, hoc testimonium semper nobis esse molestum. *R.* nihil molestiæ afferre nobis posse inductum testimonium, quò unicè traditur fidei dogma, hominem, scilicèt, esse liberi arbitrii, seque determinare ad suas operationes liberas. Negatur ergo conseq. quę, nè apparenter quidèm, probari unquàm poterit.

524 Opp.2. contra 2.p. Damascenum lib.2.de fide cap. 29. dicentem: *Quæ in potestate nostra sita sunt, non providentię, sed libero nostro arbitrio assignari debent*, & cap. 30. ubi ait: *Illud scio interest, Deum omnia quidèm præscire, sed non omnia prædiffinire; præscit enim ea etiam quæ in nostra potestate sita sunt; at non item ea prædiffinit, neque enim vitium admitti vult, neque etiam virtuti vim affert*: ergo juxta Damas. non dantur prædiffinitiones, &c. R. cum D.Th. q.23. seq. a.1. & 3. contra Gen. cap.90. in fine, *quòd Damas. nominat prædeterminationem sive prædiffinitionem, impositionem necessita-*

tatis, ſicut eſt in rebus naturalibus, quæ ſunt prædeterminatæ ad unum. Quæ verba (inquit locò ex contra Gentes) *exponenda ſunt ut intelligantur, ea quæ ſunt in nobis, divinæ determinationi non eſſe ſubjecta, quaſi ab ea neceſſitatem accipientia.* Ex quibus habetur, noſtram ſententiam eſſe D.Th. quandoquidèm ipſum teſtimonium Damaſ. imò & Eccleſiaſtici, quod nobis objiciunt RR. ſibi proponit, & ſolvit.

Poſtquàm Eccleſia declaravit, mentem Auguſt. in hac parte omninò eſſe tenendam; plura illius teſtimonia coacervarunt RR. quæ in tractatu de Auxiliis exponuntur; potiùs enim gratiam intrinſecùs adjuvantem, quàm extrinſecas divinæ voluntatis prędiffinitiones, aut prædeterminationes, concernunt.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum præfata Decreta rationibus Theologicis firmentur?

525 CONcluſio eſt affirm. & prob. 1. Nam decreta ab intrinſeco efficacia divinas perfectiones commendant maximè; ut rationes primæ cauſæ, primi liberi, ſupremi proviſoris, & ſimiles. Inferunt prętereà, potiùs quàm lædant, libertatem creaturę: ergo admittenda ſunt in Deo hujuſmodi decreta. Prob. ant. quoàd 2. p. quæ ſi vera ſit, prima innegabilis erit, citra aleam: Quantò efficaciora ſunt decreta, tantò certiùs ponendum eſt in re, id quod decernunt; at talia decreta decernunt, creaturam liberè operari, Petrum v.g. liberè amare: ergo inferunt, potiùs quàm tollant, libertatem noſtram.

Prætereà: Divina voluntas, quà perfectiſsima & univerſaliſsima cauſa eſt, non modò ſubſtantiam, ſed accidentia etiam & modos quoſcunque attingit in ſuis effectibus: ergo reſpectu actûs liberi creaturæ, non ſolùm attingere debet ſubſtantiam actûs, ſed etiam libertatem, quę, vel modus, vel accidens eſt actûs: ergo decernens v.g. quòd Petrus amet, decernere etiam debet, quòd liberè, vel neceſſariò amet; ſed

hôc ipsô quòd decernat, quòd Petrus amet liberè; quò efficacius erit decretum, eò certiùs evadet liber amor Petri: ergo quòd Deus decretô prædiffinitivô decernat actum liberum creaturæ, infert, non tollit, libertatem actûs.

En argumentum, quô perpetuò utitur Angelicus D. ad ſuam firmandam ſententiam.

526 Dices, involvere contradictionem, quòd decretum prædiffinitivum & ab intrinſeco efficax, velit, actum creaturæ liberè fieri. *Sed contra* eſt 1. Quia ratio tàm frequenter aſſumpta à D. Th. non eſt dicenda contradictionem involvere. *Secundò.* Nulla involvitur implicatio in eo, quòd decretô ab intrinſeco efficaci velit Deus effectus naturales contingentes, & ſimul eorum contingentiam; v. g. quòd arbor multos, aut paucos, ferat fructus: ergo pariter, &c. Sicut enim actus liber exigit indifferentiam in potentia; ita effectus naturales contingentes, cauſam proximam impedibilem, & contingenter productivam.

Tertiò: Actum creaturæ eſſe liberum, nullam involvit contradictionem: ergo nec quòd Deus efficaciter velit, illum eſſe liberum. Aliud profectò eſt, decernere, actum fieri liberè ſimul & neceſſariò: aliud, decernere, quòd fiat liberè. Primum manifeſtam involvit contradictionem ex parte objecti. Secundum verò, nullam, nec ex parte objecti, nec ex parte decreti, ut patet.

527 Prob. 2. ant. principale: Decretum enim antecedere & efficaciter inferre creaturæ determinationem, non evertit hujus libertatem: ergo. Prob. ant. *Tum*, quia præceptum de morte ſubeunda, impoſitum Chriſto D. determinationem voluntatis ejus anteceſſit omninò, & infallibiliter intulit, abſque ullo prorsùs libertatis illius præjudicio; nec minùs extrinſecum eſt voluntati creatæ decretum prædiffinitivum, quàm voluntati Chriſti præceptum. *Tum*, quia, ut vidimus ſuprà n. 408. Sixtus IV. an. 1476. damnavit contra Petrum del Ribo, hanc propoſitionem, *Quod ex inimpedibili per neceſſariam ſequitur conſequentiam, hoc inimpedibile eſt, & neceſſarium.*

528 Prob. 2. concl. Si Deus non prædiffiniret decretô

ab

ab intrinseco efficaci & determinatô actus liberos creaturæ; discretio credentis à non credente, non esset à voluntate divina tanquàm à causa prima, & radice; contra illud Pauli 1. Cor. 4. *Quis enim te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* ergo: Prob. ant. nam si voluntas divina non velit determinatè actum fidei (quô formaliter differt credens à non credente) sed indeterminatè velit actum fidei, vel ejus oppositum; actus fidei incipiet primò esse futurus ex determinatione voluntatis creatæ, tollentis indifferentiam voluntatis divinæ, eamque determinantis ad actum fidei, potiùs quàm ad oppositum: ergo à voluntate creata, tanquàm à prima radice, erit discretio credentis à non credente, & non à voluntate divina.

Urgetur & præcluditur recursus ad scientiam mediam: Ea est prima radix discretionis credentis à non credente, à qua primò dependet futuritio actûs fidei, vel ejus existentia; at hæc priùs dependet à voluntate creata, quàm à divina, si ista non prædiffiniat decretô ab intrinseco efficaci, &c. creatura namque primò determinat auxilia indifferentia, ipsamque voluntatem Dei indifferentem; quapropter id scientia media studiosè explorat: ergo prima radix discretionis, &c.

529 Si dicas cum P. Lesio, discretionem procedere à voluntate creata, illustrata per gratiam. *Contra est*: Licèt enim discretio oriatur simul à gratia, & voluntate creata, cùm ab utraque actus fidei procedat; inter utranque tamen resolvenda est quæstio proposita ab Apostolo. Unde, scilicèt, primò discretio hæc censenda sit oriri? à voluntate Dei, vel à voluntate creata? à gratia Dei, vel ab arbitrio creaturæ? id enim præsefert interrogatio illa, *Quis te discernit?* quâ Paulus hominem ipsum credentem confert cum Deo, & inquirit: an discretio credentis à non credente, sit potiùs à Deo, quàm ab homine; vel econtrà? At si Deus decretis & auxiliis indifferentibus velit & concurrat ad fidem credentis; hujus discretio à non credente, oritur à voluntate creata, primò determinante voluntatem divinam ejusque auxilium ad actum fidei, præ illius carentia: ergo, &c. Circa hanc rationem (quæ Achilles Tomistarum meritò reputa-

tur, & quam Augustinus frequenter oppoſuit ingratis) vide ſup. à n. 403.

530 Prob. 3.concl. evertendo decreta indifferentia, & ex ſe inefficacia, à RR. aſtructa ut tollant prædiffinitiva: Decreta illa indifferentia, quôcumque modô explicentur, indignitatem quandam præſeferre videntur, divinæ Majeſtati prorsùs repugnantem: ſiquidèm, per illa nihil re verâ determinat aut decernit Deus; nugatoria prætereà ſunt; & neceſſitatem quandam Deo imponunt. Pateant ſingula.

Si decreta illa, conditionata ſint, ut placuit Molinæ, Suarez, aliiſque; ita Deus per illa decernit: *Volo cum voluntate creata, Petri v.g. concurrere ad amorem, ſi ipſa ſe determinaverit ad amandum; & ſimiliter ad odium, ſi ipſa ſe determinaverit ad odiô habendum*; ſed hujuſmodi decretum nihil re verâ decernit, eſt nugatorium, & Deo neceſsitatem imponit: ergo. Prob.min. quoàd 1.p. nam illô decretô, æqualiter vult Deus utrunque libertatis extremum, amorem, ſcilicèt, & odium; nec unum magis quàm aliud determinat, ut conſtat ex ipſa explicatione: ergo nihil re verâ decernit, quanvis ſe habeat ad modum decernentis, formando & pronuntiando decretum. Ideòque nullus ſanæ mentis Princeps aut Rex, ita decerneret, aut ſuam explicaret voluntatem: *Volo ut ſubditi mei mecum militent, ſi ipſi voluerint; ſi verò non voluerint, omninò non militent mecum*: adeò enim indifferenter & conditionatè decernere, eſſet, nihil re verâ decernere.

531 Probatur min. quoàd 2.p. ſcilicèt, quòd ſint nugatoria. Qui vult aliquid fieri ſub conditione, ſupponente rem jam factam, vel omninò identificatâ cum exiſtentia rei; nugatoriè vult aut decernit rem fieri: Ut ſi quis dicat, *Volo quòd Petrus amet, ſi eliciat amorem*; atqui, Petrum ſe determinare ad amandum, ſupponit jam concurſum Dei, ſi iſte ſit prævius; vel idem omninò ſunt, Petrum ſe determinare ad amorem, & Deum cum illo concurrere, ſi de ſimultaneo ſit ſermo; iſte enim eſt, juxta illos, ipſa actio creaturæ, proùt à Deo: ergo nugatoriè decerneret Deus dicens: *Volo concurrere cum Petro ad amorem, ſi ipſe ſe determinaverit ad amandum.*

Di-

Dices cum P.Borrull disp.14. de scientia media, sect.4. concursum Dei, & determinationem Petri ad amandum, seu ipsum amorem, virtualiter distingui; & hoc sufficere, ut decretum illud sit serium: similis enim distincto inter hominem & rationale, sufficit, ut iste de illo seriò prædicetur. *Sed* contra est: Licèt enim distinctio virtualis sufficiat, ut sapienter dicatur, *Homo est rationalis*; non tamen, ut quis seriò dicat, *Volo, quòd, si Petrus sit homo, sit rationalis*: ergo licèt talis distinctio sufficiat, ut benè & theologicè dicatur, *Concursus Dei, est ipsa determinatio creaturæ*; non tamen, ut Deus seriò dicat, *Volo cum creatura concurrere ad amorem, si ipsa se determinaverit ad amandum.* Unde, quod ex parte conditionis importatur in decreto conditionato; nec connexum, nec identificatum, esse potest cum eo quod decernitur; sed contingens esse debet illi, & separabile, ut patet in isto: *Volo, quòd si Petrus sit Pontifex, Turcas debellet.*

532 Tertia denique p. min. prob. Illa volitio est Deo necessaria, cujus oppositum, sive contradictoriè, sive contrariè, Deo repugnat; at hujusmodi est decretum illud, *Volo concurrere cum Petro, &c.* ergo. Prob. min. Oppositum contradictoriè illius volitionis, esset ejus omissio; quæ sic explicanda foret, *Non volo concurrere cum Petro, &c.* oppositum autem contrariè, esset actus positivus nolens concurrere cum voluntate creata, etiamsi, &c. quæ explicari sic posset: *Nolo concurrere cum voluntate, etiam si ipsa se determinet*; atqui utrunque repugnat Deo, cùm voluntas Dei versari nequeat erga impossibile, & ex terminis repugnans, cujusmodi est, quòd Petrus se determinet ad amorem, & quòd Deus nolit concurrere cum illo, aut suspendat sive omittat volitionem concurrendi: ergo.

533 Si verò decreta illa sint absoluta, ut volunt Arriaga, Oviedo, & alii, ita Deus per illa decernit: *Volo, quantùm est ex me, amorem & odium Petri, ut servem illi jura suæ libertatis.* Porrò hæc decreta, èadem involvunt absurda, ac conditionata, ut considerantì patebit. Rejiciuntur prætereà specialiter sic: Nam in illis, ly *Et*, si copulativè sumatur, reddit hunc sensum: *Volo, quantùm est ex me, amorem simul & odium,*

odium, sive conjunctionem utriusque, quod est planè impossibile. Si autem sumatur divisivè, reddit hunc sensum: *Volo, quàtùm est ex me, amorem vel odium*; at hôc modô, Deo attribui nequit; nam nec odium vellet, nec amorem: ergo, &c.

534 Prob. tandèm concl. evertendo decreta illa indifferentia, seu conditionata sint, seu absoluta: Quia sequeretur, Deum eôdem prorsùs modô velle & concurrere ad actum malum, sicut ad bonum: si enim decretum illud, conditionatum sit; ita se habet ad malum: *Volo concurrere cum creatura ad malum, si ipsa se determinaverit.* Ad bonum autem sic se habet: *Volo concurrere cum creatura ad bonum, si ipsa se determinaverit.* Si verò absolutum sit; ita se habet: *Volo, quantùm est ex me, assensum Fidei salutarem, & dissensum hæreticum malum*: ergo.

Respondet P. Borrull, Deum esse authorem, & causam per se, actûs boni, secùs mali: quia licèt eôdem modô velit & concurrat ad utrunque, cômplacet tamen in bonitate actûs honesti, displicet autem in deformitate mali.

535 Sed contra est primò: Deus constituendus est author, & causa per se, actuum creaturæ, per actus effectivos, seu decreta quibus vult concurrere ad illos, & decernit eorum esse; sed inter hęc decreta nullum assignatur discrimen, quidquid sit de complacentia, & displicentia; quibus Deus non decernit actus creaturę, nec ad illos concurrit, cùm sint volitiones affectivæ, non effectivæ: ergo.

Secundò: Quia complacentia, & displicentia, non sunt actus Omnipotentiæ, sed solius voluntatis: ergo saltèm omnipotentia, proùt à voluntate virtualiter distincta, eôdem modô concurret ad bonum, & malum, & consequenter, sicut laudatur omnipotentia de actu bono, propter concursum quem prębet ad illum, erit reprehensibilis & vituperabilis de actu malo, propter similem concursum in istum; quod est aperta blasphemia. *Urgetur*: Omnipotentia, ratione concursûs quem præbet ad actum bonum, est laudabilis, nullô habitô respectu ad complacentiam, quæ residet in voluntate: ergo ratione concursûs in actum malum, erit reprehensibilis, non habitô respectu ad displicentiam, quæ

est

est actus voluntatis. *Tandèm*, displicentia illa, cùm inefficax sit (non enim tollit, quin actus malus fiat) nec salvat, Deum non esse causam per se actûs mali, nec quòd iste non sit Deo voluntarius; ut patet in projectione mercium, quæ simpliciter voluntaria est projicienti, & iste, causa per se illius, tametsi in ea inefficaciter displiceat, ingruente procellâ: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

536 Ad duo capita reducuntur omnia RR. argumenta, quibus decreta ab intrinseco efficacia evertere conantur: Alterum, ex concursu ad actum malum: alterum, ex læsione libertatis creatæ. Opp. ergo 1. ex primo capite: Deus enim per hujusmodi decreta determinatè vellet actus malos, ut furtum, homicidium, & id genus alia; at hoc videtur impium, & proscriptum, adversùs Calvinum, à Trident. sess. 6. can. 6. per hæc verba: *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere; sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeò, ut sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit*: ergo. Et sanè Amesius quidam, Calvinista, palàm affirmat, nihil aliud suos velle, quàm quod Scholastici Thomistæ docent.

537 R. dist. maj. Determinatè vellet actus malos, ut mali sunt, & secundùm deformitatem, seu malitiam, N. maj. ut actiones quædam sunt, & secundùm entitatem physicam quam habent, C. maj. & in hoc sensu neganda est min. Calvinus siquidèm dupliciter errabat, quia, & omnes actus voluntatis creatæ, necessarios asserebat; & actus malos, nedùm quoàd entitatem, sed etiam quoàd malitiam, Deo ut authori tribuebat. Utrunque errorem, à Trid. ubi suprà damnatum, aversata est semper Thomistarum Schola: nam actus voluntatis liberos esse, palàm prædicat; & inter entitatem, & deformitatem actûs mali, distinguens; illam solam Deo, istam verò soli voluntati creatæ asserit. Quid ergo nobis cum Calvino? quô jure, quâve injuriâ, hujus impietatem nobis tribuere ausi sunt nonnulli?

Nec refert Amesii Calvinistæ dictum; nihil enim apud hæ-

hæreticos frequentius, quàm inaniter gloriari, quòd suas sententias ex Scripturis Sacris hauriunt; quin inde aliquid summæ earum authoritati detrahatur. Præclarè Mag. Leo de hæreticis ait, Serm. de jejunio septimi mensis: *Humiliter irrèpunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt; quia non possent veras & simplices oves fallere, nisi Christi* (& Catholicorum) *nomine tegerent rabiem bestialem.*

538 Igitur ut argumẽtum penitùs eludas, scito, & animadverte discrimen versatum inter has locutiones: *Deus est author peccati*: *Deus concurrit ad peccatum*: *Deus est causa peccati*: *Deus determinatè vult atque decernit peccatum*; & istas: *Deus determinatè vult entitatem actûs mali, eamque decernit*: *Deus est causa actionis peccati, ut actio est*: *Deus concurrit ad materiale peccati*: *Actus peccati, inquantùm ens quoddam est, est à Deo.*

Primi generis locutiones, omnes impiæ & hæreticæ sunt. Secundi autem, omnes piæ & catholicæ, à PP. traditæ, & à D. Th. passim usurpatæ, ut videre est 1. 2. q. 79. q. 3. de malo, & in 2. dist. 37. q. 2. ubi ad 2. meminit duplicis opinionis relatæ à Mag. *Quarum una dicebat, omnes actus, inquantùm actus sunt, ex Deo esse; sed quòd, inquantùm deformitatem habent, à Deo non sunt; sed ab homine, vel diabolo: Alia dicebat, actu peccatorum, nullò modò, nec etiam inquantùm actus sunt, esse à Deo. Et hanc ad præsens, nulli vel pauci tenent, quia propinquissima est duplici errori. Primo, quia ex ea videtur sequi, quòd sunt plura principia. Secundo, quia cùm actio etiam peccati, sit ens quoddam* (& quidèm positivum) *sequeretur, quòd aliquod ens, essentiam habens, à Deo non esset; & ita Deus non esset universalis causa omnium entium; quod est contra perfectionem primi entis. Et ideò cum prima opinione dicendum est, quòd actus, inquantùm actus, à Deo est, & ut sic, non habet aliquid quod deformitatem habeat.* Hæc D. Th. Idem omninò testatur de secunda illa sententia à D. Th. relatâ, Alb. Magn. ibidem, per hæc verba: *Ferè cessit ab Aula, & à multis modernorum reputatur hæretica*; & talis profectò reputatur à D. Th. in 2. ad Anibal. d. 38. q. unicâ, a. 1. ait enim: *Dicendum, quòd hæreticum est dicere, aliquod ens, inquantùm ens, non*

esse

esse à Deo ; nec solùm Fidei contrarium est , sed etiam rationi.

539 Quæ utinàm à quibusdam RR. attentè legerentur, ut vel inde à censuris abstinerent ; testatur enim Doct. Ang. nostram sententiam, suò tempore, esse communem,& oppositam,duplici errori propinquissimam judicat,imò hęreticam pronunciat Doctorum modestissimus.Sanè ut nullus audêret , pietatem nostræ sententiæ in dubium vocare; satis esse deberet illud Ecclesię in unum congregatæ,Act.4. 27. *Convenerunt enim verè in Civitate istâ adversùs Sanctum Puerum tuum Jesum, quem unxisti , Herodes , & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & Populis Israël, facere , quę manus tua & consilium tuum decreverunt fieri.* Ex quibus sic arguitur: Deus consiliò suò decrevit fieri,quæ illi fecerunt:ergo decrevit ut illi ea facerent suò tempore: decrevit ergo clamores Judęorum, accusationes, &c. & irrisiones factas adversus D. Jesum, damnationem insuper , & crucifixionem ; at non secundùm quòd hæc,mala & deformia erant : ergo secundùm quòd actiones quædam erant physicę , & inquantùm entia. Ubi est ergo impietas , error , aut blasphemia , in nostra sententia , ex ipsis Scripturæ verbis tàm probabiliter deducta?

540 Opp. 2. ex alio capite : Positô decretô prædiffinitivô ad actum, hujus carentia redderetur implicatoria,cùm implicatorium sit , voluntatem conjungere carentiam actûs cum decreto prædiffinitivo ad actum : ergo tale decretum evertit actûs libertatem. *Præterea*:Implicatorium est,hanc copulativam esse veram : *Deus prędiffinit actum , & voluntas non elicit illum* : ergo si aliquâ illius pars vera sit, implicat alia : ergo si prima pars vera est , nempè , *Deus prædiffinit actum* , implicat secunda , scilicèt , *Voluntas non elicit illum*; sed ad id quod implicat non datur posse:ergo positô decretô prædiffinitivô, non datur posse ad non eliciendum illum. *Insuper*: Voluntatem non elicere actum prædiffinitum, esset frustrare decretum : ergo posse non elicere , esset posse frustrare illud;quod implicat. *Demùm*:Impossibili aliquô prę-requisitô ad carentiam actûs , hæc est impossibilis;at positô decretô ad actum , impossibile est unum prærequisitum ad

ca-

carentiam, nempè decretum prædiffinitivum carentiæ illius, cùm voluntas Dei sit immutabilis, nec possit duo contradictoria simul velle : ergo.

541 Ad 1. dist.ant. Positô decretô ad actum, carentia actûs redderetur implicatoria, in sensu composito, C. in sensu diviso, N. *Ad* 2. dist. consequens : Implicat alia, in sensu compositô, C. in sensu divisô, N. & concessâ subsumptâ, dist. eôdem modô consequens. *Ad* 3. N. conseq. quæ sic instatur : Voluntatem non elicere actum prævisum scientiâ mediâ, esset scientiam mediam falsificare: ergo posse non elicere actum, esset posse falsificare scientiam mediam? Similiter : Voluntatem amantem non amare, esset ponere duo contradictoria : ergo? Defectus autem est, quia arguitur à propositione admittente solùm sensum compositum, ad admittentem sensum divisum. Operatio siquidèm actualis, ponitur à parte rei cum omnibus circunstantiis ; ac proinde, cum oppositione ad decretum oppositum, & consequenter reddit istud irritum. Operatio autem, ut terminus est potentiæ, potest præscindere à circunstantiis, sicque sub aliquo statu sumi, sub quo, neque opponatur decreto, neque illud frustret. Vide infrà n. 552.

Ad 4. N. min. decretum enim prædiffinitivum carentiæ, est tunc impossibile in sensu composito, sive ex suppositione decreti oppositi; absolutè tamen, & in sensu diviso, possibile est. Tota hæc doctrina traditur à D.Th. 1.p.q.14.art. 13. his præclarissimis verbis : *Ea quæ sunt scita à Deo, oportet esse necessaria, secundùm modum quô subsunt divinæ scientiæ, ut dictum est; non autem absolutè, secundùm quòd in propriis causis considerantur; unde & hæc propositio*, Omne scitum à Deo, necessarium est esse, *Consuevit distingui; quia potest esse de re, vel de dicto: si intelligatur de re; est divisa, & falsa, & est sensus*, Omnis res quam Deus scit, est necessaria. *Vel potest intelligi de dicto, & sic est composita, & vera, & est sensus*, Hoc dictum, scitum à Deo, esse, est necessarium.

542 Celebris hæc distinctio sensûs compositi, & divisi, sive de necessitate absoluta, & conditionata, seu divisa, & composita ; ab omnibus Philosophis, Scholasticis uni-

universis, & SS.PP. sine contradictione, supponitur; imò à Conciliis honoratur, & ex divinis litteris planè colligitur, ut eruditè, pro more, ostendit Venerab.M.Lemos tom.1. tract.4. verè aureô, de sensu composito & diviso. Et quidèm quòd deducatur ex sacra Scriptura, vel indè constat, quòd plura sunt illius testimonia, in quibus verbum *potest*, modò in sensu diviso, modò in sensu composito, sumitur. Prioris generis sunt sequentia: *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Sp. S. Sine me nihil potestis facere*: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis.* In quibus apertus sensus videtur, non esse sufficientem potentiam ex nobis ipsis, sine Dei auxilio, ad faciendum, imò nec ad cogitandum, opera salutaria; nec ad invocandum nomen Domini sicut oportet.

543 Secundi generis sunt ista: Gen.24. dicunt Laban & Bathuel: *A Domino egressus est sermo, non possumus extra placitum ejus quidquam aliud loqui tecum.* Sensus est: *Dominus ita dixit ac decrevit; nec est cum eo simùl composibile, nos aliud loqui tecum*; qui est sensus compositus. Num.22. ait Balaam: *Non potero immutare verbum Dei.* Id est, *Fieri non potest, ut Deus aliquid efficaciter velit me loqui; & quòd ego aliud loquar.* Joan.12. *Non poterant credere, quia iterùm dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum*, id est, *Incompossibile erat ut crederent, qui per Isaiam prædicti fuerant non crediturí.* In sensu enim diviso, sivè absolutè, poterant credere, cùm haberent auxilium sufficiens; quod omnibus datur. Matthæi 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Id est: *Impossibile est, quòd voluntas simùl habeat charitatem* (per quam constituitur in ratione arboris bonæ) *& fructus faciat malos.* Qui planè est sensus compositus; in sensu enim diviso, sivè absolutè, potest malos fructus facere. Rom. 8. *Qui autem in carne sunt, Deo placère non possunt.* Id est: *Impossibile est, quòd sint homines operibus carnis dediti, & simùl placeant Deo.* Id genus sunt innumera alia testimonia.

544 In eodem sensu composito sumitur etiam ly *potest*, in sequentibus. Esther 13. *Non est qui tuę possit resistere voluntati.* Gen. ult. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Paralip. 20.

Nec

Nec quisquam tibi potest resistere. Job.4. *Quis enim resistere potest vultui meo?* Id est: *Impossibile est, sivè, non est compossibile*, quòd Deus efficaciter aliquid velit, & ipse homo resistat. *Philosophi*, Theologi,& PP.hanc famosam distinctionem venerantes, videantur apud Lemos. Vera autem & legitima sensûs compositi & divisi intelligentia,hæc est:

545 Sensus compositus per verbum *potest*, est, quòd sit potentia ad conjungendum id quod se tenet ex parte prædicati, cum eo quod se tenet ex parte subjecti, id est, actum cum actu, sivè actualem formam cum alia actuali forma. Sensus autem divisus,est,quòd in homine constituto sub uno actu, adhùc sit potentia ad contrarium actum.In hoc sensu, tradita fuit hæc momentosa distinctio à PP. Theologis, & Philosophis,& hoc est quod Arist. 9.metaph.text.10.& 17. & 1.de Cœlo text.119.manifestissimè tradidit docens,quòd *potentia simùl est ad utrunque oppositorum; sed non opposita simùl.* Primis enim verbis, sensum exprimit divisum; quia potentia, sive ante actum aut formam, sive post formam & actum, potentiam retinet ad aliud oppositum. In posterioribus autem, sensum compositum,modò explicatum,apertè tradit. Quia nulla potentia, sive ante omnem actum & formam,sive post formam & actum, potest utrunque oppositorum simùl conjungere; hoc enim prorsùs impossibile est: Undè talis potentia,non est, nec esse potest, in aliquo subjecto; & hoc est quod cómuniter Nostrates distinguunt cum Capreolo,*de simultate potentiæ, & potentia simultatis.* Modò quis non videat,quàm aliena sit hæc recta intelligentia laudatæ distinctionis, à perversa illa, quâ Calvinus,ut eam destrueret, explicuit?

546 Instabis nihilominùs contra præfatam distinctionem. Potentia ad dissentiendum in sensu diviso,non est potentia ad dissentiendum simpliciter,sive ad dissensum simpliciter talem: ergo si positò decretò prædifinitivò ad consensum, solùm manet in voluntate potentia ad dissensum in sensu diviso; non manet potentia ad dissensum simpliciter talem; quòd requiritur ad libertatem: ergo istam non salvat solutio data. Prob. ant. Potentia ad dissensum in sensu di-

diviſo, eſt potentia ad diſſenſum ſecundùm ſe conſideratum, ſive antecedenter & præciſivè à circunſtantiis; ſed poſſe ſic ad diſſenſum, non eſt poſſe ad diſſenſum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid talem: ergo. Prob.min. Velle enim objectum ſecundùm ſe, antecedenter, ſeu præciſivè à circunſtantiis, eſt velle ſecundùm quid, ut perpetuò docet D.Th. *Quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quòd in ſe ipſis ſunt; in ſe ipſis autem ſunt in particulari: undè ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quòd volumus illud, conſideratis omnibus circunſtantiis particularibus; quòd eſt conſequenter velle*, ut loquitur S. Dr. hîc artic. 6. ad 1. & propterea voluntas retinendi merces in mercatore, ingruente procellâ, & liberandi homicidam in Judice; velleitates quædam ſunt, non autem voluntates ſimpliciter: ergo.

547 R. N. ant. Ad prob. diſt.maj. Præciſivè à circunſtantiis objectivis, ſive ex parte objecti, N.maj. ſubjectivis, ſive ex parte actûs, C.maj. & ſic diſtinctâ min. N. conſeq. Diſſenſus enim, ad quem ponimus in voluntate potentiam in ſenſu diviſo, eſt verus & abſolutus diſſenſus, verſatus erga omnem circunſtantiam & formalitatem objectivam, cum ſola præciſione ex parte ipſius actûs, quatenùs præſcindit ab oppoſitione & relatione ad decretum prædefinitivum conſensûs. Potentia ergo ad ſic diſſentiendum, eſt potentia ad diſſenſum ſimpliciter & abſolutè talem.

548 Dices: hâc ſolutione deſtrui ea, quæ de impeccabilitate Chriſti tradere ſolent Theologi, & arguitur ſic: Potentia ad diſſentiendum præciſivè à circunſtantiis objectivis, eſt potentia ad diſſenſum ſecundùm quid talem; at potentia ad diſſentiendum in ſenſu diviſo, eſt hujuſmodi: ergo. Prob.min. Potentia reperta in Chriſto ad non moriendum, ſuppoſitô præceptô, erat ad non moriendum in ſenſu diviſo; ſed erat potentia ad non moriendum ſecundùm ſe, & præciſivè à circunſtantiis objectivis: ergo.

N.min. ad prob. N.min. quoàd 2.p. etenim *mori*, & *non mori*, proùt extrema libertatis contradictionis; ſunt *mori*, & *non mori*, ſimpliciter talia: non ergo præſcindunt à circunſtantiis objectivis eorum; ſed à ſubjectivis tantùm, id eſt, ab

acci-

accidentibus circunſtantibus ipſamet *mori* & *non mori*, quia hæc ſunt extrema libertatis, conſiderata ſecundùm ſua prædicata eſſentialia præcisè.

549 Unô verbô: Objectum, ſive extrema libertatis, prout talia, pręſcindunt à circunſtantiis; ſed objecta horum extremorum, proùt talium, à circunſtantiis nõ præſcindunt; v.g. *velle*, & *non velle*, proùt extrema libertatis contradictionis, pręſcindunt quidem à circunſtantiis ſubjectivis, id eſt, ſe tenentibus ex parte ipſius actûs volendi, & omiſsionis illius: ſunt quippè extrema libertatis, eſſentialiter & ſecundum ſe conſiderata; & conſequenter pręſcindunt ab omni accidenti & circunſtantia, afficiente ipſa. Cæterum non pręſcindunt à circunſtantiis objectivis; *velle* ſiquidèm & *nolle*, quatenùs extrema dictæ libertatis, ſunt velle & nolle, ſimpliciter talia; ac proindè reſpiciunt ſua objecta cum omnibus circunſtantiis, juxta doctrinam D. Thomę.

550 Hinc colliges, qualiter ſolvendus ſit nodus ille de libera obedientia Chriſti, cùm tamen non potuerit *non obedire*. Quia videlicèt, *non obedire*, *non adimplere*, ſicut & *non mori*, nõ ſunt extrema libertatis contradictionis, ſumpta privativè, ſic enim conſiderata, non pręſcindunt à circunſtantia prohibitionis; & conſequenter ſunt moraliter mala, ac proindè ad illa non extenditur Chriſti libertas, moraliter indefectibilis. Sed ſunt extrema libertatis contradictionis, conſiderata in ſe pręcisè, ſeu nudè, & negativè ſumpta. Et quanvis *obedire*, & *non obedire*, ſumpta ſecundùm ſe, & quoad eſſentialia, pręſcindere non poſsint à præcepto ex parte objecti, quia ſcilicèt, objectum illorum, eſt præceptum; pręſcindunt nihilominùs à præcepto, circunſtante ipſam *obedientiam* & *non obedientiam*, eſſentialiter ſumptas, aut ſecundùm ſe conſideratas, quâ ratione, ſunt extrema libertatis contradictionis: nullô quippè exiſtente, & inſtante præceptô, ſunt extrema libertatis, præceptum enim, in ſui exiſtentia, libertatem ejuſque extrema ſupponit; quia non imponitur niſi agenti libero. Sed de his fuſiùs ſuô locô.

551 Inſtabis præterea contra pręfatam diſtinctionem: Potentia ad diſſenſum in ſenſu diviſo, ſuppoſitô decretô prędiſ-

diffinitivô consensûs, non est realis, sed chimerica: ergo non sufficit ad libertatem. Prob. ant. Potentia ad terminum cujus existentia est complicatoria, non est potentia realis, sed complicatoria; at existentia dissensûs est complicatoria, suppositô decretô prædiffinitivô consensûs: ergo. *N. ant.* ad prob. dist. maj. Cujus existentia est complicatoria ex terminis, & ab intrinseco, C. ab extrinseco, & ex aliqua suppositione, N. maj. & sic dist. min. N. conseq.

552 Opp. 3. & instabis contra datam dist. Si voluntas posset dissentire in sensu diviso, suppositô decretô prædiffinitivô consensûs; posset istud frustrare; sed hoc repugnat: ergo. Prob. maj. Nam si de facto dissentiret, de facto frustraret: ergo si, &c. Tenet conseq. quia arguitur ab actu ad potentiam. *Aliter.* Si positô decretô prædiffinitivô consensûs, voluntas dissentiret, frustraret decretum; sed non potest istud frustrare: ergo. Tenet conseq. quia arguitur ab opposito consequentis ad oppositum ant. *Mirum* certè, quòd hoc argumentum frequenter opponatur, cùm ab ipsis opponentibus & ab omnibus solvi debeat. Si enim voluntas de facto consentiens, de facto non consentiret; conjungeret duo contradictoria: ergo si potest non consentire, potest conjungere duo contradictoria? Vel, si non potest conjungere duo contradictoria, non potest non consentire? *Præterea*: Si Petrus semèl prædestinatus, defacto non consequeretur gloriam; frustraret prædestinationem, ejusque certitudinem: ergo si potest non consequi gloriam, potest illam frustrare? *Insuper*: Si Antichristus, in tempore futuro de facto non peccaret; de facto falsificaretur fides divina quâ credimus futurum illius peccatum, & scientia, ac revelatio Dei circa illud: ergo si potest non peccare, possunt tria hæc falsificari? *Defectus* autem omnium, est, quia fit transitus à sensu composito ad divisum, ut dictum est n. 541. Nec arguitur ab actu ad potentiam; ad hoc enim, ità deberet argui: *Voluntas de facto frustrat decretum: ergo potest illud frustrare.* *Nec* in alia formula arguitur ab opposito consequentis; sed ab opposito propositionis, quæ consequens non erat. Ab opposito conseq. argueretur sic; *sed non frustrat*, & tunc infer-

ferretur : ergo *non dissentit* ; quod verum est.

553 Opp. 4. ad idem. Voluntas prædiffinita ad consensum, non potest ad omissionem consensûs in sensu diviso positivo , nec præcisivo : ergo. Ant. *quoàd* 1. p. prob. Omissio enim consensûs in sensu positivè diviso à prædiffinitione , est omissio consensûs sub positiva prædiffinitionis carentia; at voluntas prædiffinita ad consensum, non potest ponere carentiam consensûs sub positiva talis prædiffinitionis carentia,siquidèm non potest abjicere à se talem prædiffinitionem, ut supponimus: ergo. *Quoàd* 2.autem p. prob. ant. *Tum* , quia potestas ponendi omissionem tantùm ut præscindentem , non respicit omissionem ut determinatè possibilem, sed ut præscindentem à possibili,vel impossibili: ergo non est vera potestas. *Tum* , quia omissio consensûs, solùm est terminus potestatis , quatenùs est verè ponibilis à parte rei; sed solùm est verè ponibilis à parte rei,sub positiva carentia prædiffinitionis ad consensum: ergo.

554 N.ant. quoàd utranque p. quę re ipsâ una & eadem est: Nec enim Thomistæ, seu prisci, seu recentes , sensum divisum in re multiplicant; sed unum,suprà n.545. expositum, mirâ ac firmâ consensione tuentur ; idem quippè, tametsi non eisdem vocibus, exprimunt , ut cuilibet attentè eos legenti constabit , & planè demonstrat Illust. Montalvan in præsentia adversus D.Castell. Sanè, omnes Thomistæ unô ore asserunt , nec prædiffinitionem, nec ejus carentiam, in nostra contineri potestate ; sed unicè in potestate Dei,mediis quibus,subordinat sibi voluntatem nostram,tàm in consensu, quàm in hujus omissione:undè quod sub potestate voluntas nostrę continetur , tanquàm formalis terminus potestatis illius; est tantùm consensus , & ejus omissio, secundùm sua prædicata intrinseca & essentialia , & præcisivè à prędiffinitione , & ejus carentia. Hoc igitur , quod omnes fatentur , attendentes antiqui Thomistæ , dixerunt, *voluntatem posse ad consensum, ejusque omissionem, secundùm se & præcisivè à prædiffinitione & ab ejus carentia.*

555 Et quidèm formaliùs locuti sunt , quàm Recentes ; nam strictè loquendo , nec *homo causat actum positivè*

præ-

prædiffinitum, nec *omissionem positive imprædiffinitam*: sicut nō dicitur causare album, qui causat parietem ab alio dealbatum: nec Deus dicitur causare peccatum, quanvis propriè causet actum vitalem, pro quo peccatum supponit: verba enim *causare*, & *producere*, sunt appellativa, juxta Dialecticos, supra significatum formale termini supra quem cadunt; & concreta illa, significant de formali prædiffinitionem, & ejus carentiam, in quas voluntas minimè potest. Dixi, *strictè loquendo*; quia si non tàm significatio verbi, quàm sensus, qui communiter intenditur, attendatur; concedi potest hæc propositio, *Voluntas causat actum prædiffinitum*, id est, actū quem Deus prędiffinit: quemadmodùm in eodem sensu conceduntur communiter istæ, *Voluntas creata causat actum præceptum, actum præscitum, actum futurum*. Omnes igitur Thomistæ idem in re asserunt: & quanvis veteres formaliùs loquantur, ut ostensum est; moderni tamen expeditiùs, dum dicunt, quòd voluntas potest ponere actum positivè prædiffinitum, & omissionem positivè à prędiffinitione divisam, prædiffinitione, vel ejus carentiâ, à Deo ponendâ. His ergo præmissis.

556 Ad prob. primæ p. ant. dist. maj. Sub positiva prædiffinitionis carentia, ponenda à Deo, C. à creatura, N. & sic distinctà min. N. conseq. Solutio constat ex sæpè dictis: Potestas enim voluntatis creatæ, cùm sit subordinata; ut ponat consensum, dependet à Deo ut prædiffiniente illum; & ut illum omittat, dependet à Deo ut suspendente prædiffinitionem: quæ quidèm potestas sufficit ad libertatem secundam, Deo essentialiter subordinatam, ut sæpè diximus. *Ad* 1. prob. 2. p. dist. ant. Non respicit omissionem ut determinatè posibilem, inadæquatè, N. adæquatè subdist. secundùm quòd à se dependet, N. secundùm quòd dependet etiam à Deo, C. ant. & N. conseq. Actus enim liber, posibilis quidèm est respectu Dei & creaturę; sed ad potestatem creaturæ, sufficit quòd actus, vel ejus omisio, secundùm quòd à causis secundis dependet, sub ejus dominio contineatur; non autem requiritur, quòd etiam contineatur secundùm quòd est posibilis Deo, virtute causæ primæ, & primi Domini: cùm ergo sit posibilis Deo, quatenùs potest actum vel posi-

tivè prædiffinire, vel ſuam prædiffinitionem ab eo poſitivè ſuſpendere : hinc fit, quòd ut voluntas poſsit liberè ponere actũ;vel omiſsionẽ;non opus eſt,quòd talis actus ſit ei poſſibilis,*ut prædiffinitus*,vel omiſsio,*ut poſitivè imprędiffinita.*

557 Ad 2.diſt.maj.Eſt terminus poteſtatis,ut ponibilis à parte rei,ſecundùm omnia quæ requirit,tàm ex parte Dei, quàm creaturæ,ût ponatur,N.ſecundùm ea quæ requirit ex parte creaturę,C. & ſic diſtinctâ min. N.conſeq. Terminus enim formalis poteſtatis creaturæ,eſt id,quod ex vi talis poteſtatis ponitur:ex vi autem poteſtatis creaturę,non ponitur actus ille ſecundùm quòd à Deo dependet;unde ut creatura poſsit ponere actum, non oportet, quòd poſsit ad illum ut prędiffinitum, vel ad omiſsionem ut imprædiffinitam; ſed quòd exercitium poteſtatis ejus, connectatur cum Deo prædiffiniente actum, vel prædiffinitionem ſuſpendente.

558 Opp.5. Quando ex parte ſubjecti importatur aliqua forma intrinſeca,& ab eo inſeparabilis,locum non habet memorata diſtinctio ſensûs compoſiti, & diviſi, ut Author eſt D.Th. ſuprà q.14. a.13.ad 3. & q.2. de verit. a. 18.ad 8. ergo adaptari nequit ſaltèm voluntati prædictæ, nam prædictio eſt forma intrinſeca voluntati, & ab ea inſeparabilis. *Reſp.* D.Th. loqui de forma intrinſeca orta ex natura ſubjecti, & cum ipſo permanenter & neceſſariò, ſeu quaſi neceſſariò, conjuncta;qualis eſt nigredo reſpectu corvi, in qua ponitur exemplum. Prædictio autem, nec oritur à natura voluntatis, nec eſt forma permanens,ſed tranſiens; non enim ordinatur ad perficiendum ſubjectum,ſed ad producendum effectum.

559 Opp.tandèm : Si poſitâ prędiffinitione conſensûs, poſſet voluntas non conſentire ſecundùm ſe ; poſſet etiam non conſentire , ſeu non ponere conſenſum, ut prædiffinitum; ſed hoc eſt falſum , alioquin poſſet non conſentire in ſenſu compoſito:ergo.Prob.maj.Potens non ponere partem alicujus complexi,poteſt non ponere complexum:ſicut potens nón ponere parietẽ,poteſt non ponere parietẽ albũ; at conſenſus ſecundùm ſe , eſt pars hujus complexi, *conſenſus, ut prædiffinitus* , conſenſus enim ſecundùm ſe , dicit prædi-

ca-

cata essentialia consensûs, quæ sunt procul dubio pars illius complexi: ergo. *N. maj.* ad prob. N. min. quanvis enim prædicata essentialia consensûs, sint pars illius complexi; at *consensus secundùm se*, & sub hac præcisione, non est illius pars; nam proùt sic, dicit prędicata essentialia consensûs, non utcumquè, sed quatenùs præscindunt à prædiffinitione, & à quocumque alio prædicato illis accidentali. Quemadmodùm *natura secundùm se*, non est pars hujus cõplexi, *natura universalis*, nec hujus, *natura singularis*; quia scilicèt, *natura secundùm se*, dicit prędicata essentialia cum excluſione cujuslibet statûs accidentalis, quales sunt universalitas, & singularitas. Et instatur argumentum: Potens non ponere partem complexi, potest non ponere complexum; at consensus secundùm se, est pars hujus complexi, *consensus, ut præviſus per ſcientiam mediam*: ergo si voluntas, positâ scientiâ mediâ consensûs, potest non ponere consensum secundùm se, potest non ponere illum, ut prævisum per scientiam mediam?

560 Reliqua hujus tractatus, adeò aperta sunt in textu, ut expositione non egeant. Summatim ea indicare sufficiat. In art. 9. inquirit S. Doct. de impeccabilitate, & indefícientia voluntatis divinæ; & suppositò, quòd malum, ut malum, nullò appetitu appeti potest (contrariatur enim bono, cujus ratio est appetibile) ostendit, Deum, nè per accidens quidèm, velle malum culpæ; nam malum non appetitur per accidens, nisi bonum cui conjungitur, magis appetatur, quàm bonum quô privat; at Deus nihil magis vult, quàm suam bonitatem, cui opponitur malum culpæ, quod privat ordine ad bonum divinum: ergo. *Ostendit* deinde, Deum velle per accidens malum naturæ, vel pœnæ: vult quippè aliquod bonum magis, quàm aliud, & ita, volendo justitiam, vult pœnam; & volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi. *Tandèm* in solut. ad 3. docet, Deum, nec velle peccata fieri, nec velle peccata non fieri; sed velle permittere peccata fieri; & hoc est bonum. *In art.* 10. ostendit, Deum habere liberum arbitrium respectu illorum quæ non ex necessitate vult. De quo suprà disp. 2.

Excludit tamen à Deo liberum arbitrium, quantùm ad rationem peccandi.

561 In art. 11. resolvit, distinguendam esse in Deo voluntatem signi, à voluntate simpliciter: voluntas enim simpliciter dicta, est volitio beneplaciti, quæ in Deo est: voluntas autem signi, non est voluntas quæ sit in Deo, sed est signum voluntatis; unde metaphoricè dicitur voluntas. Signa autem voluntatis, dicuntur *voluntates divinæ*, non quia sint signa quòd Deus velit; sed quia ea, quæ in nobis solent esse signa volendi, in Deo, *divinæ voluntates* dicuntur; & sic, quia punitio in nobis est signum iræ; in Deo dicitur *ira*, ut ait S.D. hîc ad 2. & q. 23. de verit. a. 3. ad 2.

562 In 12. explicat quinque signa voluntatis divinæ. Primum est, *præceptum*, quô cognoscimus, Deum aliquid velle ut fiat. Secundum, *consilium*, quô suadet, ut melius fiat. Tertium, *probibitio*, quâ vult, nè aliquid fiat. Quartũ, *operatio*, quâ indicat, aliquid à se fieri, ut miracula, & similia. Quintum, *permissio*, quâ innuit, se non impedire nè mala fiant.

Circa ista signa, advertendum est *primò*, quòd quædam, ut *operatio*, & *permissio*, referuntur ad præsens, permissio quidèm, ad malum, operatio verò, ad bonum: Quædam autem ad futurum, ut *prohibitio* respectu mali, *præceptum* respectu *boni necessarii*, & *consilium* respectu *superabundantis boni*. Advertendum est *secundò*, quòd cùm non repugnet, aliquem diversimodè declarare, se aliquid velle (sicut inveniuntur multa nomina idem significantia;) nihil prohibet, idem subjacêre *præcepto*, *consilio*, & *operationi*.

563 Advertendum est tandèm, quòd voluntas *beneplaciti*, & *signi*, tametsi inter se differant, non tamen mutuò se excludunt, sed interdùm ûtraque versatur circa idem objectum, diversimodè consideratum: quia *sicut Deus potest significari metaphoricè, velle id, quod non vult voluntate propriè acceptâ: ità potest metaphoricè significari, velle id, quod propriè vult*, ut ait S.D. hîc ad 2. Et q. 23. de verit. à 3. ad 6. ait: *Sciendum, quòd voluntas signi, tribus modis se habet ad voluntatem beneplaciti: quædam enim est voluntas signi, quæ nunquàm incidit in idem cum voluntate beneplaciti, sicut permis-*

missio: quædam semper in idem incidit, sicut operatio: quædam verò quandoquè incidit, & quandoquè non, sicut præceptum, prohibitio, & consilium. Hactenùs de hoc Tractatu.

SYNOPSIS
DE PROVIDENTIA DEI.

564 CONSIDERATIS perfectionibus, ad intellectum & volùtatem Dei, seorsim pertinentibus; agendum supereſt de his, quæ intellectum simùl & voluntatem reſpiciunt. Cujuſmodi ſunt, providentia quidèm reſpectu omnium; prædeſtinatio verò & reprobatio, reſpectu hominum, ſpecialiter in ordine ad æternam ſalutem. De prędeſtinatione, & reprobatione, diſſeremus in ſequenti Tractatu, ubi ferè omnes controverſias, Providentiam concernentes, ſcholæ morem gerendo, diſſolvemus. Graviſsima autem illa, de concordia providentiæ cum noſtra libertate, ſatìs ſuperquè reſoluta manet in Tract. de Scientia Futurorum, & de Voluntate. Nè igitur acta, & iterùm agenda, agamus, paucis hìc Providentiæ conſiderationem abſolvemus.

565 Providentia nihil eſt aliud, juxta Boëtium communiter receptum, quàm, *Ipſa divina ratio, in ſummo omnium Principe conſtituta, quâ cuncta dirigit, diſponit, & in ſuos ordinat fines.* Scitè à nonnullo *manus oculata* appellatur, quia omnia reſpicit, & ſimùl facit; invigilat, & ſuccurrit; intuens unà & omnipotens. Meritò à providentia (inquit elegan-
„ ter quidam ex noſtris) Deo nomen impoſitum eſt; quia
„ ſola eſt veluti cæterorum attributorum compendium. In
„ ipſa ſplendet *infinitas*, dùm ad omnia ſe extendit; *immu-*
„ *ta-*

„ *tabilitas*, dùm mutat opera, non decreta; *æternitas*, nam
„ ſupra tempus eſt, cujus ordinatione perſeverat dies; *im-*
„ *menſitas*, ubiquè enim tota eſt, quæ omnibus aſsiſtit, &
„ ſingulis; *ſapientia*, nam omnia ſcit, quę omnia curat, ni-
„ hil obliviſcitur, nihil diſcit novi, ſcit præterita quæ fecit,
„ præſentia quæ producit, futura quæ decernit, videt intra
„ ſe, & extra ſe res emittit; *Omnipotentia*, poteſt enim id
„ omne quod vult. Sed quid dicam de *bonitate* & *clementia*?
„ Ejus indoles, eſt, bona facere, & in homines potiſsimum ſe
„ effundere, quæ Filium Dei incarnari compulit, Spiritum
„ Sanctum mitti, & Patrem, quem mittere non potuit, ve-
„ nire facit. Profectò, ex omnibus Dei attributis, nullum eſt,
„ vel Deo dignius, vel homini amabilius divinâ Providêtiâ.

566 Quatuor circa illam conſiderat Doct. Ang. Primò ſubjectum, an ſcilicèt, Deo conveniat? Secundò objectum, an circa omnia verſetur? Tertiò modum ejus ex parte Dei, an immediatè provideat omnibus per ſe ipſum? Quartò modum ex parte creaturarum, an imponat eis neceſsitatem, propter ſuam infallibilitatem? In articulo ergo 1. oſtendit, Deo convenire providentiam, quia convenit ei ordinare & dirigere creaturas in finem per aliqua media, eò quòd per intellectum agit in illas? ordo autem & diſpoſitio in mente gubernatoris, de rebus ſibi ſubjectis, pertinet ad providentiam, quę eſt pars prudentiæ; hoc quippè eſt providêre rebus, dirigere illas ad aliquem finem per convenientia media. Hæc veritas à nullo, niſi Epicureo, vel epicurizante, negari poteſt, ut benè ait Salvianus lib. 1. de prov. Illam ſanè, ultra Scripturarum atteſtationem, creata omnia vociferantur.

567 In ar. 2. demõſtrat, omnia divinæ providentiæ ſubjacêre, non in univerſali tantùm, ſed etiam in ſingulari; providentia enim Dei tantùm ſe extendit, quantùm ejus cauſalitas; at cauſalitas Dei ad omnia ſe extendit, & pertingit ad intimas differentias individuales: ergo & ejus providentia.

568 In 3. explicat modum providentię, ut ſe tenet ex parte Dei. Et præmittit, quòd ad providentiam duo pertinent, ſcilicèt, ratio ordinis rerum proviſarum in finem, & executio hujus ordinis, quæ, *gubernatio* dicitur. Docet igitur,

quod

quòd Deus immediatè providet omnibus, quoàd rationem ordinis ; habet siquidèm in suo intellectu rationem omnium, etiam minimorum ; & causis, quas effectibus præfecit, virtutem, ad illos producendos, dedit: ergo in sua ratione præhabet ordinem illorum effectum : ergo. Quantùm verò ad executionem hujus ordinis, sunt aliqua media divinæ providentiæ, quia inferiora gubernat per superiora; non propter defectum suæ virtutis, sed propter abundantiam suæ bonitatis, ut dignitatem causalitatis etiam creaturis communicet. Attendendum est ergo, ut monet Cajet. in hoc differre *providere*, & *gubernare* ; quòd providere, est operatio immanens, gubernare verò, transiens. Et propterea, providere non per se ipsum, ponit imperfectionem in providente; secùs gubernare per media, nisi ex ejus defectu procedat.

569 In art. 4. ostendit, divinam providentiam quibusdam rebus necessitatem imponere, non autem omnibus: Ad providentiam enim pertinet ordinare res in finem, qui, post bonitatem divinam (quæ est finis à rebus separatus) est perfectio universi ; at perfectio universi, requirit ut omnes gradus entium inveniantur in rebus: ergo quibusdam effectibus præparavit causas necessarias, ut necessariò evenirent; quibusdam verò, causas contingentes, ut evenirent contingenter, secundùm conditionem proximarum causarum. Et licèt divina providentia nunquàm frustretur; tamen, id necessariò évenit, quod sic disponit evenire : id contingenter, quòd divinę providentię ratio habet ut contingenter eveniat. Imò immobilitas ordinis divinæ providentiæ, in hoc sita est, quòd cuncta eveniant eò modò, quò ipse prôvidet, sive necessariò, sive contingenter ; undè si providet, aliqua evenire contingenter, *sequitur infallibiliter, quòd evenient contingenter, & non necessariò*, ut sępè ratiocinatur D.S. sed præcipuè 3. cont. Gen. cap. 94. loquendo de voluntate quâ Deus efficaciter vult, actum esse futurum contingenter. Hęc in summa est doctrina D. Th. in hac quæst. in vera & solida philosophia, fundata ; quæ si benè ab omnibus Theologis perpenderetur, fortè non tot essent discordiæ circa divina decreta & auxilia.

Sed

570 Sed opp.contra 1.& 2.concl.litteræ:Si esset in Deo providentia , non acciderent in Universo tot perturbationes , damna, monstra ; nec permitteret Deus justos ôpprimi, & impios prosperari : ergo. *N.sequel.* mala enim, defectus, & alia quæ in Universo apparent deformia , & fortuita ; ad perfectionem & decôrem Universi conducunt; hujus enim compago, ex bonorum malorumque permixtione, collustratur , sicut picturę venustas , ex umbræ & lucis diversorumque colorum grata commixtione & temperamento , consurgit : aut , sicut silentii interpositio , suavem reddit cantum:vel sicut antitheses,sunt locutionis ornamenta, & sermonis pulchritudini mirè inserviunt. *Ex omnibus* (inquit Aug.in Ench.c.11.)*consistit universalitatis admirabilis pulchritudo, in qua , etiam illud quod malum dicitur,benè ordinatum, & suô locô positum;eminentiùs commendat bona,ut magìs placeant , & laudabiliora sint , dùm comparantur malis.* Quod consonat trito Philosophorum dicto , *Oppositа, juxta se posita, magìs elucescunt.*

571 Inserviunt pariter Universi decôri vilia animalia, & homini permolesta, ut culices , muscæ, pulices , serpentes, &c. Pulchrè Isidorus l.1.de summo bono, c. 11. *Si radas* (inquit) *supercilium hominis ; parvam rem demis , sed totius corporis ingeris fœditatem.Ita & in universitate creaturæ est: si extremum vermiculum,naturâ malum dixeris; universæ creaturę injuriam facis.* Cùm igitur Deus sit universalis provisor totius entis ; ad ipsius providentiam pertinet, ut permittat quosdam defectus in aliquibus particularibus rebus, nè impediatur bonum universi perfectum , ut loquitur D.Th. Et sanè (ut aliis occurramus) ex rerum varietate, concordique discordia, Dei providentia tollenda non est,imò,indè invictè probatur. *Quid enim potest esse* (ait Minutius Felix respôdens suo Ethnico in Octavio) *tàm apertum , tàm confessum, tàm perspicuum, cùm oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infrà, circàque, lustraveris;quàm esse aliquod Numen præstantissimę mentis, quô omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?*

572 Ad illud de pressurâ justorum , & impiorum

prosp-

prosperitate, multa à Patribus præclarissimè dicta sunt. Mirè in his relucet divina providentia. *Electorum enim desideria* (inquit Greg.) *dum premuntur adversitate, proficiunt; sicut ignis flatu premitur, ut crescat; & unde quasi extingui cernitur, inde magis roboratur.* De illorum enim virtute dici potest, quod olim de Ecclesia dixit Hilarius: *Dum exercetur, floret; dùm opprimitur, crescit; dùm contemnitur, proficit; dùm cęditur, vincit.* Undè tribulationes justorum, signum sunt amicitiæ Dei, probantis illos sicut aurum in fornace: *Absit igitur* (ait Salvian. l. 2. de provid.) *ut hôc argumentô putemus à Deo negligi, per quod cõfidimus plùs amari.* Tribulationibus insuper monentur electi, nè viam, locô patriæ, diligant: *Via quippè est* (inquit Greg. l. 25. mor. c. 24.) *vita præsens, quâ ad patriam tendimus; & idcircò hic occultô judicio, frequenti perturbatione conterimur, nè viam pro patria diligamus.* Profectò: *Mala quæ in hoc mundo premunt, ad Deum ire compellunt*, ut idem Greg. ait. Sunt & aliæ hujus providentiæ rationes, apud PP. videndæ.

573 Prospera autem impiorum fortuna, est, juxtà PP. severissima justitiæ Dei vindicta, quæ, his qualibuscunque bonis, nonnulla eorum bona opera quadantenùs remunerat, crimina æternis suppliciis multatura. Unde Bernard. *Crudelior est omni indignatione hæc misericordia Domini, quæ parcit peccatoribus, nec corrigit per flagella.* Felicitas igitur pravorum, non incuria Dei est, sed summa justitia: *Vos decipit* (ait Minutius Felix) *quòd Deum nescientes, divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altiùs tolluntur, ut dêcidant altiùs. Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur. Dives es? sed fortunę malè creditur, & magnô viaticô, breve viæ iter, non instruitur, sed oneratur. Fascibus & purpuris gloriaris? Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgère purpurâ, mente sordescere.* Quibus cônsonat, illud Claudiani: *Jàm non ad culmina rerum injustos crevisse querar: Tolluntur in altum, ut lapsu graviori ruant.* Ex dictis colligat peccator (ut monet Greg. lib. 3. mor. c. 5.) quid in alia vita sint passuri quos reprobat; si hîc, sic cruciât quos amat: aut, quomodò ferientur, qui in die Judicii arguendi sunt; si sic eorum vita premitur, qui, ipsô Judice, laudantur.

TRA-

TRACTATUS VI.

DE PRÆDESTINATIONE, & Reprobatione.

Ad quæst. 23. 1. p. D. Th.

OMNIA quæ de investigabili Prędestinationis & Reprobationis arcano, scrutari licet & solet; quatuor disputationibus resolvemus. Primùm, existentiam & quidditatem prædestinationis meditabimur: deinde, ejus motiva & effectus: demùm, reprobationem considerabimus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De existentia & quidditate Prædestinationis.

DUBIUM I.

An, & quid sit Prædestinatio?

574 DEstinationis nomen varias habet significationes. Primùm enim sumitur pro *deliberare, statuere*, & *ordinare*; ut 2. Machab. 3. *Destinavit non admittere illicita, &c.* Secundò, pro *addicere*, aut *deputare*, ut Esther 16. & 2. Cor. 9. *Morti destinatos.* Tertiò significat *mittere*, ut Suetonius in Galba: *Prætorianos cum mandatis ad Imperatorem destinavit.* Quartò, *designare*, seu *deligere*, ut 2. Mach. 14. *Successi-*

cessorem sibi destinasse. Tandèm sumitur nonnunquàm pro *parare*, & pro *emere*. Hìc autem sumitur à D.Th. communiter recepto, in tertia significatione; ita, ut Deũ prædestinare aliquos, idem sit, ac ipsos transmittere in suam beatitudinem supernaturalem. Et hæc est optima acceptio; in illa enim includuntur omnes prædictę significationes. Transmissio siquidèm alicujus in vitam æternam, involvit prædiffinitionem dirigendi, deputationem, & designationem in talem finem. Ly *præ*, triplicem connotat prioritatem, dignitatis scilicèt, durationis, & causalitatis, ut egregiè explicat S. Doctor q.8.de verit.a.1. His prælibatis, sit

575 Prima concl. Fide Catholicâ tenendum est, Deum de facto aliquos homines prædestinasse. Constat ex illo Rom.8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit, &c.* Ad Ephes.6. *Prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Actor.13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Idem frequenter inculcant CC. & PP. multisque ostendit Ang. Doctor. Sufficiat nunc ratio quam adducit Rom.9.lect.4. Quidquid Deus in tempore exequitur, ab æterno dispositit, nihil enim de novo incipit velle; sed in tempore plures homines ad gloriam Deus transmittit: ergo hanc transmissionem ab æterno dispositit: ergo.

576 Secunda concl. Prędestinatio sic rectè diffinitur ab Aug. lib.de bono perseverantię, cap.14. *Præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.* Aptè etiam diffinitur à D.Th. hìc: *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Benè tandèm ab aliis PP. *Præparatio gratiæ in præsenti, & glorię in futuro.* Quæ tres diffinitiones, re ipsâ conveniunt; *præparatio* enim *beneficiorum, &c.* est ipsamet ratio transmissionis eorum qui liberantur in vitam. Et hujusmodi beneficia, sunt ipsa gratia in hac vita, & gloria in futuro. Prob.autem earum bonitas: nam constant genere & differentiâ, per hoc enim quòd dicitur, *præparatio beneficiorum*, & *transmissio creaturæ in finem*, convenit prędestinatio cũ providentia generali, à qua differt per sequent.particulas. *Nota* autem, quòd in diffinitione Augustini, per ly *præscientia*, intelligitur scientia approbationis

pra-

practica, absolutè antecedens nostrum consensum, & causans gloriam, gratiam, & merita, efficaciter perducentia ad vitam æternam. De quo in sequentibus latior redibit sermo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

577 Opp. 1. contra 1. concl. Si detur prædestinatio ab æterno de salute diffiniens, sequitur, quòd qui prędestinatus est, quidquid agat, salvabitur; si prædestinatus non est, quæcunque præstet, otiosa erunt ad salutem: ergo homines, divinorum consiliorum eventum expectantes, incuriosam vitam dêgere debent. *R.* negando assumptum: *Quos enim Deus prædestinavit ad gloriam, prędestinavit ad justitiam*, ut loquitur S. Fulg. quia finem non nisi per media idonea statuit concedere, ut victoriam per pugnam, sanitatem per medicinam, scientiam per studium, messem per agriculturam, &c. Et ità, non nisi per bona opera Deus ad vitam transmittit æternam. Doctrina igitur de prædestinatione, commendat hominum curas, operam, diligentiam. *Unde prædestinatis conandum est ad benè operandum, & orandum* (ait D. Th. hìc, a. 8.) *quia per hujusmodi, prędestinationis effectus certitudinaliter impletur: propter quod dicitur 2. Petri 1.* Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *Quia per bona opera potest homo* (glossat S. Doct.) *habere suæ electionis certitudinem; non quidem scientię, sed conjecturæ, non rei, sed spei, juxta illud Rom. 8.* Certus sum, quòd neque mors, *&c.* à charitate Christi separare nos potest. *Pulchrè* August. in Psal. 85. *Redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum.*

578 Opp. 2. contra 2. Diffinitio enim August. proùt à nobis exponitur, non constat genere; scientia enim approbationis, cùm sit idem formaliter, ac potentia executiva & ejus actus; est posterior prędestinatione, à qua imperatur actus potentiæ executivæ, juxta dicenda: ergo. *R.* scientiam approbationis, adęquatè sumptam, importare omnes actus intellectûs divini intervenientes in decreto intentivo dandi gloriam his hominibus, præ aliis: unde ad illam, sic acceptam, pertinent actus intellectûs antecedens prædestinationem, actus in quo hæc formaliter consistit, & actus

illam

illam subsequens. Est igitur genus ad prædestinationem, secundùm quòd includit actum istâ priorem.

579 Opp. 3. contra diffinit. D.Th. Quia convenit providentiæ generali supernaturali: per istam quippè vult Deus, omnes homines salvos fieri; ac proinde illos per eam elevat, & ordinat ad finem supernaturalem: ergo ista est ratio transmissionis. *Præt.* Transmissio hominis in visionem Dei authoris naturæ, est verè prędestinatio; sed non est transmissio in finem supernaturalem vitæ æternæ: ergo. *Tandèm:* Decretum reprobativum, vocatur *prædestinatio* ab Augustino; sed illi non convenit diffinitio: ergo. *R.* ad 1. providentiam generalem supernaturalem, ordinare quidèm ad salutem æternam, sicut prædestinatio; at non respicere exitum, seu eventum ordinis; unde non importat transmissionem cum effectu in talem finem; quod exprimitur per ly, *ratio transmissionis.* Ad 2.N.min. Quia visio Dei in se, etiam ut authoris naturæ, nequit non esse supernaturalis, Deus enim ut visibilis seu visus in se, etiam ut author naturæ, est objectum supernaturale respectu intellectûs creati, cùm hujus vires naturales superet prorsùs. *Vel dic*, non esse prędestinationem perfectam: hæc enim importat transmissionem in visionem Dei authoris superni. *Ad* 3. dic, acceptionem illam, esse nimìs latam & impropriam.

580 Inquires: An prædestinatio sit simpliciter necessaria ad consecutionem vitæ æternæ? *R.* affirmativè. *Dices:* Ergo non prædestinatus, non potest salvari. *Præt.* Homo potest salvari per auxilia sufficientia ordinis supernaturalis, quæ per providentiam generalem supernaturalem exhibentur: ergo. *R.* ad 1.N.conseq. vel dist.conseq. Potentiâ antecedenti, & in sensu diviso, N.conseq. Consequenti, & in sensu composito, C.conseq. Non enim ista sunt incompossibilia, *Deus vult istum non salvari*, seu, *Non vult istum salvari*, &, *Iste potest salvari.* Sed ista sunt incompossibilia, *Deus vult istum non salvari*, &, *Iste salvabitur*, ut passìm docet D.Th. *Ad* 2. dist.ant. Potest salvari, potentiâ antecedenti, & divisâ ab actu, C.ant. consequenti, & conjunctâ cum actu, N.ant. Auxilia quippè sufficientia, dant quidèm posse ad con-

consecutionem ; sed non dant ipsam consecutionem vitæ æternę : necessaria est ergo prædestinatio , conferens media efficacia ad actualem gloriæ consecutionem.

DUBIUM II.

Qualiter Prædestinatio distinguatur à Providentia?

581 CErtum est, providentiam latiùs patêre, quàm prædestinatio, tàm ex parte finis, quàm eorum quæ ad finem ordinantur : finis siquidèm prædestinationis , est beatitudo æterna supernaturalis , ad quam, sola creatura rationalis ordinari potest ; finis verò providentiæ, abstrahit à naturali & supernaturali , cùm per illam omnes creaturæ ordinentur in suos fines. *Certum est* præterea, prædestinationem non differre à providentia per hoc, quòd ista, & non illa, supponat subjectum , ut placuit P. Suarez. *Tum* , quia utraque illud producit, saltèm imperativè: ergo neutra illud supponit. *Tum*, quia etiam providentia ordinat subjectum in suum finem, ideòque debet supponere vel includere intentionem finis ; ac proindè (juxta discursum Suarez) non supponere subjectum: ergo ûtraquè, vel neutra, debet supponere subjectum. His prælibatis, sit

Prima concl. Prædestinatio est tantùm pars objectiva providentiæ. Sic frequenter Thomistæ contra Sotum, Gonzalez, & Marinis. Insinuatur à D.Th. hîc, a. 1. in corp. dicente : *Et sic patet, quòd prædestinatio, quantùm ad objectum, est quædam pars providentię.* Et prob. Quia , cùm prędestinatio sit quædam specialis divinæ providentię portio; comparari debet ad istam, tanquàm pars ; at non subjectiva, aut integralis , propter summam Dei simplicitatem : ergo objectiva duntaxàt. *Prætereà* : Divina voluntas unica & indivisibilis , absque virtuali distinctione subjectiva partium, fertur ad volita cujuslibet ordinis, naturalis, supernaturalis, & hypostatici ; & similiter omnipotentia, quia ûtraque sub eâdem ratione formali fertur ad illa ; sed etiam

pro-

providentia divina, omnia sua objecta & fines attingit sub eâdem ratione formali, & eôdem fine manifestationis gloriæ, & communicationis bonitatis divinæ: ergo non multiplicatur adhùc virtualiter in partes subjectivas.

582 Secunda concl. Prædestinatio differt à providentia, penès infallibilitatem; hęc quippè solam infallibilitatem ordinis exigit, illa verò, ordinis & eventûs. Infallibilitas ordinis, stat in eo, quòd media disposita, infallibiliter ordinentur, & exequantur; non tamen oportet, quòd cum eventu infallibiliter connectantur. Infallibilitas verò ordinis & effectûs, importat utrumque. Conclusio est ferè comm. contra Cajet. Bañes, Th. Pium, Alvarez, & Contensonum. Traditur expressè à D. Th. q. 3. de verit. a. 1. dicente: *Prædestinatio differt etiam à providentia; in qualibet enim ordinatione ad finem, est duo considerare, scilicet, ipsum ordinem, & exitum vel eventum ordinis; non enim omnia quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur. Providentia ergo ordinem in finem respicit tantùm: unde per Dei providentiam, omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed prædestinatio respicit etiam exitum vel eventum ordinis; unde, non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.* Prob. ratione quoàd 1. p. in qua solùm est difficultas. *Tum*, quia per providentiam generalem, omnes homines ordinantur ad gloriam tanquàm ad finem, ut constat 1. ad Timoth. 2. quâ tamen non omnes consequuntur. *Tum*, quia Deus omnibus confert auxilia sufficientia, quæ à providentia generali exhibentur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

583 Opp. 1. contra 1. concluſ. D. Th. 1. ad Anib. dist. 40. q. unicâ, a. 1. dicentem: *Hæc tamen prędestinatio, super providentiam addit; quia providentia importat tantùm ordinem provisorum in finem; sed prędestinatio respicit & ordinem, & exitum ordinis, & præscientiam exitûs ex parte ejus quod providetur*: ergo juxta D. Th. prædestinatio addit aliquid subjectivum ad providentiam: ergo est hujus pars subjectiva. *R.* dist. 1. conseq. Aliquid subjectivum essentiale, N. accidentale, & extra formalem conceptum providentiæ, C. Ea enim, quæ addit prædestinatio ad providentiam, scilicèt, in-

infallibilitas eventûs, & executio operis; non sunt de formali conceptu providentiæ in communi, & abstrahentis ab humana, & divina: salvari enim potest providentia sine praxi, in sola speculatione, & sine eventûs infallibilitate. Pars autem subjectiva, aliquid essentiale subjectivè addit.

584 Opp. 2. Nam in Deo ponuntur virtutes electivæ, virtualiter subjectivè distinctæ, v. g. justitia, & misericordia; sed istę habent eundem ultimum finem, nempè, bonitatem Dei, per illas manifestabilem: ergo. *Prat.* Dantur in Deo plures ideæ, nedùm objectivè, sed etiam subjectivè, inter se virtualiter distinctæ, ut habetur suprà q. 15. a. 2. unde ad rationem ideæ, comparantur ut partes subjectivę: ergo idem dicendum est de providentiis. *R.* virtutes electivas distingui in Deo virtualiter, & in nobis realiter, propter diversitatem objectorum formalium: justitia siquidèm attingit bonitatem divinam, ut est ratio servandi unicuique jus suum; misericordia verò, ut est ratio sublevandi miseriam. Nec attingunt finem ultimum, tanquàm objectum specificativum, sed tendunt in illum per virtutem intentivam finîs; ipsæ enim ex se, versantur erga media: At divina providentia, secundùm omnes suas partes, attingit eundem ultimum finem, tanquàm formale specificativum sui, cùm ex se sit ordinata in ultimum omnium finem. Unde unica est, sicut virtus intentiva finîs. In forma ergo, dist. min. Habent eundem ultimum finem, quasi extrinsecum, & materialiter, seu entitativè, C. quasi intrinsecum, & formaliter, seu specificativè, N. min. & conseq.

585 Dices: Ergo saltèm prædestinatio, & reprobatio, erunt partes providentiæ, subjectivè distinctæ, cùm respiciant divinam bonitatem, illa, ut est ratio miserendi, hæc, ut est ratio puniendi, juxta D. Th. hîc, a. 3. ad 5. *N. conseq.* Prędestinatio enim & reprobatio, sub conceptu providentię, respiciunt pro objecto formali specificativo, ordinationem in ultimum finem, ad manifestationem bonitatis divinæ: At justitia & misericordia respiciunt illos fines, tanquàm specificativos. Rationes igitur miserendi, & puniendi, subjectivè distingunt justitiam & misericordiam; non autem

præ-

prędestinationem & reprobationem. Unde ad prob. conseq. dist. ant. Respiciunt divinam bonitatem, ut est ratio miserendi, &c. pro fine intrinseco, aut objecto formali primario, N. extrinseco, materiali, & entitativo, C. *Ad* 2. N. conseq. Quia providentia in Deo, significatur, ut *quô* practicè Deus intelligit, dirigit, & ordinat res in suos fines; idea autem, ut *quod* Deus intelligit. Deus autem unô intellectû intelligit multa, & non solùm secundùm quòd in se ipsis sunt, sed etiam secundùm quòd intellecta sunt; quod est intelligere plures rationes rerum. Solutio est D. Th. ibi, tradentis discrimen inter ideas, artem, & sapientiam Dei, ut illæ multiplicentur; secùs ars, & sapientia.

586 Opp. tandèm contra 2. D. Th. suprà, q. 22. a. 2. ad 1. docentem, *nullum effectum effugere posse divinę providentiæ ordinem, quia est causa universalissima.* Cui consonat illud Ecclesiæ, *Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur*: ergo providentia divina utrâque gaudet infallibilitate, ordinis scilicèt, & eventûs. *Prætereà*: Admitti potest in Deo voluntas adeò inefficax, ut ex vi illius, nulla media sint efficaciter futura, cùm tàm liber sit Deus in volendo finem, quàm media: ergo & dari potest providentia tali voluntati innixa, nullâ infallibilitate, nè ordinis quidèm, gaudens. *R.* ad 1. utrumque stare; *& providentiam divinam, absolutè loquendo, simpliciter impleri*; Et, *aliquam providentiam divinam, voluntati inefficaci innixam, nunquàm impleri*: sicut stat, voluntatem divinam (à qua providentia descendit) absolutè loquendo, simpliciter impleri, & dari in Deo voluntatem inefficacem, nunquàm implendam. Et utriusque ratio assignatur à D. Th. suprà. q. 19. a. 6. quia scilicèt, dùm effectus ab una voluntate recedit, incidit in aliam; ideoque simpliciter impletur providentia, & nunquàm fallitur. Providentia ergo est infallibilis utrâque infallibilitate absolutè, sed non quoàd omnes partes. Vide suprà. N. 498. *Ad* 2. N. conseq. talis enim volitio nullam providentiam propriè & simpliciter talem induceret; providentia enim, cum sit præceptiva mediorum in finem; ne-

cessariò supponere debet volitionem aliquam efficacem, sicut prædestinatio, electionem ad gloriam.

DUBIUM III.

Utrum Prædestinatio sit formaliter actus intellectus, aut voluntatis?

587 OMnes Theologi unanimiter tenent, in negotio prædestinationis, plures intervenire actus, tùm intellectûs, tùm voluntatis. Ex parte quidèm voluntatis, requiritur ad prædestinationem voluntas efficax dandi gloriam his, præ aliis; quę vocatur *electio*, de qua dicitur Matth. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et Ephes. 2. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Voluntas insuper efficax dandi electis gratiam & merita, quæ dicitur *electio mediorum.* Ex parte autem intellectûs, requiruntur judicia, hujusmodi decretorum regulativa.

588 Prima concluſ. Prædestinatio, ultra electionem quasi intentivam mediorum, exigit volitionem eorundem executivam, quę appellatur *usus.* Sic omnes Thomistę, quibus adhęrent Bellar. Suarez, & alii. Colligitur expresse ex D.Th. 1.2. q.16. ubi agit de usu nostræ voluntatis, tanquàm de actu distincto ab electione mediorum. Et a.1. ait: *Voluntas est, quæ movet potentias animæ ad suos actus, & hoc est applicare eas ad operationem; undè manifestum est, quòd* uti, *primò & principaliùs est voluntatis; rationis autem, tanquàm dirigentis, sed aliarum potentiarum, tanquàm exequentium, quæ comparantur ad voluntatem (à qua applicantur ad agendum) sicut instrumenta ad principale agens.*

589 Insuper a.4. distinguens in voluntate duplicem habitudinem ad rem volitam, aliam scilicèt intentivam, aliam executivam; ait, quòd electio pertinet ad primam habitudinem, usus verò ad secundam, & concludit: *Undè manifestum est, quòd usus sequitur electionem.* Quibus præcluditur evasio Vasquez inficiantis, D.Th. admittere *usum*, qui sit actus elicitus à voluntate.

Pro-

590 Probatur concluſ. rat. In noſtra voluntate, datur uſus ſeu volitio executiva mediorum, diſtincta ab electione intentiva eorum: ergo & in voluntate divina; nam de hujus actibus philoſophandum eſt ad inſtar actuum voluntatis noſtræ: ergo uſus requiritur ad prædeſtinationem. Ant. eſt D.Th. & prob. quia electio, & uſus, etſi attingant eadem materialiter media; verſantur tamen erga diverſa objecta formalia, electio ſiquidèm attingit media, quatenùs ſunt effectus finis in genere cauſæ finalis, & in ordine intentivo; uſus verò attingit illa, quatenùs ſunt cauſa finis in genere cauſæ efficientis, & in ordine executivo: ergo uſus, & electio, ſunt actus diſtincti. *Prætereâ*: Datur in Deo duplex volitio erga finem ſeu gloriam, altera gratuita & liberalis, pertinens ad ordinem intentivum; altera procedens ex juſtitia, pertinens ad ordinem executivum: ergo & duplex volitio erga media, altera pertinens ad ordinem intentivum, nempè, *electio*, altera ad executivum, ſcilicèt, *uſus*.

591 Secunda concluſ. Prædeſtinatio, præter judicium, quò regulatur electio, importat imperium, quò regulatur uſus. Eſt etiam comm. Thomiſt. quibus cum Bellar. & Granados, conſentiunt quidam alii DD. Societ. Colligitur non obſcurè ex illo Pſal. 148. *Ipſe dixit, & facta ſunt, &c.* Gen. 1. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.* Traditur ab Auguſtino cap. 5. de Gen. ad litt. & expreſsè à D.Th. ſuprà q. 22. a. 1. in corp. & ad 1. per hæc verba: *Dicendum, quòd ſecundùm Philoſophum 6. Ethic. prudentia proprie eſt præceptiva eorum, de quibus eubulia rectè conſiliatur, & ſyneſis rectè judicat; undè licèt conſiliari, non competat Deo, ſecundùm quòd conſilium eſt inquiſitio de rebus dubiis; tamen præcipere de ordinandis in finem, competit Deo, ſecundùm illud Pſal.* Præceptum poſuit, & non prætéribit: *& ſecundùm hoc, competit Deo ratio prudentiæ, & providentiæ*: ergo, cùm eadem ſit ratio de prædeſtinatione, requiritur ad iſtam imperium, ex parte intellectûs.

592 Prob. rat. *Tum*, quia in Deo datur prudentia circa agibilia: ergo & imperium, quod eſt præcipuus actus

prudentiæ, juxta Philosophum. *Tùm*, quia juxta eundem, synesis, & prudentia, sunt duo habitus inclinantes ad diversos actus ; at judicium regulans electionem, tribuitur synesi, quæ solùm est judicativa mediorum: ergo imperium seu præceptum prudentiæ, actus distinctus est à judicio synesis : ruit ergo expositio Vasquez, dicentis, loqui Phil. de imperio, sumpto pro judicio. Falsum est etiam quod ait, *judicium synesis, esse reflexum, habens pro objecto judicium directum regulativum electionis.* Tùm, quia judicium synesis, non haberet pro objecto media ; contra Arist. & veritatem. *Tùm*, quia ad rectè consiliandum, non requiritur duplex habitus, alter elicitivus consilii, alter ad reflectendum supra consilium ; & idem patet in scientia : ergo idem dicendum, &c.

593 Prob. deindè concluſ. Quia nullus est assignabilis actus intellectûs, regulativus usûs, nisi imperium : ergo. Prob. ant. quia judicium regulans electionem intentivam, cùm respiciat media adhùc ut possibilia ; nequit extendi ad regulandum usum, quia ad hoc deberet attingere media ut futura, siquidèm media redduntur infallibiliter futura, in vi volitionis executivæ: ergo solùm valet regulare usum, actus imperii, quô nempè intellectus, respiciens hîc & nunc media exequenda, întimet voluntati, ut moveat in executione potentias executivas. *Tandèm*, quòd actus imperii regulet usum, traditur à D.Th. 1.2.q.17. a.3. ad 1. per hæc verba: *Dicendum, quòd non omnis actus voluntatis præcedit hunc actum rationis, qui est imperium ; sed aliquis præcedit, scilicèt electio; & aliquis sequitur, scilicèt usus : quia post determinationem consilii (quod est judicium rationis) voluntas eligit; & post electionem, ratio imperat ei per quod agendum est quod eligitur. Et tunc demùm voluntas alicujus incipit uti, exequendo imperium rationis.* Hęc S.Doct.

594 Tertia concl. Prædestinatio consistit in solo actu intellectûs, præsupponente tamen actum voluntatis. Sic omnes Thomistæ, contra Scotistas & plures RR. Docetur à D. Th. ubicumque versat hanc difficultatem. Audiatur q.6.de verit.a.1. *Undè, sicut de providentia suprà dictum est,*

quòd

quòd consistit in actu intellectûs, sicut & prudentia cujus est pars, eò quòd solius rationis est dirigere vel ordinare: ita etiam prædestinatio in actu rationis consistit, dirigentis vel ordinantis in finem. Et ad 2. addit: *Et quia prædestinatio supponit electionem, quæ est actus voluntatis; ideò in ratione prædestinationis, aliquid includitur ad voluntatem pertinens; & propter hoc, propositum, & alia ad voluntatem pertinentia, in diffinitione prædestinationis quandòque ponuntur.*

Prob. rat. *Tùm* quia providentia, cujus est pars prædestinatio, in solo actu intellectûs consistit, tametsi supponat actum voluntatis, ut constat ex diffinitione Boëtii communiter recepta, scilicèt, *Ipsa divina ratio, in summo omnium Principe constituta, quâ cuncta disponit.* Et, quia providentia est principalis pars prudentiæ, quæ est virtus intellectualis. *Tùm* quia prædestinatio est essentialiter ordinatio seu transmissio, quâ dirigit Deus creaturas rationales in finem vitæ æternæ; at solius rationis est ordinare, ut docet cum Phil. D. Th. & est evidens, nam appetitus, cùm feratur ad res; nec eas efficit, nec ordinat, sed supponit: ergo.

595 Quarta concl. Actus intellectûs, in quo stat essentialiter prædestinatio, est solùm judicium practicum, quod vocatur IMPERIUM. Est omnium Thomist. & expressa D. Th. hîc a. 4. dicentis: *Prædestinatio, ut dictum est, est pars providentiæ; providentia autem, sicut & prudentia, est ratio in intellectu existës, præceptiva ordinationis aliquorum in finem.* Prob. ratione. *Tum*, quia non consistit in judicio regulante electionem ad gloriam, cùm tale judicium istam præcedat; prædestinatio autem, cùm sit transmissio ad gloriam, talem electionem seu volitionem dandi gloriam, supponit. Deindè nec stare potest in judicio regulante electionem dandi gratiam & merita, tanquàm media ad gloriam; quia istud judicium talem electionem præcedit, sicut quælibet regula, suum regulatum; at prædestinatio illam non præcedit, cùm sit efficax ordinatio mediorum in finem vitæ æternæ: ergo in solo imperio, &c. *Tùm*, quia prædestinatio, cùm sit perfectissima providentia, stare debet in

præ-

præcipuo actu prudentiæ, cujus principalis pars est providentia; at hujusmodi actus, est imperium, juxta Phil. D. Th. & veritatem: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

596 Opp. 1. contra 1. Omnis volitio efficax erga utile, ut tale, est electio; at usus est hujusmodi: ergo est electio. *Præterea*: In brutis nullus datur usus, ab appetitu distinctus. *Insuper*: In Deo nulla datur potentia executiva, ab intellectu & voluntate distincta, ut frequentiùs docent Thomistæ: ergo non datur in Deo usus; quidquid sit de nobis. *Tandem*: Quia, cùm usus sit connexus cum rerum executione, & usus Dei, esset æternus; res, quę ab ęterno essent præordinatæ, essent ab æterno jam executę; quod est absurdum. *Resp.* ad 1. quòd volitio efficax, versata erga utile in ordine intentivo, & tanquàm in effectum finis, est electio; at si versetur erga illud, tanquàm in causam finis in ordine executivo, est usus. Et hinc constat, quòd posità electione, adhùc usus non superfluit. *Ad* 2. N. conseq. quia bruta, cùm necessariò, & non rationis ductu, operentur; non indigent illô actuum progressû. *Ad* 3. R. quòd hîc non est quæstio de modo distinctionis inter electionem & usum. Dicimus ergo, distingui eô modô, quô, in illa sententia, distinguuntur intellectus, voluntas, & omnipotentia; scilicèt, secundùm nostrum modum concipiendi aut significandi, sive, penès implicitum & explicitum. *Ad* 4. quòd usus est connexus cum executione rerum, pro tempore quô voluntas vult executionem, non autem pro omni signo existentiæ usûs. Itaque usus, ab ęterno applicat omnipotentiam ad opus, pro tempore tamen illo faciendum, quô voluntas fieri vult; unde executio, est ab æterno intimata, ut exequenda tempore præscriptô. Et instatur evidenter in electione, pariter æterna.

597 Opp. 2. contra 2. Sicut Phil. dicit, *prudentiam esse præceptivam*, dicit, *prudentię esse, benè consiliari*; at consilium non est actus prudentiæ, sed eubuliæ: ergo nec imperium. *Resp.* cum D. Th. 2.2. q. 51. a. 2. ad 1. quòd ad prudentiam pertinet benè consiliari *imperative*, ad eubu-

buliam autem, *elicitive*; undè est proprius istius actus: imperium autem elicitur à prudentia; undè est proprius actus prudentiæ.

598 Opp. 3. Imperium, est superioris ad inferiorem: nemo igitur potest sibi imperare; sicut non potest se ipsum exorare, quia oratio est inferioris ad superiorem: ergo implicat imperium, sive in nobis, sive in Deo. *Prɐt.* Potentiæ executivæ nequeunt percipere rationis imperium, quia irrationales: ergo. *Resp.* ad 1. quòd imperium *politicum*, quô regitur multitudo per aliquem superiorem, versatur inter diversas personas; at *monasticum* (de quo hîc est sermo) exercetur in eodem supposito, per diversas potentias seu virtualitates, quarum altera superior est, respectu alterius: Oratio autem, comparatur cum imperio *politico*; non autem cum *monastico*: undè, *nec imperium politicum, nec oratio, potest esse ejusdem ad se ipsum.* In forma ergo dist. ant. Est superioris ad inferiorem, sive suppositaliter aut personaliter, sive potentialiter aut virtualiter, C. suppositaliter præcisè, subdist. Si sit *politicum*, & actus prudentiæ politicæ, C. Si *monasticum*, & actus prudentiæ monasticæ, N. & dist. conseq. eôdem modô. *Ad* 2. R. quòd potentiæ executivæ innobis, sunt aliqualiter rationales, quatenùs subduntur rationi quoàd directionem; undè ratio imperat illis, non immediatè, sed mediâ motione voluntatis, quam immediatè regulat intellectus.

599 Opp. 4. Quòd imperium, si datur, non intellectûs est actus, sed voluntatis. *Tùm*, quia hujus est dominari, juxta Phil. 3. de anima. *Tùm*, quia imperare aliis virtutibus, est proprium charitatis, quæ est virtus voluntatis. *Tùm*, quia lex, quę est imperium politicum, est actus voluntatis, juxta illud Jurisperiti, *Quod placuit Principi, legis habet rationem.* Tandèm, quia nec est apprehensio, cùm sit compositum; nec judicium, quia incapax veritatis & falsitatis (orationes enim imperativę, nec veræ, nec falsæ sunt, juxta Dialecticos;) nec tandèm discursus, cùm nullam illationem seu connexionem importet: ergo. *Resp.* ad 1. imperium esse actum intellectûs, hujus enim est domi-

na-

nari *ordinativè* ; non autem voluntatis , cujus est dominari *intentivè* : imperium enim propriè & formaliter consistit in ordinatione actualiter intimante , etsi supponat volitionem radicaliter dominantem, à qua scilicèt, imperium sumit authoritatem , dominium, & efficaciam. *Ad* 2.*R.* quòd charitas imperat aliis virtutibus, *intentivè*, secùs *ordinativè*; non enim ita imperat , ut ordinet quę facienda sunt; sed ita, ut velit & eligat ea , de quibus ordinat intellectus. Est igitur tale imperium à charitate *radicaliter*, sed *elicitivè*, ab intellectu. *Ad* 3.R. quòd lex est formaliter actus intellectûs, licèt originem ducat aut habeat à voluntate, ut docet D.Th. 1.2. q.90. art. 1. *Ad* ult. R. imperium esse judicium practicum ; ac proindè , non debere esse capax veritatis , vel falsitatis , ut docet D.Th. 2.2. q.83. a.1. *Vel dic* , esse capax veritatis , non quidèm speculativæ , sed practicæ, consistentis in conformitate actûs cum objecto commensurato regulis morum.

600 Opp. 5. Fundamentum Vazquez : Si imperium esset præcipuus actus prudentiæ , præcipuus actus virtutum moralium , scilicèt virtuosa electio , fieret absque directione prudentię ; cùm imperium, juxta nos, supponat electionem jam factam. *Resp.* quòd à prudentia propriè dicta, & ut distincta à syneſi & eubulia , duplex elicitur imperium; alterum quasi generale, requisitum ad omnem actum deliberatum voluntatis ; alterum quasi peculiare, quô, solus usus propriè dictus , regulatur , ut docet D.Th. 1.2.q.17.a.3.ad 3. & supponit q.16. a.4. in fine corp. & ad 3. Unde omnia constant : virtuosa enim electio regulatur imperiô quasi generali , quod non antecedit, sed supponit. Hâc doctrinâ, varia Thomistarum placita conciliantur.

601 Opp. 6. Usus voluntatis non esset liber , si regularetur imperiò ; nam istud esset suppositio antecedens usum, se tenens ex parte actûs primi , & infallibiliter connexa cum illo. *Prætereà* , quia imperium non proponit voluntati usum sub indifferentia ; sed sub omnimoda determinatione : ergo. *Tandem.* Visio beatifica infert amorem necessarium quem regulat , quia se tenet ex parte actûs primi,

mi, & connectitur metaphysicè cum illo : ergo.

Resp. ad 1. quòd suppositio antecedens actum, cum illo metaphysicè connexa, se tenens ex parte actûs primi, si simpliciter & absolutè antecedit omne exercitium liberum voluntatis, tollit libertatem actûs ; secùs autem, si sequatur ad alium actum quem voluntas liberè voluit. Hujusmodi est IMPERIUM THOMISTICUM respectu usûs, quod licèt istum antecedat; subsequitur tamen ad electionem liberam voluntatis, Undè solùm inducit necessitatem secundùm quid, & ex suppositione ; non autem absolutam, & simpliciter. In forma ergo dist.ant. probationis implicitæ: Esset suppositio antecedens usum, duntaxàt, C. omnem actum voluntatis absolutè & simpliciter, N. ant. & conseq. Et argumentum instatur in electione medii quod unicum sit ad consecutionem finis, quę, suppositâ finis efficaci intentione, necessaria quidèm est ex suppositione, sed simpliciter & absolutè libera.

Ad 2. R. quòd imperium proponit voluntati objectum sub indifferentia objectiva, quanvis cum determinatione subjectiva ; non enim proponit objectum, quod secundùm se rapiat voluntatem. *Ad* ult. R. quòd visio beatifica habet connexionè necessariam cum amore, ortam ex ipso objecto, nempè, divina essentia clarè visa, cujus bonitas rapit omninò voluntatem ; at imperium, habet quidèm connexionem cum usu, non tamen ortam ex objecto, sed ex volitione efficaci voluntatis, vi cujus, ex uno actu, redditur alter infallibiliter futurus; ac proindè cum primus actus sit liber; etiam reliqui usque ad ultimum, scilicèt, usum. Undè visio beatifica, est omninò antecedens nostram voluntatem, à qua non dependet; sed imperium, consequitur liberam electionem, & à voluntate dependet.

602 Opp. 7. contra 3. Prædestinatio stat in proposito, seu electione voluntatis, ut sæpè insinuat Apostolus : ergo. *Resp.* cum D.Th.q.6. de verit.a.1.ad 3. quòd prædestinatio dicitur electio, & propositum, quia ista præsupponit, & consequenter includit ; in actibus enim animę, præcedens includitur quodammodò virtute in sequenti ; & propterea

Da-

Damasc. vocat providentiam *volitionem*, quia videlicèt, istam includit & prę supponit.

Opp.8. D.Th. opusc. de prædest. cap. 1. & 2. expresè docentem, quòd prædestinatio, *etsi supponat cognitionem, nominat tamen actum voluntatis eligentis*; & quòd *propriissimè respicit voluntatem*. Præterea, in 1.dist.41. a.2. ad 1.docet, *prædestinationem non stare in electione ad gloriam, sed stare in electione ad gratiam & merita*. R. ad 1. opusculum illud, non esse D. Thomæ: non enim reperitur in editione Romana, nè quidèm minoribus characteribus, quibus dubia notantur. Vel, si tale opusculum est D.Th. dic, quòd in Summa Theologiæ, cui standum est, docuit oppositum ex professo. *Ad 2. R.* D.Th. solvere argumentum intendens probare, electionem ad gloriam non præcedere prędestinationem, sed esse idem cum illa. Cui occurrens, admittit, prædestinationem dicere actum voluntatis, absolutè loquendo; negat tamen, hujusmodi actum esse idem cum electione ad gloriam, sed subsequi ad illam. Unde non asserit, prædestinationem stare essentialiter in actu voluntatis, sed præsuppositivè duntaxàt. Et licèt pro tunc id admisserit; hoc præstitit, ut argumentum in omnium sententia solveret.

603 Opp.9. D.Th. non semèl docere, voluntatem esse *ordinativam*, & quòd *uti*, ordinationem quandam importet. *Præt.* Charitas, in voluntate residens, est ordinativa; ordinat enim alias virtutes in ultimum finem, qui est ejus objectum. *Demùm*: Voluntas vult media propter finem; quod est ordinare unum ad aliud. *R.* ad 1. voluntatem esse ordinativam, ratione actûs intellectûs præsuppositi, juxta D.Th. sicut electio dicitur collativa, quia sequitur ad collationem factam ab intellectu. Et idem dic de *uti*, seu usu. *Ad 2.* esse ordinativam executivè & secundariò; non primariò & directivè. *Ad ult.* quòd vult unum propter aliud, non ex se sola, sed quia sic proponitur ab intellectu; quod est ordinare secundariò & executivè duntaxàt.

604 Opp.10. D.Thomam q.6. de verit. docentem, *reprobare*, esse quasi *refutare*; quod ad voluntatem pertinet. *R.* ibidem expresè docere, prędestinationem stare in actu intel-

tellectûs. Admittit tamen, reprobationem stare in actu voluntatis, & assignat disparitatem. Non ergo loquitur in propria sententia: quod & patet ex tenore verborum, ait enim: *Ad ultimum enim posset dici, &c.*

Opp. 11. Prædestinatio, cùm sit *efficax ordinatio, &c.* importat ex æquo ordinem, & efficaciam; at ille ad intellectum pertinet, hæc ad voluntatem: ergo & prædestinatio ad utranque potentiam. *R.* quòd efficacia, tametsi primam radicem habeat à voluntate; absolutè tamen, simpliciter, & formaliter, reperitur in intellectu, quâ iste movet voluntatem ad suos actus: *ordo* igitur, proprius est intellectûs; *efficacia* autem, utrique communis.

605 Opp. 12. Prædestinatio essentialiter stat in illo actu vî cujus gloria redditur infallibiliter futura electis, cùm gaudeat utrâque infallibilitate; sed actus ille est decretum, istô enim constitui debet futurum, per nos: ergo. *Præt.* Positâ electione efficaci ad gloriam, maneret hæc infallibiliter futura, etiamsi nullus sequeretur actus intellectûs: ergo. *R.* futurum, juxta Thomistas, constitui per decretum in ordine intentionis, & incompletè; completè tamen, & in esse ultimo futuritionis, constituitur per imperium. Gloria autem, non utcumquè futura, est objectum prædestinationis, sed, ut est futura tàm in ordine intentivo, quàm executivo; est enim prædestinationis objectum, quatenùs obtinenda per media, efficaciter ad illam ordinata. In forma ergo dist. maj. Vî cujus redditur infallibiliter futura; completè, & in omni ordine, C. incompletè & in ordine duntaxàt intentivo, N. & sic dist. min. N. conseq. Et per hæc patet ad 2.

606 Opp. tandèm: Decretum executivum gloriæ, quia supponit merita prævisa, cadere potest sub merito, non minùs quàm ipsa gloria in executione conferenda; at imperium, etiam supponit merita prævisa, cùm horum supponat electionem: ergo cadere potest sub merito: ergo in illo non consistit prædestinatio essentialiter. *R.* decretum executivum gloriæ, posse cadere sub merito, quia supponit merita prævisa in utrôque ordine, intentivo scilicèt, & executivo.

Im-

Imperium autem, cùm ab illo incipiat ordo executivus; supponit merita prævisa in ordine intentivo duntaxàt: unde non potest cadere sub merito; merita quippè, solùm in ordine executivo exercêre possunt causalitatem meritoriam; in ordine siquidèm intentivo, effectus sunt finîs, non causa. *Sed* benè nota, quòd actus imperii, est duplex; alter regulans decretum executivum mediorum, sive usum; alter regulans decretum executivum finîs, sive voluntatem dandi gloriam per modum coronę, seu præmii in executione. Primus (in quo stat essentialiter prædestinatio) cadere non potest sub merito, propter dicta; secundus autem (qui ad prædestinationem jam constitutam subsequitur) cadere potest sub merito, sicut & ipsa gloria in executione conferenda.

DISPUTATIO II.

De motivo Prædestinationis.

DUBIUM UNICUM.

Utrum electio efficax ad gloriam, sit ante prævisa merita, vel illa supponat prævisa?

NUllus fuit ità insanę mentis (inquit D. Th. a. 5.) *qui diceret, merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actûs prędestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur: Utrum ex parte effectûs, prędestinatio habeat aliquam causam? Et hoc est quærere: Utrum Deus præordinaverit, se daturum effectum prædestinationis alicui, propter merita aliqua?* Quærimus ergo: Utrum Deus priùs velit prædestinatorum merita & gratiam; & deinde eorum gloriam? vel econversò, potiùs velit priùs efficaciter gloriam electorum; deindè verò gratiam, & eorum merita, quæ planè sunt media quibus ad gloriam perducendi sunt homines?

607 Prima concl. Electio efficax prędestinatorum ad glo-

gloriam, seu intentio efficax dandi gloriam electis, antecedit omninò prævisionem meritorum. Sic omnes Thomistæ, quibus adhærent Scotus,& graviores Societatis DD. ut Toletus, Suarez,Granados,Enriquez,Salmeron,Maldonatus,& præcipuè Bellarminus lib.2. de gratia,& libero arb.cap.11. ubi, post adductum in favorem nostræ conclusionis PP. consensum,ità concludit: *Itaque Sedes Apostolica, non tantùm semèl, sed etiam secundò & tertiò, adversùs Pelagianorum reliquias, pro defensoribus gratiæ prædestinationis, sententiam tulit; ut jàm hæc sententia, non quorunvis Doctorum opinio, sed Fides Ecclesiæ Catholicæ, dici debeat.* Hæc sapientissimus & Venerabilis Cardinalis.

608 Prob.1. concl. Juxta Script. & SS. PP. nulla potest reddi ratio, cur unus eligatur ad gloriam, non autem alter; nisi, ad Dei voluntatem, inscrutabilia judicia, & sapientię altitudinem, recurrendo; at hoc esset falsum, si electio ad gloriam, fieret ex pręvisis meritis: ergo. Min.prob. Facilè enim reddi posset ratio: quia scilicèt, Deus prędivit merita unius,& mala opera alterius; unde Augustinus explicans illud, *Jacob dilexi, Esau autem odiò habui*; ait cap.68.Enchir. *Qua in re, si futura opera, vel bona hujus, vel mala illius, quæ Deus utiquè præsciebat, vellet intelligi; nequaquàm diceret*: non ex operibus, *sed diceret*: ex futuris operibus, *eòque modò, istam solveret quæstionem; imò nullam, quam solvere opus esset, faceret quæstionem.* Videatur etiam epist.105.ad Sixtum.

609 Maj.autem prob. *Tum* ex illo Rom.9. *Cùm nondùm nati essent, nec aliquid boni egissent, aut mali: non ex operibus, sed ex vocante, dictum est:: Jacob dilexi, Esau autem odiò habui.* Et ibidèm: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Et statim (prævidens querelam quam facturi erant gratuitæ prædestinationis impatientes, nempè, *Quid adhùc queritur? Voluntati enim ejus quis resistit?*) Subjungit increpando: *O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me feciśti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eâdem massa facere aliud quidèm vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ubi, totam difficultatis decisionem, ad simplicem Dei voluntatem, revocat. Et idem

præ-

pręstat cap. 11. ubi, totum discursum de prędestinatione secundùm propositum, hâc exclamatione concludit: *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientię Dei, &c.*

Tùm ex illo August. cap. 7. de prædest. Sanct. *Ex duobus ætate grandævis impiis, cur unus assumatur, & alter relinquatur? O judicia Dei incomprehensibilia!* Ex illo etiam ejusdem Rom. 6. *Gratia Dei, vita æterna. Cùm posset dicere Apostolus, & rectè dicere,* stipendium justitiæ, vita æterna; *maluit dicere,* gratia Dei, vita æterna; *ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris, Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia, perducere.* Et l. 2. cont. duas epist. Pelagian. *Profectò* (inquit) *desipitis, quia dicente veritate*: non ex operibus, sed ex vocante; *vos dicitis*: ex futuris operibus, quæ Deus fore præsciebat; *atque adeò contradicitis Apostolo.* Tandèm prob. maj. ex D. Th. hîc a. 5. ad 3. dicente: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, nisi divinam voluntatem.* Et q. 2. de verit. a. 2. *Quòd Deus velit dare gloriam; hoc ex mera liberalitate procedit.* Et Rom. 9. lect. 3. *Non potest esse, quòd merita consequentia gratiam, sint ratio miserendi, aut prædestinandi; sed sola Dei voluntas, secundùm quam aliquos misericorditer liberat.*

610 Nec dicas, loqui PP. de prædestinatione ad gratiam, quam utiquè nulla supponere merita, fidê certum est, contra Pelagianos: Nam D. Th. apertè loquitur de electione ad gloriam. August. etiam lib. de correp. & grat. cap. 7. ait: *Electi sunt ad regnandum cum Christo* (undecim Apostoli) *non quomodò electus est Judas ad opus cui congruebat. Cùm itaque audimus*: Nonnè duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est? *Illos debemus intelligere electos propter misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum; illum, ad effundendum sanguinem suum.* Ubi manifestè loquitur de electione ad regnum & gloriam; & de electione ante prævisa merita & opera supernaturalia, quæ cùm meritoria sint glorię, si ex illis prævisis fieret electio; hæc esset per judicium & justitiam, & non per misericordiam.

611 Prob. 2. concluſ. rat. D. Th. hîc a. 5. Merita nostra,

sunt

sunt effectus prædestinationis: ergo hæc non est ex prævisis meritis: cùm effectus non possit prævideri ut futurus, ante suam causam; & prævisus ut merè possibilis, non possit movere ad prædestinandum; aliàs, omnes essent prædestinati. Prob.ant. Tùm ex Apost. ad Ephes. 1. docente, Deum nos sortè elegisse, *ut essemùs Sancti.* Tùm ex August.sic verba Apostoli ponderante: *Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus; nempè certum est, ideò quippè tales eramus futuri, quia elegit ipse prędestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Tùm ex eodem, l.1.retract.cap.3. *Quia omnia bona, & magna, & media, & infima, à Deo sunt; sequitur, ut à Deo sit & bonus usus liberæ voluntatis, qui in magnis numeratur bonis.*

Tùm ex Prospero 2. de vocat. gentium cap.35. dicente: *Deus his quos elegit sine meritis, dat undè ornantur ex meritis.* Tùm ex D.Th. hîc a.5. dicente: *Quidquid est in homine ordinans ipsum ad salutem, comprehenditur totum sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam.* Et super cap. 9.ad Rom. *Manifestum est* (inquit) *quòd omne beneficium, quod homini confert Deus ad salutem, est prędestinationis effectus; divinum autem beneficium, non solùm se extendit ad infusionem gratiæ, sed etiam ad gratiæ usum.* Tùm rat. quia non possunt intelligi merita, ut ad gloriam conducentia, sine *dono perseverantię*; at hoc est effectus prædestinationis, subsecutus ad intentionem dandi gloriam, aliàs daretur per providentiam generalem, ac subindè omnibus conferretur; quod est falsum: ergo & merita sunt hujusmodi.

612 Prob.3.concl. rat.efficaci D.Th. a.4. hujus q. Intentio efficax finîs, antecedit efficacem electionem mediorum; at electio ad gloriam, est intentio efficax finîs, electio autem ad gratiam & merita, est electio mediorum: ergo illa debet istam prędecedere: ergo non fit ex hujus prędvisione. Maj. patet. Tùm, quia finis est, *id cujus gratiâ aliquid fit*, id est, amantur media. Tùm, quia volitio efficax medii, antecedens volitionem efficacem finîs, esset improvisa & fortuita; tale quippè est, quidquid contingit præter intentionem operantis, vel istâ non suppositâ.

Huic rationi multis occurrunt Adversarii; sed omnia facilè

cilè præcludes, si ante oculos habeas, primò, quòd tota ratio, cur intentio finis debet esse prior electione mediorum, est, quia finis est ratio volendi media, cùm sit, *id cujus gratiâ aliquid fit.* Secundò, quòd eatenùs intentio finis potest esse efficax, quatenùs infert electionem efficacem mediorum. *Tertiò*, quòd efficax electio ad gratiam & merita, si non descenderet ab intentione efficaci dandi gloriam; descenderet à voluntate inefficaci salvandi omnes, quæ communis est reprobis, & electis; quod quidèm esse non potest, cùm electio illa, sit discretiva inter istos.

613 Secunda concl. Præter decretum intentivum gloriæ, meritorum prævisionem antecedens, datur aliud executivum, merita prævisa supponens; quod quidèm decretum, est ipsa volitio dandi gloriam per modum coronæ & præmii in executione. Sic frequenter Thomistę, colligiturque ex August.serm.7.de verbis Apost.dicente: *Eligit autem Deus, sicut dicit Apostolus, secundùm suam gratiam,* (ecce decretum intentivum,) *& secundùm illorum justitiam*; (en decretum executivum, merita prævisa supponens.) *Præt.* l.1.ad Simpl. q.2.ait: *Electio non præcedit justificationem, sed electionem justificatio; nemo enim eligitur, nisi jam distans ab illo qui rejicitur: undè, quod dictum est*, quia elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, *non video quomodò sit dictum, nisi præscientiâ*; sed electio subsequens justificationem, nequit esse decretum intentivum: ergo executivum.

614 Prob.conclus. rat. Conferens in executione electis gloriam per modum coronę, vult sanè, illam eis conferre; at hujusmodi volitio, cùm sit divina, nequit esse temporalis: ergo est decretum, quò ab æterno vult Deus dare in executione gloriam per modum coronæ. *Præt.* Deus conferens in executione gloriam electis, confert eam ex justitia, & propterea vocatur ab Apostolo, *justus Judex*; & gloria ipsa, *corona justitiæ*: ergo admitti debet voluntas dandi gloriam ex justitia; sed hæc nequit esse decretū intentivum, omninò gratuitum & liberale: ergo executivum. *Per* hanc duplicis decreti distinctionē, omnia ferè argumenta, quę contra 1. concl. objici solent, facilè dissolvuntur, ut statim constabit.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Plura objici solent Scripturæ testimonia contra 1. concl. in quibus, vel est sermo de ipsa collatione gloriæ in executione, quę *justa* est; vel certè non insinuatur, merita esse prædestinationis motivum, sed potiùs effectum. Patres etiam, ubi adversari videntur gratuitæ electioni, & præcipuè D.Th. Rom. 8. loquuntur de executiva, vel de ipsa executione. His ergo omissis,

615 Opp. 1. Quòd intentio efficax finîs, præcedat in Deo efficacem electionem mediorum, deduci non potest ex analogia ad actus voluntatis humanæ; cùm hæc, non priùs velit efficaciter dare pręmium, quàm vîderit merita, ut patet in Rege, v.g. respectu militum, qui non decernit, huic præ alio conferre præmium, antequàm viderit, hunc præ alio meruisse. Nec talis ordo probari potest ex parte objectorum; cùm gloria, quę est objectum intentionis, sit re verâ posterior meritis, datur quippè propter ista: ergo. *R.* N. ant. quoàd utranque p. Ad prob. 1. dicimus, etiam voluntatem nostram priùs intendere, quàm eligere; volitio enim finîs, est causa volitionis mediorum. Rex autem volens præmiare milites, potiùs habet pro fine merita militum; quibus intendit victoriam, ad quam vult eorum labores, velùt medium proximum. Nec in manu Regis sunt militum merita; undè nequit decernere præmium uni, prę alio, antequàm illa videat. At Deus, non vult gloriam, tanquàm medium ad elicienda merita, sed ut finem meritorum. Deindè, in sua potestate sunt hominum merita; undè, antequàm videat ista; vult seu intendit efficaciter gloriam. *Ad* aliud dicatur, gloriam esse posteriorem meritis, ordine executionis duntaxàt.

616 Opp. 2. Amor finîs, non debet præcedere volitionem mediorum quandò ista solùm moraliter causant finem, movendo, scilicèt, voluntatem præmiantis, ut velit dare finem; at merita, solùm moraliter causant gloriam: ergo. *Resp.* media, etiam moralia, habere id quod est de ratione essentiali medii, videlicèt, quòd in executione causent finem, & in intentione, sint effectus finîs. Media ergo moralia, cau-

sant moraliter finem in executione ; in intentione autem, causantur ab eo.

Opp. 3. Ex intentione inefficaci salvandi omnes homines, derivatur volitio efficax dandi auxilia efficacia; quæ utiquè, est efficax electio mediorum: ergo hanc non debet præcedere intentio efficax dandi gloriam. *Resp.* N. ant. licet enim ex intentione inefficaci finis, oriri possint electio inefficax mediorum efficacium, & electio efficax mediorum inefficacium (ambæ quippè volitionis istę, sunt absolutè inefficaces in ordine ad consecutionem finis;) at electio efficax mediorum efficacium (cujusmodi est electio prædestinatorum ad gratiam & merita) cùm non solùm efficaciter inferat media, sed etiam media illata perducant efficaciter ad finem; non nisi à voluntate efficaci finis derivari potest.

617 Dices: Ex volitione inefficaci salvandi omnes homines, & remittendi eis peccatum originale, decrevit Deus efficaciter Verbi incarnationem, quæ fuit medium efficax ex se, ad salutem omnium, &c. ergo. Prob. ant. ex illo Symboli: *Qui propter nos homines, &c.* R. N. ant. Nam ut infrà dicemus, primum omnium decretorum Dei, fuit de Incarnatione Verbi, quod etiam præcesit volitionem inefficacem salutis omnium, quæ non fuit finis cujus gratiâ Incarnationis, sed finis effectus, & *cui*, duntaxàt; & hoc exprimitur in Symbolo. *Resp.* 2. admissâ oppositâ sententiâ, quòd Incarnatio Verbi, quâ parte derivatur à voluntate inefficaci salutis omnium; non intelligitur medium efficax, sed sufficiens duntaxàt, ad salutem: fuit autem medium efficax quasi in actu 1. ad salutem omnium, quâ parte fert secum valorem infinitum, & pretium redemptionis superabundans pro omnibus.

618 Instabis adhùc: Incarnatio Verbi, fuit re verâ medium efficax ad salutem prædestinatorum, istis enim datur cum effectu salus, ex meritis Christi; sed intentio efficax salvandi prædestinatos, non præcesit decretum incarnationis: ergo medium efficax ad aliquem finem, eligi potest ante intentionem efficacem finis. *R.* finem primarium & *cujus gratiâ* Incarnationis Verbi & meritorum Christi, esse glo-

gloriam ipsius Dei, vel Redemptoris; salutem autem hominum, etiam prędestinatorum, esse duntaxàt finem *effectum*, & quasi secundarium. Electio autem medii ordinabilis ad duos fines, satis est, quòd supponat intentionem efficacem primarii. At impossibile prorsùs est, quòd medium ordinatú ad unum solùm finem, eligatur efficaciter ante finis intentionem efficacem, & huic principio innititur nostra conclusio.

619 Opp. 4. Deus ità voluit ab æterno conferre gloriam electis, sicut de facto confert illam in tempore; sed confert illam propter merita: ergo voluit ab æterno illam conferre propter merita; at hujusmodi volitio supponit merita prævisa: ergo. *Dist.* subsumptam: Voluntas dandi gloriam propter merita, supponit merita prævisa, si sit *executiva*, C. si *intentiva*, N. & dist. consequens eòdem modò. *Dices*: Etiam voluntate intentivâ voluit dare gloriam, ut coronam, & propter merita: ergo etiam voluntas intentiva, supponit merita prævisa; executiva enim, non aliâ ratione supponit merita prævisa, nisi quia est voluntas dandi gloriam propter merita.

R. N. conseq. Ad prob. N. ant. Quia velle dare gloriam propter merita, indifferenter se habet ad merita ante prævisa, & ad posteà prævidenda; voluntas autem dandi gloriam propter merita ante prævisa, est voluntas ex meritis mota, & consequenter procedens ex justitia, & hujusmodi est *executiva*: Voluntas verò dandi gloriam propter merita posteà prævidenda, est omninò liberalis, & gratuita, & nullatenùs ex meritis mota, & hujusmodi est *intentiva*. Ad tollendam omnem æquivocationem, nota, aliud esse, *gratis velle dare gloriam*: aliud, *velle illam dare gratis*. In prima enim propositione, conjungitur ly *gratis*, cum ly *velle*; in secunda autem, cum ly *dare*. Certum est autem, quòd Deus voluntate intétivâ *gratis vult* dare gloriam, sed non vult *dare illam gratis* seu sine meritis, sed per modum coronæ. Voluntate autem executivâ, nec *gratis vult dare*, nec *vult dare gratis*.

620 Opp. 5. Quandò finis intenditur ut corona & præ-

mium, non potest esse volitus, nisi post merita, saltèm prę-visa; corona enim & præmium, essentialiter pendent à meritis. *R.* quòd finis, sive habeat rationem coronæ, sive non, semper est ratio volendi media; quæ non eliguntur, nisi ex intentione finîs præamati. Undè dist. subjunctam ant. prob. Corona pendet à meritis, in executione & collatione, C. in intentione, N.

Opp. ult. contra 2. concluſ. Ex vi decreti intentivi, efficaciter determinatur Deus ad conferendam de facto gloriam in executione, cùm sit efficax, & versetur erga gloriam in executione conferendam: ergo superfluit executivũ. *Præterea*: Si daretur decretum executivum, redderetur frustraneum intentivum; id enim quod per istud determinatur, non fieret ex vi illius, cùm nunquàm pertingeret ad collationem gloriæ, quæ fieret ex vi decreti executivi. *R.* Deum efficaciter determinari, *radicaliter & intentivè*, ex vi decreti intentivi; non autem *executivè & in actu ultimo*: opus ergo est decretô executivô, quô in actu ultimo & *executivè* determinetur ad conferendam gloriam.

Ad 2. N. assumptum: Id enim quod decernitur per decretum intentivum, fit ex vi illius; non quidèm in ordine executivo sequenti, sed in ordine intentivo in quo est: Nec minuitur ejus efficacia ex consortio executivi; quęlibet enim intentio efficax, indiget multis actibus post se usque ad completam existentiam rei intentę, videlicèt, electione, imperiô, usû, & id genus, quin propterea aliquid efficaciæ deperdat intentio, imò per illos actus exequitur efficacia radicalis intentionis. *Nota* in fine, quòd inter prædestinationem seu electionem ad gloriam, & prædestinationem ad gratiam, in ordine executivo consideratas, hoc maximè interest, quòd prima, non est purè gratuita, sed pendet ex præscientia meritorum; secunda verò, est purè gratuita, & independens à meritis.

*** *** ***
*** ***
***

DIS-

DISPUTATIO III.

De effectibus Prædestinationis.

DUBIUM UNICUM.

Quinam sint Prædestinationis effectus?

621 PRima concl. Glorificatio, justificatio, & vocatio efficax, sunt effectus prædestinationis. Prob. *Tum* ex illo Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit :: hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Tum, quia ut aliquid sit effectus prædestinationis, requiritur, quòd sit à Deo volente dare gloriam, quòd detur ex sola intentione dandi gloriam, & quòd conducat ad gloriæ assecutionem; sed Deus confert de facto beatitudinem, justificat, & de facto vocat electum, ex intentione dandi gloriam, ad quam tandèm pervenit electus: ergo.

Secunda concl. Gratia interrupta per peccatum, etiam ut primò collata, est prædestinationis effectus. Prob. Quia cum effectu conducit ad finem prædestinationis, & influit in beatitudinem, cùm propter illam detur prædestinato specialis gradus gloriæ. De quo in Tract. de Pœnitentia.

622 Tertia concluſ. Vocationes inefficaces, non sunt prædestinationis effectus eliciti; sunt tamen imperati. Prima p. patet, quia cùm sint communes reprobis & electis, nec efficaciter & certisimè ad finem prędestinationis conducant; sunt à providentia generali ordinis supernaturalis. Secunda etiam p. constat, quia mediatè & dispositivè conducunt ad gloriam, cùm moveant (tametsi inefficaciter) ad actus meritorios illius, & emolliant cor hominis, ut tandèm Deo vocanti respondeat; sintque objectivè motivum humilitatis, & gratiarum actionis, juxta August. lib. 5. & 6. confess. cap. 14. & 15. ergo.

Quar-

Quarta conclus. Glorificatio, perseverantia finalis, justificatio, actus meritorii supernaturales, & auxilia efficacia ad hujusmodi requisita, sunt effectus prædestinationis electi. Quoàd 1.& 2.p.est communis; quoàd reliquas verò, est contra Illus. Godoy & M. Gonet; & prob. Quia justificatio, &c. in electis, conducunt ad finem prędestinationis, connectuntur infallibiliter, & sunt in eodē ordine cum illo: ergo.

623 Quinta conclus. Substantia prædestinati, est effectus imperatus & remotus prædestinationis illius, quanvis eliciatur à providentia naturali. Est frequentior inter Thomistas, contra RR. & quosdam ex nostris, ut Gonzalez, Serra, Contenson. Prob. Quidquid aliquò modò conducit ad effectionem vitæ æternæ, & fit ex intentione illius; est prædestinationis effectus, saltèm imperatus; hujusmodi est substantia prędestinati: ergo. Min. quoàd 1.p. patet, quia est causa efficiens actuum, quibus ille justificatur, & gloriam promeretur, imò & visionis beatificę, quam, mediante intellectu elevatò lumine gloriæ, elicit; potestque esse motivum gratiarum actionis, pro creationis & conservationis beneficio: ergo.

Quoàd 2.verò p.prob. Nam sic fieri, congruit extensioni & perfectioni prędestinationis in providendo, commendat amorem Dei erga electos, & curam specialem quam de illis habet. *Deinde*, sic fieri, minimè repugnat: *Tum*, quia ex vi decreti quò electus fuit Christus ut sit filius Dei naturalis, fuit factus Christus, ut homo; qui est prædestinationis subjectum, ut docetur in Tract. de Incarn. *Tum*, quia non implicat, quòd substantia prædestinati, supponatur in genere causæ materialis ad voluntatem dandi gloriam; & quòd in genere causę finalis & efficientis, ab ea procedat; sicut substātia genita, est subjectum generationis, per quam causatur: Et ultima dispositio ad formam, procedit effectivè ab ista.

624 Ultima concl. Permissio peccati (denegatio scilicèt auxilii efficacis ad illud vitandum) in electis, est effectus imperatus prædestinationis eorum. Est communis Thomist. quibus adhærent Molina, Suarez, Granados, & alii, contra Vazquez, aliosque RR. Prob. *Tum*, ex August. de

cor-

correp. & gratia cap. 9. dicente: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, usqueadeò prorsùs omnia, ut etiam si qui eorum deviant, & exorbitant; etiam hoc ipsum, eis facit proficere in bonum, quia meliores redeunt, atque cautiores.* Idem docent Ambros. Greg. & alii PP. passim.

Tum ex D.Th. 1.2.q.79. a.4. ubi ait: *Ex divina misericordia, exæcatio ad tempus, ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excæcantur; sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solùm, quibus omnia cooperantur in bonum.* Tum rat. Nam quod volibile est à Deo, & conducit ad finem vitæ æternæ, vult Deus propter talem finem, ac proindè est prædestinationis effectus; sed hujusmodi est permissio peccati: ergo. *Et* hinc inferes, quòd permissio peccati, eligitur etiam ex fine pœnitentiæ prævolitæ; cùm enim hæc sit medium proximum ad finem vitæ æternę; habet etiam rationem finis intermedii respectu medii remoti, scilicèt, permissionis peccati.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

625 Opp.1.contra 1.Quia prædestinatio est de mediis; at glorificatio est finis: ergo hæc non est illius effectus. *R.* prædestinationem esse de mediis, in ordine ad finem; unde, tàm finis, quàm media, sunt illius effectus; media quidèm, immediatus; finis autem, mediatus.

Opp. 2. contra 2. Nam gratia peccatô interrumpenda, ut primò collata, est beneficium commune reprobis, & electis. *Præterea*: Gratia collata Adę in statu innocentiæ, non fuit effectus prædestinationis illius, cùm non supponeret peccatum prævisum, & consequenter nec prędestinationem Christi, nec proindè ipsius Adę: ergo idem de gratia collata aliis, &c. *Ad* 1. dist. ant. Materialiter, & secundùm se sumpta, C. formaliter, & quatenùs in electis descendit à voluntate dandi illis gloriam tanquàm coronam, eorum meritis correspondentem, N.

Ad 2. imprimis, N.ant. Ad prob. dicatur, prędestinationem Christi, etiam sub ratione redemptoris, fuisse ante prævisum peccatum; quod probabilius judicamus. *Admissô* tamen oppositô, N. conseq. Quia talis gratia, in Adam non sup-

ſupponebat hujus prædeſtinationem, ſicut in reliquis. *Ut aliis* argumentis occurras, nota, quod gratia ab intrinſeco & ex natura ſua habet perducere in gloriam, cujus eſt principium & radix: Semèl tamen interrupta, eget pœnitentiâ tanquàm conditione, ut iſtâ recuperata, in gloriæ finem perducat: ſicut forma ſubſtantialis eget unione, ut cõpoſitum conſtituat. *Nota* etiam, quòd gratia interrupta, cùm in electis ſit recuperanda; manet ſemper in acceptatione divina in ordine ad finem gloriæ, ad quem re verâ perductura eſt; undè moraliter (etſi non phyſicè) continuatur cum aliis prædeſtinationis effectibus.

626 Opp. 3. cont. 3. Imprudentis eſt, ex efficaci intentione finîs, imperare media quę ſcit eſſe inefficacia ad illũ obtinendum: ergo. *Reſp.* Vocationes ſimpliciter inefficaces ad obtinendum finem, eſſe efficaces ſecundùm quid, ad actus ſcilicèt minùs perfectos. Prudentis eſt ergo, illas imperare, ut per eas paulatìm emolliatur cor hominis, & diſponatur ad perfectam converſionẽ; quanvìs imprudentis eſſet, media omnimodè inefficacia, imperare ex efficaci finîs intentione.

Opp. 4. contra 4. Juſtificatio, &c. communia ſunt reprobis & electis: ergo. *Reſp.* ut ſuprà, quòd prædicta, ut infallibiliter ducunt ad gloriam, non ſunt communia reprobis, &c. & hâc ſolâ ratione eliciuntur à prædeſtinatione; licèt materialiter & ſecundùm ſubſtantiam, communia ſint, & elici poſsint à providentia generali ſupernaturali. *Nota* hîc, ut aliis occurras, auxilia ſufficientia nihil ex ſe habere, infallibiliter cum gloria connexum, aut jus ad illam fundans; undè ad providentiam generalem, &c.

627 Opp. 5. contra 5. D. Th. Rom. 1. lect. 3. dicentem: *Relinquitur ergo, quòd prædeſtinatio dicitur propriè illorum ſolùm, quæ ſunt ſupra naturam.* Prætereà 3. p. q. 1. a. 3. ait, *quòd prædeſtinatio ſupponit præſcientiam futurorum*: ergo ſupponere debet ſubſtantiam prædeſtinati, prævìſam futuram. *R.* ad 1. loqui de ſolis effectibus elicitis, ut ſatìs îndicat ly *propriè*. Ad 2. R. prædeſtinationem ſupponere pręſcientiam futurorum, in genere cauſæ materialis duntaxàt; non autem ſimpliciter & in omni genere; loquitur enim de pręcedentia

pec-

peccati Adæ, ad prædestinationem Christi, ut ex littera constat.

Opp.6. contra eandem: Quia substantia prędestinati esset primus effectus prædestinationis, cùm nihil sit prius substantiâ rei; at hoc repugnat PP. asserentibus, contra Pelagianos, primum prædestinationis effectum, esse gratiam vocationis, quæ non potest cadere sub merito: ergo. *Resp.* Patres loqui de primo effectu elicito; substantia autem prædestinati, est primus imperatus.

Opp.7. contra eandem: Prædestinatio nostra, cùm sit posterior prædestinatione Christi, quæ dependet à prævisione peccati originalis, istam supponit; at peccatum originale supponit substantiam omnium prædestinatorum: ergo. *R.* Christum D. fuisse decretum, in remedium peccati prævidendi, seu permittendi: Enim, ut manifestaretur gloria & efficacia meritorum Christi, voliti ut redemptoris; permissum est peccatum in signo sequenti, ut frequentiùs docent Thomistæ 3. p. q. 1. art. 3. Undè argumentum non procedit.

628 Opp.8. contra eandem: Providentia naturalis (per quam substantia prædestinati producitur) præcedit prædestinationem; sicut natura præcedit gratiam: ergo. *Præt.* Voluntas generalis salvandi omnes, supponit eorum substantiam, cùm supponat voluntatem eos creandi; at, cùm sit antecedens, præcedit prædestinationem: ergo hęc supponit substantiam, &c. *Resp.* ad utrunque, providentiam naturalem, & voluntatem salvandi omnes, antecedere quidèm prædestinationem in genere causæ materialis; sed subsequi in genere causæ finalis: Nec voluntas illa salvandi omnes, vocatur *antecedens*, quia præcedat; sed quia versatur erga objectum, secundùm se & præcisivè à circunstantiis inspectum, ut docet D. Th. q. 19. a. 6. ad 1. Sanè, cùm ûtraque voluntas, efficax, & inefficax, sit Deo libera; potest, quam maluerit, priùs habere.

Opp.9. contra ult. concluſ. fundamentum Vazquez: Omnis enim effectus prædestinationis, est gratia Dei, imò gratia per Christum; quod permissioni peccati repugnat, cùm sit

sit gratiæ denegatio, nec istam Christus promeruerit prædestinatis. *Prat.* Si Christus meruerit hominibus permissionem peccati; posset illam à Patre postulare, adeòque & nos idem possemus; at hoc videtur absurdum: ergo. *R.* permissionem peccati, esse gratiam Dei; non quidèm intrinsecè, & ratione sui (cùm hôc modô sit gratiæ carentia;) sed quatenùs extrinsecè ordinatur à Deo, ut prædestinatus humilior resurgens perseveret in gratia: & hôc modô, derivatur à volitione efficaci pœnitentiæ, & humilitatis, ac intentione dandi gloriam: & proùt sic, est ex meritis Christi, & potuit Dominus illam postulare. Nec propterea id nobis licet, aut illam desiderare; quia non est effectus à Deo prædiffinitus, nec prædiffinibilis, & per se ad damnationem tendit: solùm ergo potest à nobis voluntate quâdam resignativâ sufferri. In Christo potuit esse talis postulatio absque desiderio & volitione; secùs in nobis.

629 Opp. 10. Non est prudentis provisoris, permittere majus malum ex fine minoris boni; at peccatum, cùm juxta aliquos sit simpliciter infinitum, majus malum est, quàm sit bonum vitæ æternæ, quod finitum est, juxta omnes: ergo. *Prat.* Peccatum, etsi conducat ad finem vitæ æternæ sicut permissio, non est prædestinationis effectus: ergo. *R.* ad 1. maj. esse veram, loquendo de provisore inferiori & dependenti, in cujus videlicèt arbitrio, permissio mali, solùm posita est sub fine certo & determinata ratione. Deus autem, quia supremus & independens provisor est, potest, pro suo arbitrio, mala permittere ex quocunque bono fine, & quidèm prudentissimè. *Ad* 2. dicatur, peccatum non esse volibile à Deo, & consequenter nulla est paritas. *Dices*: Ergo saltèm materiale peccati, erit prędestinationis effectus, cùm volibile sit à Deo, & conducere possit, &c. quod tamen videtur absurdum, aliàs posset ab hominibus postulari, & desiderari. *R.* dictum jam esse, non omnem prædestinationis effectum, posse à nobis desiderari & postulari, sed illum duntaxàt, qui ex se conducit ad beatitudinem; cujusmodi non est materiale peccati, cùm sit subjectum malitiæ, per se ducentis in damnationem.

Opp.

Opp.11. contra Corollarium: Nam cùm pœnitentia sit connexa cum peccato, si ex fine pœnitentiæ prævolitę, vellet Deus permittere; vellet & peccatum. *R.* pœnitentiam, eandem connexionem habere cum peccato, sive istud ante, sive post ipsam, prævideatur. Argumentum ergo nimis, & contra omnes, probat: Undè pro omnibus dicendum est, peccatum, connecti quidèm cum pœnitentia, & inferri ex illa (sicut ex permissione, & decreto permissivo) illatione logicâ, quin Deus volens pœnitentiam, permissionem, & decretum permissivum, complacensque in illis; velit peccatum, aut in eo complaceat: quia videlicèt, peccatum non est à Deo volibile.

630 Tandèm opp. Pœnitentia, juxta Damasc. *est bonum occasionatum*, id est, cujus positio supponit aliquod malum, ad quod destruendum eligitur: ergo. *R.* id esse verum, ordine executionis inspectô; intentivè tamen, est bonum per se amabile, ex cujus videlicèt amore, permitti potest malum. *Vel* dic, esse bonum occasionatum, respectivè ad voluntatem creatam, à qua per se intendi non potest, quia aliàs vellet peccatum; secùs respectu voluntatis divinę, à qua per se intendi potest, propter sæpè prædicta.

631 Ex dictis colliges, permissionem peccatorum in reprobis, esse effectum prædestinationis electorum, cùm ad istorum bonum & fructum spiritualem conducat. *Quia etiam mala peccatorum, in bonum justorum cedunt*, inquit D.Th. Rom.8.lect.6. *Occurrebat* hìc famosa illa controversia, de modo conciliandi libertatem nostram cum certitudine divinæ prædestinationis. An scilicèt, ad hujusmodi concordiam, opus sit scientiâ mediâ; an sufficiat efficacia ipsa divini decreti prædiffinitivi, omninò antecedentis exercitium nostræ libertatis? Hoc secundum, non semèl pro viribus, cum D.Th. & universa ejus Schola, propugnavimus. Nè igitur acta agamus, hàc disputatione omissâ, sit

DIS-

DISPUTATIO ULTIMA:

De Reprobatione.

DUBIUM UNICUM.

De quidditate, motivo, & effectibus Reprobationis.

656 REprobatio, cujus existentiam fides prædicat, est, *Præscientia, seu providentia, de his qui ab æterna vita excluduntur, cum voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Sic Cajet. communiter receptus ex D.Th. hîc a.3. Affinis est huic diffinitioni, illa quam affert Mag. in 1. dist.40. in fine: *Præscientia malitiæ, in quibusdam non finiendæ; & præparatio pœnæ, non terminandæ.* Quibus satis firmatur, reprobationem esse partem objectivam providentiæ, & in actu imperii, connotante decretum efficax voluntatis, sitam esse. Nec contra hoc potest fieri argumentum quod, ex dictis de prædestinatione, solutum non sit. Et hæc de quidditate reprobationis dicta sint. Quantùm verò ad motivum, & effectus, sit

632 Prima concluſ. Reprobatio, proùt dicit exclusionem à gloria tanquàm beneficio indebito, (*reprobationem negativam* vocant,) prævisa demerita non supponit, nè originale quidèm peccatum; benè tamen, proùt includit voluntatem puniendi, & infligendi pœnam; quâ ratione, *reprobatio positiva* nominatur. Traditur expressè quoàd omnes pp. à D.Th. in 1. ad Anibal. dist.41. q.un. a.3. his verbis: *Voluntati divinæ de salute hominis, duplex voluntas videtur opponi; scilicèt, voluntas de contradictorio, secundùm quam vult aliquem non salvari; & voluntas de contrario, secundùm quam vult aliquem damnare. Prima quidèm voluntas, non requirit aliquam rationem ex parte voliti, cùm salus hominis, non sit debita naturæ humanæ; non enim requiritur ratio, quare non det alicui,*

cui, cui dare non debeo: sed voluntas damnationis, respicit rationem voliti ex parte damnati; cùm damnatio, ex debito inferatur.

Prob. quoàd 1.p. ex illo Apost. Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictũ est*, Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Quibus*, Jacob & Esau, in typum & figuram omnium electorum & reproborum, assumit; & ad hunc sensum, verba Prophetæ elevat. Videatur August. Epist. 105. q. 2. Undè, an Esau fuerit reprobatus à vita æterna (quod frequentiùs docent PP. & non leviter exprimitur Hebræ. 12. ubi inter peccatores & impœnitentes numeratur:) Vel solùm à temporali hæreditate repulsus? nihil refert ad propositum. Quare D. Th. Rom. 9. lect. 2. optimè ait: *Sicut dilectio, de qua hic loquitur, pertinet ad æternam Dei prædestinationem; ita odium, de quo hic loquitur, pertinet ad reprobationem quà Deus reprobat peccatores; nec est dicendum, quod ista reprobatio est temporalis.*

Prob. deindè ex increpatione, quam in conquerentes extemplò subjungit Apost. *Homo tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Ergo non aliam rationem hujus mysterii assignat Apostolus, quàm Dei voluntatem: & sicut nulla supponit merita pro electione; ita nec demerita, aut massam peccatô corruptam, pro reprobatione: sicut in massa luti nihil supponitur, nisi quod est indifferens, & formabile ad voluntatem figuli. Et ità expresè tenent PP. passim. Audiatur eorum vox Angelicus Doct. hìc a. 5. ad 3. *Quare* (inquit) *hos elegit in gloriam, & illos reprobavit; non habet rationem nisi divinam voluntatem. In ea* (inquit Aug.) *requievit Apostolus. Nemo quærat à me occultorum rationem.*

633 Quòd autem, nec supponat reprobatio negativa peccatum originale prævisum; convincitur contra Gonet: Effectus reprobationis, nequit esse causa & motivum illius; at permissio originalis peccati, est primus reprobationis effectus, ut ex ipsa diffinitione reprobationis colligitur: ergo. *Præt.* Deus, cùm sit ordinatè appetens, priùs in-

ten-

tendit finem, quàm media ad illum ordinata; sed permissio peccati nunquàm remittendi, est medium ad finem reprobationis, nempè exclusionem à gloria: ergo priùs Deus intendit excludere homines à gloria, quàm permittere peccatum originale.

Ultima p. concl. constat: Repugnat enim æquitati divinę, quòd decernat punire & infligere ullam pœnam, nisi propter culpam prævisam; pœna enim est correlativa culpę, quam necessariò præsupponit. Undè August. lib. 3. contra Jul. cap. 8. *Bonus est Deus, justus est Deus: Potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis damnare, quia justus est.* Et Tertul. lib. 2. contra Marcionem: *Deus ex se ipso bonus est, ex nobis justus*, justitiâ nempè vindicativâ, occasione sumptâ ex peccatis nostris. *Deus enim* (inquit Damasc. lib. 2. fidei cap. 26.) *ex se ipso movetur ad miserendum, ad puniendum, non nisi ex nostra præsuppositâ culpa.*

634 Secunda concluſ. Permissio peccati nunquàm remittendi, denegatio gratiæ efficacis, & ipsa damnatio, sunt effectus reprobationis. Prob. Ut aliquid sit reprobationis effectus, requiritur, quòd sit à Deo, quòd conducat ad finem reprobationis, & quòd ex intentione talis finis sit à Deo volitum, & præparatum; atqui hæc triplex conditio convenit tribus præfatis, ut patet, Deus enim permittit quoddam cadere in peccatum, & illis auxilium efficax, ad resurgendum necessarium, denegat; & tandèm, illos in peccatis morientes punit ex fine reprobationis, qui est manifestatio justitiæ: tria etiam prædicta conducunt ad talem finem: ergo. *Hinc* constat, peccata non esse reprobationis effectus, ob defectum, scilicèt, primæ & principalis conditionis, culpa enim non est à Deo.

635 Tertia concluſ. Bona naturalia, & multò minùs supernaturalia, reprobis collata, non sunt reprobationis effectus. Est communis Thomistarum, licèt quantùm ad substantiam reprobi, oppositum teneant Mag. Ferre & PP. Salmant. innixi unicæ paritati de substãtia prædestinati. Sed, pace illorum dictum sit, latum est inter utrunque discrimen. Nihil enim incônvenit, substantiam fini prædestinationis, sci-

scilicèt glorię, subordinari; cæterum ad damnationem à Deo ordinari nequaquàm potest. Abutuntur quidèm reprobi substantiâ suâ, aliisque naturæ & gratię donis; hęc tamen minimè largitus est Deus eâ intentione, ut sint materies peccati, & occasio damnationis; sed potiùs ex voluntate antecedenti, quâ omnium salutem sinceriſsimè vult. *Nemo* (ait Prosper ad 3. object. Vincentianam) *à Deo creatus est ut periret. Ut nascantur homines, Conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.*

636 Ex dictis colliges, permissionem peccati, remittendi quoàd culpam & pœnam, non esse reprobationis effectum; benè verò, si non fuerit remissum quoàd pœnam temporalem. Prima pars est certa: quia peccata remissa, non redeunt per subsequentia, ut docetur 3.p.q.88.a.1. nec semèl dimissa, adducuntur in judicium. Secunda verò etiam patet, quia peccatum dimissum quoàd culpam, sed non quoàd temporalę pœnam, punitur in inferno pœnâ æternâ, etiamsi fuerit veniale, propter conditionem subjecti, ut expresè docet D.Th. in 4.dist.21.q.1.a.2.qa.3. per hæc verba: *In illis, non potest aliqua pœna dimitti, neque aliquis reatus tolli; cùm careant charitate, per quam, & culpa purgatur, & reatus tollitur. Et ideò culpa venialis in eis semper manebit, vel reatus ejus, etiamsi ante peccatum mortale, veniale dimissum fuisset quantùm ad culpam, manente reatu; & propter hoc æternaliter damnati de venialibus punientur.*

637 Non me latet, Mag. Joannem à S.Th. Godoy, Gonet, Contenson, aliosque existimare, D.Th. in 4. dist. 22. q.1.a.1.ad 5. oppositum docere, videlicèt, peccatum semèl dimissum quoàd culpam, & non quoàd pœnam temporalem, temporaliter in inferno puniri. Sed incredibile prorsùs est, D.Th. sententiam, tàm expresè præced. dist. assertam, retractasse in immediatè sequenti. Undè potiùs standum est Cajet. 1.2.q.87.a.5.ad 3.dicenti: *Nec oppositum putes, docuisse Authorem in 4. dist.22. q.1 a.1. ad 5. quoniam ibi reprehenditur sola similitudo causæ æternitatis pœnæ in veniali, & in hoc residuo, & benè dicitur: ut enim dictum est, in veniali causa est duplex, scilicèt, perseverantia culpæ, & status non satis-*

tisfactorius: in hoc residuo, causa est solus status; & ibi dissimilis ratio redditur quoàd primam causam; hîc verò, sola secunda causa, quæ communis est omnibus, ponitur. Hæc Cajet. Sententiam autem nostram tenent, præter Cajet. Conrradus, Medina, Alvarez, G. Martinez, Salmant. aliique.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

638 Ex dictis, ferè omnia argumenta quæ contra concluſ. ſtabilitas objici poterant, ſoluta manent. Ut autem teſtimonia Auguſt. quibus inſinuare videtur, peccatum originale eſſe motivum reprobationis negativæ, & quæ congerunt Gonet & Godoy, diluantur; ſcito, Auguſt. ſolùm velle, Deum, in executione, non inferre effectum ultimum reprobationis, vel intermedium obdurationis, niſi ob præcedens peccatum, ſaltèm originale. At non velle, Deum, in intentione, ſtatuiſſe excludere aliquem à gloria ob peccatum originale, cùm ante iſtud intelligatur permiſsio illius, quæ reprobationis effectus eſt, non motivum.

Vel dic cum Alvarez, diſp. 110. de Auxil. nunquàm dixiſſe Auguſt. quòd detur cauſa & motivum reprobationis ex parte noſtra, ſed tantùm, quòd detur cauſa obdurationis, ac derelictionis in peccato, & damnationis æternæ; quæ cauſa, eſt peccatum præcedens, ſaltèm originale. Undè Epiſt. 105. ait: *Quærimus cauſam prædeſtinationis, & invenire non poſſumus; quærimus cauſam derelictionis, & invenimus.* Sed nunquàm aſſeruit, dari cauſam primi effectûs reprobationis, qui eſt permiſsio peccati, vel originalis in parvulo, vel actualis ex quo adultus non reſurgit.

639 Tertiò dici poteſt, velle S. Doct. peccatum originale præviſum ante Verbi Incarnationem, fuiſſe cauſam ſufficientem ad reprobandum omnes homines; in quo differt à prædeſtinatione, reſpectu cujus, nulla datur cauſa ex parte noſtri, nè quidèm ſufficiens. Et per hoc occurrebat importunis Pelagianorum querelis, continuè obſtrepentium: cur Deus unum præ alio eligeret, alterum verò relinqueret, nullâ habitâ meritorum demeritorumque ratione. At dùm Auguſt. rem abſolutè tractat, ſemper ad occulta & inſcrutabilia Dei judicia recurrit. *Vel* dic tandèm, Auguſt. loqui de re-

reprobatione, proùt includit voluntatem infligendi pœnam.

Scito præterea, quòd licèt reprobatio, nomine *odii*, significetur Malac. 1. *Esau autem odiò habui*; non propterea peccatum prærequirit: ibi enim non sumitur odium strictè, sed latè duntaxàt, *inquantùm* scilicèt, *quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos òdio habere*, inquit D.Th. hîc a.8.ad 1. Et sic frequenter sumitur odium in Scriptura, ut idem sit *odisse*, ac *posthabere, negligere, & rejicere*, ut Lucę 24. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, &c.* Sextus igitur Tractatus hunc in modum absolutus sit.

TRACTATUS VII.

DE SACRATISSIMO TRINITATIS Mysterio.

A quæst.27. ad 43. 1.p. D.Th.

IAM primum Fidei Catholicæ Mysterium explicandum occurrit, in quo, ut ait Aug. lib. 1.de Trinit.cap.3. *Nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Nè autem scrutatores Majestatis opprimamur à gloria; sola Fide, veluti cynosurâ, & D.Th. nauclerô, in tantæ abysi decursu duci, in votis est. Fidei igitur prælucente lumine, & D.Th. Doctore & ductore, quatuor disputationibus, Tractationem istam, învia & inaccessa adorantes, absolvemus. Ac principiò statìm illa controversia veniet in mediũ, quæ fundamentum est cæterarum, de Processionibus divinis. Evestigiò sequetur altera de Relationibus. Succedet suô ordine tertia de Personis. Postremò de his, quę consequuntur divinas Personas, & de variis earũ acceptionibus, erit sermo. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Processionibus Divinis.

DUBIUM I.

Utrum dentur Processiones in Divinis?

640 CONclusio : Dantur in Deo Processiones reales ad intra. Hâc conclusione catholicâ (expressè traditâ Joan. 8.& 15. ubi dicitur, *Ego à Patre processi.* Et, *Cùm venerit Paracletus, qui à Patre procedit*) confutantur extremi errores Sabelli, & Arrii. Uterque enim accepit processionem in divinis, secundùm quòd est aliquid ad extra: Unde neuter posuit processionem in ipso Deo. Sabellius siquidèm accepit processionem, secundùm quòd causa dicitur procedere in effectum, dicens, ipsum Deum Patrem dici Filium, secundùm quòd carnem assumpsit ex Virgine, & tandèm dici Spiritum S. quatenùs creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam movet. Arrius autem accepit processionem, secundùm quòd effectus procedit à causa, dicens, Filium procedere à Patre, sicut primam ejus creaturam, & Spiritum S. à Patre & Filio, sicut creaturam utriusque. Arrianæ impietatis aliqua extant adhùc vestigia inter Ruthenos. Hæresim autem Sabellianorum, seu Patripassianorum, suscitavit Michaël Servetus, flammis propterea addictus Genevæ, procurante Calvinô.

641 Prob. concluſ. *Tum* ratione theologicâ: Quia Personæ divinæ, cùm sint ejusdem essentiæ, non nisi oppositione relativâ distinguuntur, ut dicitur in Florentino; oppositio autem relativa earum, fundatur in origine reali unius ab alia. *Tum* congruentiâ, quoàd processionem Verbi: Quia, cùm omnis processio sit secundùm aliquam actionem, & actio sit duplex, scilicèt, transiens, & immanens; sicut datur processio ad extra, dari debet & processio quædam ad intra

se-

secundùm actionem immanentem. Et hoc maximè patet in intellectu, cujus actio manet in intelligente; & ideo quicunque intelligit, hôc ipsô quòd intelligit, producit Verbum: Unde, cùm Deus sit intelligens, & quidèm supremus, debet Verbum producere; non egens, sed fœcundus, non ut intelligat (hoc enim supponitur habere per cognitionem essentialem) sed quia intelligit, & ex plenitudine exuberante.

642 Prob. deindè aliâ congruentiâ, quoàd processionem amoris personalis, seu Spiritûs S. Processio namque amoris, in suo conceptu formali, nihil aliud explicat, quàm impulsum in objectum; qui quidèm, puram dicit perfectionem, scilicèt, profusionem & communicationem, quæ summum bonum summè decet: ergo processio amoris in Deo absque imperfectionis labe admitti potest, & consequenter debet; in Deo enim non distinguuntur esse, & posse, cùm sit actus purus infinitus. Pro utriusque congruentię penetratione, notandum, quòd licèt processio Verbi & amoris in nobis, multis scateat defectibus; ab illis tamen omnibus defœcari potest secundùm suam pręcisam rationem formalem; de ratione siquidèm verbi, præcisè est, manifestare rem cognitam intelligenti, dum loquitur intra se; & de ratione formali impulsûs, solùm est profusio & communicatio. Ex D. Th. 4. cont. Gent. cap. 7. & 17. Vide Illust. Marinis hîc, cap. 1.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

643 Opp. 1. Quælibet Persona divina, est ens à se & primum principium: ergo nulla ab alia procedit; quod enim ab alio procedit, ab alio est, illudque supponit. *Si dicas*, enti à se, & primo principio, repugnare quidèm, esse ab alio, ut à causa & extraneo in natura; personam autem procedentem, esse ab alia, subsistente in eadem natura, & tanquàm à principio originis, omni dependentiâ & causalitate seclusâ: *Contrà est*, primò: Nam dependentia sequitur ex productione, quia enim una res producitur ab alia, dependet ab ea; at persona procedens, verè producitur: ergo. *Secundò*: Cum identitate naturæ, stat distinctio in personalitate: ergo cùm hæc verè producatur in persona procedente, hæc de-

pendebit in personalitate, licèt non in natura. *R.* ad 1. dependentiam sequi ad solam productionem secum ferentem diversitatem in natura; dependens enim, inferius esse debet in natura, & consequenter diversum ab eo à quo dependet. *Ad* 2. N.conseq. dependentia enim consequitur ad productionem, quando id quod producitur, distinctum est à natura producentis: personalitas autem personæ productæ, est realiter êadem cum natura personæ producentis. *Dices*: Procedere ab alio, importat, non posse esse sine illo: ergo intelligi nequit processio sine dependentia procedentis à producente. *Neg.* conseq. Nam ad dependentiam unius ab alio, requiritur quòd non possit esse sine illo, ratione subordinationis; aliàs, & Omnipotentia à possibilibus, & unum relativum ab alio, dependêret: subordinatio autem, necessariò exigit diversitatem in natura.

644 Opp.2. contra 1.congruentiam, Arist. 9. Metaph. & 1. Ethic. docentem, hoc esse discrimen inter actionem immanentem, & transeuntem, quòd *per istam, est aliquid operatum; per illam verò, nihil*: ergo non datur duplex processionis genus, ad extra, & ad intra. *Illud*, præterea, *Quicunque intelligit, &c.* falsum esse, constat in visione beata, & in ipsa intellectione Filii, & Spiritûs S. à quibus Verbum non procedit. *R.* ad 1.cum Cajet.hîc §. *Ad* 1.*dub.* differentiam illam, inter actionem immanentem & transeuntem, intelligendam esse, vel *quoàd necessitatem*, vel *quoàd ordinem*, id est, operatio transiens habet necessariò operatum, ad quod ordinatur; immanens autem, non necessariò infert aliquid operatum, potest tamen illud inferre, ex repetitis enim actibus immanentibus generantur habitus; ad illud tamen non ordinatur, sed illud potiùs ordinatur ad illam. Intellectio ergo, nec necessariò producit Verbum, nec quando format, ordinatur ad illud, sed econversò. *Ad* 2. *R.* Illud principium non distribuere pro omni intellectione, nec pro quocunque supposito naturæ intellectivæ; sed pro omni intelligente: Quod sufficit ad laudatam congruentiam.

DU-

DUBIUM II.

In quo consistant Processiones divinæ?

645 CONclus. *Processiones divinæ activæ, non sunt emanationes immediatæ à natura divina, nec relationes termini producti, aut principii productivi; sed sunt formaliter actus intelligendi, & volendi, modificati per relationes principiorum quas connotant.* Quoàd 1.p. est cont. Durand. cujus sententia malè apud Theologos audit, & meritò: *Tùm*, quia Script. CC. & PP. passim appellant secundam Trinitatis Personam, *Verbum*, & *Sapientiam genitam*, tertiam verò, vocant *Charitatem*, & *Amorem*; at processio Verbi & Sapientiæ, est per intellectum, & processio Amoris, per voluntatem: ergo. *Nec* valet quod ait Durandus, locutiones illas esse metaphoricas. *Tùm*, quia D. Th. infrà q. 34. à 1. ad 1. asserit: quòd *Arriani* (*quorum fons Origenes invenitur*) *conati sunt, quia Filius Dei Verbum dicitur, astruere, non esse propriè dictum.* Tùm, quia evasio dat ansam Hæreticis negandi hoc Mysterium, & omnia Script. testimonia, sensibus tropicis & metaphoricis eludendi. *Tùm*, quia nec secunda Persona diceretur propriè Filius; quia illa, juxta Aug. 7. de Trinit. *eò est Filius quò Verbum, & eò Verbum quò Filius.*

646 Rejicitur prætereà sententia Durandi: Quia nulla posset assignari ratio, quare in Deo sint duę tantùm processiones, cur una præcedat alteram, & cur Verbum ab una tantùm Persona, & Spiritus S. à duabus procedat. *Postremò*: Nulla esset ratio, cur una processio sit generatio, non autèm altera, cùm ûtraque Persona ex eadem natura immediatè & eôdem modô procederet: Quæ omnia, veritati mysterii repugnant prorsùs.

Secunda p. concluſ. prob. contra Albertinum: Quia generatio, quę est processio activa Filii, non stat formaliter in filiatione, quæ est relatio termini producti: *Tùm*, quia *generatio, aliò nomine, dicitur paternitas*, juxta August. & D. Th. *Tùm*, quia, cùm sit actio immanens elicita à potentia gene-

ra-

rativa Patris; manet in Patre : filiatio autem, non est in Patre. *Tandèm*, quia generatio est fundamentum paternitatis; ideò enim Pater, est Pater, quia generat ; at filiatio non est fundamentum paternitatis, cùm sit relatio oppositа paternitati, nec sit in Patre: ergo.

647 Tertia p.prob.contra RR.Societ. *Tùm* ex D.Th. hîc docente , utranque processionem activam (generationem scilicèt , & spirationem activam) esse actionem immanentem ; & q.2. de pot. a.5. dicente : *Generatio significat actionem cum aliquo respectu, & potentia generandi significat potentiam cum respectu : unde ipsa generatio , est Dei actio, proùt Patris tantùm ; & similiter ipsa potentia generandi, est Dei Omnipotentia, sed proùt Patris tantùm* : ergo generatio non stat formaliter in ipso respectu , seu Paternitate , sed in actione immanente, connotatâ Paternitate. *Tùm*, quia sicut potentia generandi, importat virtutem seu activitatem ad producendum terminum : sic generatio , actualem termini productionem : ergo si illa est quid absolutum , connotatô respectû; ità & ista. *Præt.* Sicut generatio est propria Patris, illum distinguens à Filio : ità & potentia generandi; æquè enim implicat, *Filium generare se ipsum*, &, *posse se ipsum generare*: ergo si nihilominùs, potentia generativa est quid absolutum cum respectu , seu connotatâ paternitate : idem de generatione dicendum est.

648 Ult.p.concluſ. constat ex dictis: Processiones enim activæ, sunt actus immanentes intellectûs & voluntatis, ut contra Dur. communiter defenditur ; sed hujusmodi actus, non stant formaliter in solis terminorum aut principiorum relationibus, ut modò ostensum est ; nec in actibus distinctis ab intellectione & volitione, ut placuit Scoto, Molinæ, & aliis; omnis enim actus intellectûs, cùm sit attingentia intentionalis objecti intelligibilis, est formaliter intellectio: undè, *dicere*, est intelligere exprimendo , vel exprimere intelligendo ; & idem dicendum de actibus voluntatis : ergo stare debent formaliter in actibus ipsis intelligendi & volendi. Contra sent. Scoti vide Cajet. hîc optimè ad hominem differentem. *Quòd* autem processiones activæ non sint actus in-

intelligendi & volendi, nudè sumpti, sed modificati principiorum relationibus; indè convincitur, quòd aliàs essent communes tribus divinis Personis. Eadem tamen intellectio, absque virtuali multiplicatione conceptûs intelligendi, dicitur *notionalis*, dùm modificatur Paternitate; & dicitur *essentialis*, dùm intelligitur præcisivè à tali modificatione. Et idem proportionaliter dicendum est de volitione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

649 Opp. 1. cont. 1. p. fundamentum Durandi: Relationes quibus multiplicantur Personæ, sunt proprietates naturæ divinæ: ergo immediatè, & non mediis actionibus productivis, ab ista dimanant, sicut reliquæ proprietates. *R.* relationes activas, esse proprietates naturæ divinæ, ut communicabilis; non autem, secundùm se sumptæ, & præcisivè à communicabilitate: Tales autem proprietates, non procedunt à natura, nisi mediâ actione.

Opp. 2. cont. 2. p. fundamentum Albertini: Filium gigni, & Patrem gignere, idem sunt in divinis; at Filium gigni, est quid formaliter indistinctum à filiatione: ergo & Patrem gignere, importat ipsam filiationem. *Præt.* D. Th. infrà, q. 41. a. 4. docet, *esse in Deo rationem potentiæ, respectu actuum notionalium; non autem respectu essentialium*: ergo actus notionales realiter procedunt à potentia, ac proindè ab ea realiter distinguuntur: ergo actus notionalis, seu processio activa, in sola relatione termini producti stare potest, cùm sola hæc realiter distinguatur à principio producente, & illi relativè opponatur. *R.* ad 1. quòd *Filium gigni, & Patrem gignere*, sunt quidèm realiter idem, secundùm id quod important in recto, id est, secundùm omne prædicatum absolutum; at, secundùm id quod dicunt in obliquo, non sunt realiter idem: Etenim, Filium gigni, importat de connotato filiationem, sicut Patrem gignere, Paternitatem. *Ad* 2. *R.* mentem D. Th. esse, quòd potentia notionalis, est realiter productiva; non quidèm actûs notionalis, sed termini illius; in quo differt à potentia essentiali, quæ nullius actûs, nulliusque termini, est realiter productiva ad intra.

650 Opp. 3. cont. 3. p. Juxta Mag. & D. Th. infrà q. 41. art.

art. 1. ad 2. *Generatio & nativitas, aliis nominibus, dicuntur Paternitas & Filiatio*: ergo cùm generatio sit ipsa processio activa Filii; hæc, aliô nomine, dicetur *Paternitas*: ergo solô nomine differt à Paternitate. Prę. *Actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principii ad personam quæ est à principio; quę quidèm habitudo est ipsa relatio, seu notio*, ut ibidèm dicit D.Th. ergo processio activa, seu actio personalis, est ipsa relatio principii productivi. *Tandem*, q. 9. de pot. a. 9. ad 3. docet, quòd *generare, sicut & generari, non significant aliquid absolutum, sed solam relationem*: ergo idem. *R.* ad 1. sensum esse, quòd generatio connotat paternitatem, ità ut sine istâ intelligi non possit. Et idem dicendum est de nativitate respectu filiationis. Distinguatur ergo utrunque conseq. ergo processio activa Filii, secundùm quòd dicit de connotato seu in obliquo, aliô nomine dicitur Paternitas, & ab istâ solô nomine differt, C. conseq. secundùm quòd generatio seu processio dicit in recto, N. conseq. *Ad* 2. R. quòd dùm dicit; *habitudines personales esse ipsas relationes*, vel loquitur de habitudinibus, sumptis inadæquatè; vel de ipsis secundùm rem, & non secundùm nostrum modum concipiendi: nam secundùm istum, tàm actus ipsi, quàm relationes, debent seorsim significari, ut ibidèm subjungit S.D. *Hinc* patet solutio ad id quod sæpè asserit D.Th. scilicèt, *actus notionales, ex solo modo significandi, differre à relationibus*; sensus enim est, relationes importari essentialiter (etsi in obliquo) in actibus notionalibus, proùt ab essentialibus distinguuntur. *Ad ult.* quòd *generare*, solam relationem significat, si sumatur inadæquatè, & contrapositivè ad *generari*; secùs si sumatur adęquatè, & quatenùs etiam cum prædicatis absolutis convenire potest.

651 Opp. 4. cont. eandem: De illo solo prædicato verificatur quod sit formaliter generatio, quô intellectô, & aliô quocunque seclusô, intelligitur Pater actu generans; at intellectâ Paternitate, intelligitur Pater actu & exercitè generans, & illâ non intellectâ, intelligi non potest actu generans: ergo sola Paternitas est formaliter generatio. *Prat.* Cùm essentialia priùs intelligantur, quàm notionalia; intel-

telliguntur, antequàm intelligatur generatio: ergo ſola Paternitas eſt formaliter generatio. *R.* ad 1. N.maj.quælibet enim res conſtat ex prædicatis quaſi communibus, & ex prædicatis quaſi differentialibus: Unde, ut intelligatur generatio adæquatè conſtituta; non ſola paternitas, ſed etiam intellectio (quæ dùm connotat paternitatem, conſtituit Patrem actu generantem) intelligi oportet. *Permiſſâ* deindè maj. N.min. Nam licèt Pater intelligi non poſsit actu generans, non intellectâ paternitate; benè tamen econversò: paternitas enim, etſi in divinis ſecum ferat actualem generationem; poteſt tamen intelligi ſub præciſa ratione relationis, ſeu reſpectûs, nullô modô conceptâ intellectione, ſub qua ratione, intelligitur generatio. *Ad* 2. N. conſeq. Cùm enim paternitas ſit connotatum eſſentialiter exactum, ut intellectio ſit generatio; hæc, ultra paternitatem, importat intellectionem. *Dices*: Generatio eſt ratio diſtinguendi Patrem à Filio, ut docet D. Th. q. 2. de pot. a. 2. ad 3. & conſtat: impoſsibile eſt enim, quòd aliquid generet ſe ipſum; at ſola relatio eſt ratio diſtinguendi Patrem à Filio: ergo in ſola iſta ſtat formaliter generatio. *Diſt.* maj. Generatio eſt ratio diſtinguendi Patrem à Filio, ratione recti quod dicit, N.maj. ratione connotati eſſentialiter importati, C.maj.min. & N.conſeq. Et inſtatur in potentia generativa, ut ſuprà.

652 Opp. tandèm pro Scoto: Dictio, & intellectio, reſpiciunt terminos formaliter diſtinctos, illa ſcilicèt, Verbum quod producit; hæc autem, objectum quod intelligit: ergo. *Inſuper*: Dictio reddit objectum formaliter dictum; intellectio verò, formaliter intellectum: habent ergo effectus formaliter diſtinctos. *Præterea*: In creatis, dictio præcedit intellectionem, ad quam ordinatur: ergo. *Adhæc*: Intellectio, cùm non ſit productiva termini, eſt de prædicamento qualitatis; dictio autem, de prædicamento actionis, cùm illum producat: ergo. *Ultrà*: Intellectus agens producit ſpeciem impreſſam actione quæ nullô modô eſt intellectio: ergo & patibilis ſic producit Verbum. *Poſtremò*: Verbum divinum procedit ex cognitione divinæ eſſentiæ, poſsibilium, &c. ergo aliqua importatur

cau-

causalitas, & consequenter distinctio, inter cognitionem, & processionem ejus activam, id enim innuit ly, *ex.*

R.ad 1.N.ant. Cùm enim Verbum producatur, ut in illo cognoscatur & contempletur objectum; idem est terminus formalis dictionis, & intellectionis, nempè, objectum in verbo expressè cognitum. Ad 2. N. conseq. Cùm enim objectum dicatur mentaliter intellectione expressâ illius; idem est, objectum esse formaliter dictum, ac esse formaliter cognitum. *Ad* 3.R.quòd dictio,& intellectio,sunt conceptus inadæquati ejusdem actûs indivisibilis intelligendi; undè dictio, virtualiter inadæquatè duntaxàt, præcedit intellectionem, ad istamque ordinatur. *Ad* 4. dicatur,dictionem & intellectionem esse de prædicamento qualitatis, & utranque Verbum producere; nostris tamen inadæquatis conceptibus, explicamus intellectionem, quatenùs Verbi productivam, nomine *dictionis*; & quatenùs objecti contemplativam, nomine *intellectionis*,seu *contemplationis*.Actio autem de prædicamento actionis, est formaliter transiens secum ferens motum physicum & passionem, quæ omnia, dictioni repugnant. *Ad* 5.R.quòd intellectus agens,non in se ipso,sed in patibili,producit speciem,quæ datur per modum formæ intelligibilis ad intelligendum; undè per illam non potest informari ad intelligendum.Patibilis autem,in se ipso producit Verbum, quod est terminus intellectionis,& expressio quædam quidditatis objecti intellecti: undè per intellectionem ipsam produci debet. *Ad* ult.quòd ly, *ex cognitione*,idem significat,ac ly, *per cognitionem*. Ac si dicatur, quòd cognitio est actio productiva, seu processio activa Verbi. Unde ly, *ex cognitione*, nullam indicat causalitatem à cognitione ad processionem.

DUBIUM III.

Quænam sint principia divinarum processionum?

653 COncluſ.*Principium quô radicale divinarum processionum,est divina Essentia,ut modificata per relationes paternitatis & spirationis activæ: proximum verò,*

in-

intellectus & voluntas, cum iisdem cõnotationibus. Militat contra quosdam RR. estque communis Thomist. quibus consentiunt Scotistæ,& præcipui RR.Societ. Prob. quoàd 1.p. Tùm authorit. Damasc.lib.1.de fide c.8.dicentis: *Generatio est naturæ, non sicut generantis, sed sicut ejus quô generat.* Tùm ex Joanne Theologo in Florent.sess.18.dicente:*Pater, naturæ suppositum est, sed generans; divina verò natura,principium generativum.* Quibus explicat principium *quod* generationis, quod est Pater; & *quô*, quod est natura divina;sed hæc non est principium *quô* proximum : ergo radicale.

654 Prob.rat.Nam essentia divina, cùm sit radix intellectûs & voluntatis, est principium *quô* radicale actuum intelligendi,& volendi, in quibus stant formaliter processiones, ut vidimus. *Quòd* autem essentia modificari debeat relationibus ut sit principium *quô* radicale,&c. constat:quia omne principium realiter productivum alicujus termini,debet ab isto realiter distingui, inadæquatè saltèm, & ratione alicujus connotati quô modificetur; at essentia divina nihil connotare potest realiter distinctum à terminis productis,nisi paternitatem, & relationem spirationis : ergo, &c. Essentia igitur divina,proùt in Patre,est principium radicale *quô* generationis; proùt in Filio, est principium radicale *quô* processionis passivæ Filii; proùt in Patre & Filio, est principium *quô* radicale processionis activæ Spiritûs S. & proùt in isto,est principium radicale *quô* processionis passivę illius. *Præt.* Principium radicale *quô*, &c. est id,in quo termini producti assimilari debent principiis producentibus; at non in relationibus assimilantur,sed in essentia, quæ eadem est in tribus Personis : ergo.

Si dicas 1. Filium etiam assimilari Patri in paternitate, cùm hæc sit idem realiter cum essentia in qua assimilantur: *Contra* est : Quia paternitas, ut distincta virtualiter ab essentia, non assimilatur Filio, imò opponitur illi : ergo proùt sic,non est principium radicale *quô*, &c. Solùm ergo dici potest principium *quô* radicale, proùt est idem realiter cum essentia; at hòc modô, est ipsa essentia. *Si dicas* 2. cum Herrera, similitudinem non debere intervenire inter ter-

terminum productum, & principium *quô* illius; sed inter principium *quod*, & illius terminum. *Contra* est: Nam similitudo identitatis inter principium *quod*, & terminum productum, nihil aliud esse potest, quàm identitas *in principio quô* radicali, cùm in proprietate personali opponantur & distinguantur: ergo solutio est nulla.

655 Secunda p. concluſ. infertur tùm ex 1. tùm ex dictis suprà contra Durand. Processiones siquidèm activæ non sunt immediatè à natura, sed mediô intellectu, & voluntate; at intellectus, & voluntas, solùm per modum principii *quô* proximi mediare possunt, cùm nec sint principium *quod*, nec *quô* radicale: ergo. *Quòd* verò modificari debeant relationibus paternitatis, & spirationis activæ; constat: Nam intellectus divinus, proùt in Patre, est principium *quô* proximum generationis, cùm potentia proxima generandi in propria sit Patris, sicut generatio. Similiter voluntas divina, proùt in Patre & Filio, est principium *quô* proximum processionis activæ Spiritûs S. potentia enim proxima spirandi, propria est Patris & Filii, sicut & spiratio ipsa activa.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

656 Opp. 1. Si essentia esset principium *quô* radicale generationis, v.g. verificaretur absolutè, quòd *essentia generat*; cujus oppositum habetur cap. *damnamus*, de sum. Trinit. Et prob. sequela, nam de principio termini qui generatur, verificari debet quòd generat. *R.* maj. esse falsam apud omnes; de solo enim principio *quod* generationis, verificatur absolutè quòd generat: essentia ergo solùm producit & generat, eô modô quô est principium, scilicèt, ut *quô*. Et instatur in paternitate, quam arguentes ponunt principium *quô*; nec tamen verificari potest absolutè quòd generat. *Si dicas*, de natura humana, anima, & intellectu, verificari absolutè quòd intelligunt; nec tamen sunt principia *quod* intellectionis, sed *quô* duntaxàt. *R.* 1. N. assumptum: Actiones enim sunt suppositorum; undè locutiones illæ, rigorosè non sunt, sed ad bonum sensum accipiuntur pro intelligente *quô*. Et sanè de ipsa essentia divina, & intellectu, frequenter dicimus, quòd intelligit, de qua negamus, quòd *generat*.

Undè

Undè R.2. quòd eſſentia divina, per ſe ſumpta, nihil habet per quod diſtingui poſsit à termino per generationem producto: undè, abſolutè dici non poteſt quòd *generat*. Anima autem, humanitas, & intellectus, ſufficienter, ſe ipſis, diſtinguuntur ab intellectione & hujus termino; quarè inconveniens non eſt, quòd abſolutè dicantur producere intellectionem, vel terminum illius.

657 Opp. 2. Principium *quod*, conſtituitur in ratione potentis producere, per ſolam relationem, cùm per iſtam, & non per eſſentiam, diſtinguatur à termino producto: ergo relatio eſt principium *quô*. *Præt.* Aug. 5. de Trinit. cap. 6. ait: *Ideò quippè Filius, quia genitus, & quia Filius, utiquè genitus*: ergo Pater ideò generans, quia Pater: ergo ſicut paternitate conſtituitur Pater, ità & generans. *Inſuper*: Poſſe generare, cùm ſit denominatio propria Patris; à ſola paternitate, quæ eſt forma propria Patris, ſumi debet. *Tandèm*: Poſſe generare, & poſſe ſpirare, ſumi debent à diverſis principiis, ſeu formis: ergo à relationibus, & non ab eſſentia, quæ unica eſt. *R.* ad 1. principium *quod*, conſtitui tanquàm per formam, per id quô eſt potens aſsimilare ſibi terminum productum; id autem à quo prôvenit diſtinctio, cùm hęc ſit quædam conditio ad producendũ, ſolùm in obliquo connotari debet. *Ad* 2. diſt. conſeq. Ideò generans, quia Pater, paternitate importatâ de connotato, C. in recto, N. *Ad* 3. R. Poſſe generare, ſeu potentiam generandi, eſſe proprium Patris, non ratione abſoluti quod dicit in recto, ſed ratione relativi quod importat in obliquo: ſumi ergo debet tanquàm à connotato, à relatione, quæ eſt propria Patris; ab eſſentia autem, tanquàm à forma. *Ad ult.* diſt. ant. A diverſis principiis, ſeu formis, totâ diverſitate ſe tenente ex parte connotati, C. ex parte recti, N. *Nota* hîc, ut aliis occurras, quòd cùm principium importet eſſentiam & relationem; ûtraque debet eſſe una, ut principium ſit unum.

658 Opp. tandèm: Propriæ actionis, eſt principium propria forma, ſicut homo per intellectum intelligit, quia hæc actio, eſt ſubjecti propria, ſicut forma intellectualitatis; ſed generatio eſt propria actio Patris, inquantùm eſt Pater: ergo hu-

hujus principium est paternitas, quæ est propria forma Patris, & non deitas, quę est forma communis: ergo R. cum D.Th. q.2. de pot.a.2. ad 5. Quòd *paternitas non est in Patre per modum formæ speciei, sicut humanitas in homine; sic enim in eo est divina natura: sed est in eo, ut ità dicam, sicut principium individuale; est enim proprietas personalis: & ideò non oportet, quòd sit generationis principium principaliter, sed quodammodò cointellectum, ratione superadditâ.* In hac quęst. præ oculis semper habendum est, 1. principium quò radicale, assimilari termino producto; principium autem *quod*, ab eo distingui. *Deinde*, distinctionem inter producens, & productum, esse conditionem ad producendum. *Demùm*, quòd potentia generandi, non est communis, sed propria, ratione relationis implicitæ.

DUBIUM IV.

Cur processio Verbi sit generatio?

659 SUpponimus ut fidê certum, duas tantùm esse processiones in Deo: quod ex dictis satis constat; processiones enim divinæ non possunt accipi nisi secundùm actiones immanentes: cùm ergo nulla excogitari possit actio immanens in Deo, quę non sit intellectio & volitio; planè relinquitur, nullam esse aliam processionem, quàm Verbi, & Amoris. Et sanè (ut evasio præcludatur) dari non possunt in Deo plures intellectiones, ex quibus oriantur plura verba; nec plures volitiones, ex quibus plures spirentur amores; Verbum siquidèm intellectûs divini, utpotè infinitum, est adæquatum conceptioni & scientię Patris quam exhaurit; ideòque dicitur, *Semèl loquutus est Deus*, quia omnia unicô verbô expresit. Et idem dicendum de amore infinito & perfectissimo, qui proindè unicus est. Vide D.Th. super cap.1. Joan. Hôc suppositô, inquirimus: cur uni, & non alteri processioni, ratio generationis conveniat, cùm diffinitio generationis viventium, quæ est, *Origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ*, non minùs conveni-

nire videatur proceſsioni Spiritûs S. quàm productioni Verbi? Quod adeò difficile Auguſtino viſum eſt, ut lib. 3. cont. Max. c. 14. admirabundus exclamet: *Diſtinguere inter illam generationem, & hanc proceſsionem, neſcio, non valeo, non ſufficio.* Varias nihilominùs congruentias ad hoc ænigma explicandum, ſcholaſtici excogitarunt. Solidiorem tradit D.Th. cum quo ſit

660 Concluſ. *Proceſsio Verbi divini eſt generatio, non autem proceſsio Spiritûs S. eò ſolùm, quia Verbum procedit per intellectum, non autem Spiritus S.* Sic cum D.Th. omnes Thomiſtę, quibus ſubſcribunt Molina, Valentia, Suarez, Granados, aliique. Intelligitur autem concl. de ratione prima & radicali hujus diſcriminis; proxima enim & immediata, eſt, *Quia Verbum procedit in ſimilitudinem naturæ, ex vi proceſsionis; non autem Spiritus S.* Cùm autem concluſ. ſit excluſiva; affirmat, rationem aſsignatam eſſe optimam, & nullam aliam ſubſiſtere. Prob. ergo quoàd 1. ſic formando rationem D.Th. Proceſsio aliqua, eſt, vel non eſt generatio, quia ex propria ratione formali, eſt, vel non eſt ſecundùm ſimilitudinem (concurrentibus cæteris particulis, quæ ſunt de ratione generationis;) at proceſsio per intellectum, ex ſua propria ratione formali, eſt ſecundùm ſimilitudinem, ſecùs proceſsio per voluntatem: ergo. Conſeq. tenet. Maj. conſtat ex illa particula diffinitionis generationis, *in ſimilitudinem.* Min. verò prob. Intellectus fit in actu ad intelligendum per ſimilitudinem rei intellectæ, voluntas autem, non fit in actu per ſimilitudinem voliti, ſed ſecundùm inclinationem in illud: intellectus ergo de ſe eſt aſſimilativus, ſecùs voluntas: ergo vera eſt minor.

661 Pro majori penetratione hujus rationis, nota 1. quòd intellectus, ex propria ratione generica, terminatur ad ſimile: undè perfectiſsima intellectio, ex ſua propria ratione formali, terminatur ad perfectiſsimè ſimile; quod eſt ſimile in eadem natura. Amor autem, ex propria ratione generica, non terminatur ad ſimile, ſed eſt impulſus; undè nec perfectiſsimus amor, intra propriam rationem formalem amoris, terminatur ad perfectiſsimè ſimile, ſed ad perfectiſsimum

im-

impulsum; undè quòd iste perfectissimus impulsus, sit similis in natura, habet solùm ex ratione individuali, scilicèt, quia est in tali subjecto, nempè in Deo, & quidquid est in Deo, est idem cum natura divina: sicut quòd circulus factus ab artifice, sit talis figuræ, provenit per se ex ipsa actione artificis; secùs quod sit aureus, hoc enim provenit tantùm per accidens, & materialiter; quatenùs scilicèt, illa actio fit in tali materia.

Nota 2. Verbum divinum, esse Filium ex vi suæ processionis, ad differentiam verbi creati, & ad differentiam Spiritûs S. ac proinde, integrè explicari non posse rationem Filii quæ convenit Verbo, & rationem generationis quę convenit ejus processioni, nisi assumatur hoc quasi duplex principium, nempè, *Quòd intelligere divinum, & ipsum Verbum, est ipsa substantia intelligentis.* Et, *Quòd intellectus est de se assimilativus termini producti.* Per primum, differt Verbum divinum à creato, quod non est ejusdem naturæ cum eo à quo procedit: Per secundum, differt à Spiritu S. procedente per voluntatem quę assimilativa non est. In a. 4. ad solam hanc rationem recurrit D. Th. quia differit de processione Verbi, ad differentiam processionis Spiritûs S. In a. autem 1. ad 2. & alibi, recurrit ad aliud principium, quia primam differentiam attendit.

Confirmatur nunc ratio D. Th. ex eodem 4. cont. Gent. c. 23. Ad rationem generationis, non sufficit recipere naturam quôcumque modô, sed modô assimilativô, & actione per se destinatâ à natura ad imprimendam similitudinem termino producto; quapropter Abel est filius Adæ, non Eva, quia illi, & non isti, fuit communicata natura humana actione assimilativâ; atqui actio intellectûs, ex propria ratione, est assimilativa, secùs actio voluntatis: ergo actio productiva Verbi divini, est generativa; secùs productiva Spiritûs S.

662 Prob. jam concluſ. quoàd 2. p. Et imprimìs, rejicitur sent. Scoti asserentis, rationem discriminis, esse, *quia processio Verbi est naturalis, & à principio naturaliter inclinato ad agendum; processio verò Spiritûs S. libera est, & potentia li-*

libera, de se non determinata ad unum. Rejicitur inquam: *Tum*, quia processio Spiritûs S. est etiam naturalis, & omninò necessaria, est enim amor necessarius quô Pater & Filius diligunt se. *Tum*, quia actio non naturalis, sed voluntaria aut libera, si ex se sit productiva termini ejusdem naturæ cum suo principio; erit re verâ generatio, conveniet siquidèm illi integrè diffinitio generationis. Deinde, actio naturalis, & à principio ad unum determinato, potest non esse generatio, ut patet in nutritione: ergo. Scio, Illust. Merinero ità explicare rationem sui Magistri, ut à ratione D. Th. non recedat. Quòd si ità sit; illam ampliùs non impugnabimus.

663 Rejicitur deinde sententia Alensis, Bonav. Ricard. Vict. & quorundam RR. docentium, rationem discriminis, esse, *quia Verbum, ex vi suæ processionis, accipit naturam sub conceptu naturæ*, id est, *fœcundam*, & potentem producere aliud suppositum divinum; secùs Spiritus S. cùm nihil producat intra Deum. Rejicitur inquam: *Tum*, quia rigorosus & strictus conceptus naturæ, salvatur absque vi productiva, etiam radicali, alterius suppositi; sufficit enim quòd sit principium motûs seu operationum ejus in quo est: Aliàs, nec in Angelis, nec in Cœlis, daretur natura propriè dicta. Nec Spiritus S. esset ejusdem naturæ cum Patre & Filio, imò nec Filius esset ejusdem naturæ adequatè cum Patre, cùm in isto, natura sit generativa & spirativa; in Filio autem, spirativa tantùm.

Prætereà: Etsi Filius non esset productivus Spiritûs S. cùm eôdem modô procederet per intellectum, sicut nunc; adhùc esset Verbum, & consequenter Filius, *eò enim est Filius quò Verbum, & eò Verbum quò Filius*, juxta August. Quod & omnes Theologi fatentur, licèt Scotus asserat, Spiritum S. distingui tunc à Filio; quod reliqui negant. *Conf.* Sublatâ per impossibile à Patre virtute spirativâ, adhùc maneret Pater per vim generandi: ergo & Filius maneret Filius, etsi non spiraret Spiritum S. *Postremò*: Nam Verbo, non communicatur êadem naturæ fœcunditas, quæ est in Patre; iste enim, & gignere, & spirare valet; Filius autem,

ſolùm ſpirare: ergo juxta hanc ſententiam, Verbum non eſt re verâ Filius, cùm non ſit perfectè ſimilis Patri in natura, ſub conceptu naturæ, ſive in naturæ fœcunditate. *Si dicas*: Filio communicari eandem naturæ fœcunditatem radicalem quæ eſt in Patre, licèt illi non communicetur exercitium gignendi: *Contra* eſt: Tum, quia etiam poſſet dici, per ſimilem pręciſionem, fœcunditatem radicalem naturæ divinę, adæquatè communicari Spiritui S. licèt ei non communicetur ſecundùm exercitium actualis communicationis: ergo poſſet affirmari, quòd Spiritus S. eſt Filius, ſicut Verbum. *Tum*, quia eatenùs eſſentia, vel natura, intelligitur habere vim radicalem, quatenùs radîcat & infert exercitium actualis communicationis: ergo non eſt in Filio ſecundùm totam ſuam vim radicalem, cùm in eo non inferat exercitium actualis communicationis per generationem, ſed per ſpirationem activam duntaxàt.

664 Rejicitur poſtremò ſent. Bartholomæi Torres, Epiſcopi Canarienſis, quem ſequuntur Vazquez, Turrianus, Alarcon, Herrera, & alii RR. aſſerentes, rationem eſſe, *quia* Verbum procedit, ut imago & ſimilitudo intentionalis Patris, ſecùs Spiritus S. licèt utrique communicetur natura divina, ex vi formalis proceſsionis. Rejicitur, inquam, 1. Si per impoſsibile Verbum eſſet imago Patris ſolùm intentionalis, & non naturalis, id eſt, non ejuſdem naturæ cum Patre; non eſſet *Filius*, ut patet in verbo creato. *Deinde*: Si Verbum divinum non eſſet imago mentalis Patris, ſed ſolùm naturalis, ita ut ex vi formalis proceſsionis acciperet naturam Patris, verè Filius eſſet: ſicut leo genitus à leone, filius eſt, ratione ſimilitudinis naturalis duntaxàt, quam ex vi ſuę proceſsionis habet cum generante: ergo ratio ſimilitudinis & imaginis intentionalis, impertinenter ſe habet ad rationem Filii. *Imò* & ratio imaginis naturalis, eſt quid conſequens ad paſsivam generationem, & illâ poſterior: ergo quòd Verbum ſit imago naturalis Patris, à poſteriori duntaxàt probare poteſt, proceſsionem Verbi eſſe generationem. Patet ant. Tum, quia in humanis, priùs habet Filius quòd ſit genitus à Patre, eò quòd illi ſimilis in natura pro-

du-

ducatur, quàm quòd sit Patris imago ; hoc enim ex illo sequitur. *Tum*, quia in divinis, priùs intelligimus Personam Filii genitam, quàm rationem imaginis, nam, ut ait Aug. lib. 7. de Trinit. c. 2. *Eò quòd natura est; & Verbum, & Imago, & Filius intelligitur.* Et, juxta D. Th. infrà q. 40. a. 4. *Nativitas secundùm intellectum præcedit filiationem*: priùs ergo concipimus, Personam Filii generari, eò quòd natura divina ei communicetur ex vi suæ processionis; quàm concipiamus in ea rationem imaginis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

665 Opp. 1. contra supp. Nam cùm voluntas feratur ad res, non producit impulsum, per quem res amata dicatur esse in amante : ergo in Deo non datur processio per voluntatem. *Præt.* Natura divina, cùm per generationem adæquatè & infinitè communicetur Filio, non manet ulteriùs communicabilis per aliam processionem. *R.* ad 1. quòd licèt impulsus faciat rem amatam esse in amante; quia tamen res amata est in amante, tanquàm ad se trahens amantem ; semper verificatur, quòd *voluntas fertur ad res.* *Ad* 2. R. naturam divinam communicari Filio per generationem adæquatè, quoàd substantiam, tota siquidem natura communicatur illi ; secùs quoàd modum, est enim communicabilis duplici modô, per intellectum scilicèt, & voluntatem.

666 Opp. 2. contra rat. D. Th. Quòd Verbum procedat per intellectum, solùm probat, esse simile Patri in natura, ut perficiente intellectum Patris ad intelligendum, seu sub conceptu speciei impressę, virtualiter distincto à conceptu naturę, respiciente per modum principii proprietates & operationes. *Præt.* Similitudo Verbi, ut Verbi, intentionalis duntaxàt est, seu intelligibilis ; per quam non constitui Verbum in ratione Filii, ostensum est suprà: ergo. *R.* ad 1. Verbum, ex vi suę processionis per intellectum, evadere simile Patri in natura, secundùm esse physicum quô in se natura constituitur; non quatenùs in Patre est, perficiendo ipsum ad intelligendum ; hæc enim expresio, cùm Paternitatem connotet, non transit ad Filium. Unde N. ant. *Ad* 2. R.

quòd Verbum divinum, quia perfectiſsimum, perfectiſsimam ſimilitudinem habere debet, ſcilicèt, naturalem, licèt iſtam non exigat Verbum, ut ſic. *Inſtabis*: Verbo divino, ex quo per intellectum procedat, communicatur ex vi proceſsionis id quô formaliter conſtituitur in ratione Verbi, cùm detur illi quòd ſit verbum; at hoc non eſt *intelligere* (per quod conſtituitur natura divina) ſed *intelligi*, juxta illud D.Th. 4.cont.Gent.c.11. *Eſſe Verbi interiùs concepti, eſt ipſum intelligi*: ergo Verbo, ex quo, &c. non communicatur ex vi proceſsionis natura divina. *R.* quòd *eſſe Verbi, eſt ipſum intelligi*, non conſtitutivè, ſed per modum exercitii paſsivi, per quod Verbum accipit eſſe Verbi, quod eſt, eſſe expreſsionem ſeu imaginem objecti intellecti, & quę eandem naturam & quidditatem objecti ſecum ferat.

Nota hîc, ut quaſdam objectiones præcludas, amorem, propriè & perſonaliter acceptum, ſtare pro amore ſubſiſtente, non autem pro actu amoris. Verbum pariter dici *ſapientiam*, ſumptâ ſapientiâ, pro termino producto per intellectionem, non pro actu intelligendi, ut docet D.Th. 4.cont. Gent. c.12. Denique, Verbo divino, quatenùs dicto & expreſſo, non communicari, ex vi proceſsionis, dictionem vel intellectionem; ſed naturam divinam, quæ eſt terminus formalis hujus proceſsionis.

667 Opp.3. Omne agens, in quantùm agens, intendit ſibi aſsimilare terminum productum, juxta philoſophicum axioma: ergo cùm voluntas ſit productiva impulsûs, ſicut intellectus verbi; erit aſsimilativa termini producti, non minùs quàm intellectus. *R.* proloq. illud intelligi de ſimilitudine aliqua analoga, vel generica; non de ſpecifica, aliàs omne agens eſſet *generans*. Intellectus autem eſt aſsimilativus ſui termini, non tantùm propter rationem communem agentis, ſed propter rationem etiam ſpecificam intellectûs, quia videlicèt, conſtituitur in actu ad intelligendum, per ſimilitudinem objecti; quod voluntati non competere, ſuprà oſtendimus.

668 Opp.4. Spiritui S. communicatur natura divina, cùm ſit verus Deus; at non niſi per proceſsionem, vi cujus ha-

habet quidquid habet, cùm sit Persona procedens: ergo. R. Spiritui S. communicari naturam divinam per processionem, *identicè* quidèm, & *materialiter*; non autem *formaliter*, & *ex vi processionis*, cujus terminus, est impulsus, aut bonitas, non natura, in qua consistit perfectissima similitudo per quam Verbum divinum formaliter constituitur in ratione Verbi. *Instabis*: Natura divina communicatur Spiritui Sancto ex vi formalis processionis, & tanquàm terminus formalis istius: ergo. Prob.ant. 1. quia natura divina est quod primò convenit Spiritui S. sicut cuilibet rei sua quidditas: ergo. Secundò: Spiritus S. ex vi formalis processionis, est Persona divina, quia ex vi formalis processionis, est Persona spirata, personaliter distincta à Patre & Filio, & habens personalitatem divinam; hæc enim est quæ producitur per modum termini per processionem, & consequenter ex vi illius; at persona divina, formalissimè dicit naturam divinam, cùm sit, *divinæ naturæ individua substantia*: ergo. Tertiò: Spiritus S. ex vi formalis processionis, est Spiritus S. ergo Deus, hęc enim propositio, *Spiritus S. est Deus*, est vera in sensu formali; at Deus, formalissimè dicit naturam divinam: ergo hæc, ex vi formalis processionis, convenit Spiritui S.

R. neg.ant. ad 1.prob. dicatur, ex vi formalis processionis, communicari quidèm Spiritui S. id quod primò ei convenit, quatenùs est terminus suę processionis; id autem, est *amor*, *impulsus*, *bonitas*: secùs quod primò illi convenit, quatenùs in se ipso constituitur, hoc autem, est *natura divina*, quę radix est omnium attributorum. Exemplum affert augmentatio: Viventi enim quod augetur; quatenùs in se ipso constituitur, priùs convenit substantia, quàm quantitas partialis, hæc enim in illa subjectatur; at, quatenùs augmentationem terminat, primariò importat quantitatem partialem (per quam habetur augmentum, ad quod per se tendit augmentatio) & ex consequenti substantiam.

669 Ad 2. D.Godoy, Ferre, aliique, negant maj. Sed cùm probationes adductæ semper urgeant; illâ concessâ, neganda est min. Si enim significatum formale hujus termi-

mi-

mini *Persona divina*, esset natura divina; hæc propositio, *Tres sunt Personæ divinæ*, esset falsa, nomen siquidèm numerale primitivæ speciei (cujusmodi est ly, *tres*) adjunctum nomini substantivo (quale est Persona divina,) numerat principaliter formas, seu significatum formale nominis substantivi, juxta regulam Dialect. apud M. Soto lib. 2. summul. c.14. lect.1.not.6. Cùm ergo natura divina non multiplicetur in tribus Personis, si esset significatum formale hujus termini *Persona divina*; propositio illa, *Tres sunt Personæ divinæ*, esset falsa. Diffinitio autem insinuata, optimè explicat Personam divinam per id quod in re ad istam requiritur, scilicèt, subsistere in natura divina; significatum tamen formale hujus termini, *Persona divina*, non natura, sed personalitas est, hanc siquidèm in recto significat, illam in obliquo, ut docet D. Th.q.29.a.4. *Dices*: Ergo *Persona divina*, est nomen relativum; sed hoc est contra D.Th. q. 9. de pot. a.9. ad 13. & August.11.de Trinit.c.6.dicentem: *Non placet ut dicamus Patrem Personam Filii*: ergo. *N.*conseq. Quia *Persona divina*, significat quidèm in recto relationem, non per modum relationis, sed per modum hypostasis, ut docet D.Th. q.29.a. 4. in corp.& ad 1.

670 Ad 3. prob. dicatur, quòd quidquid in Deo est, sive per modum naturæ, sive attributi, Deus est. Unde Spiritus S. est formalisimè Deus, Deitate quidèm essentiali, quatenùs in se ipso constituitur; ~~non~~ vere attributali, quatenùs terminus est suæ processionis. *Nec obstat*, quòd attributum, quà tale, dicat esse prędicatum ad naturam consecutum, hoc enim est verum in esse rei; non autem in ratione termini processionis. *Et instatur* in nova parte quantitatis, quatenùs de novo producta per augmentationem; quæ in esse rei, sequitur ad novam partem substantiæ, non autem in ratione termini augmentationis, quam primò & per se terminat. Communicatur ergo, ex vi formalis processionis, Spiritui S. attributum per modum attributi; ad hoc enim satis est, quòd communicetur ut quid secutum ad naturam in esse rei, nec opus est, quòd in ratione termini processionis, attributum sequatur ad naturam. *Dices*: Spiritui S. communicatur

cur natura divina per processionem, saltèm identicè & in re: ergo, saltèm identicè & in re, erit Filius, licèt non formaliter in ratione termini. *N. conseq.* Nam ratio formalis Filii, stat in eo, quòd ipsi communicetur natura Patris ex vi formalis processionis; undè nullô modô erit Filius, cui solùm identicè communicatur.

671 Opp. 5. in favorem Alensis, & Bonav. Concil. Florent. sess. ult. §. *Quoniam Græci*, ubi sic dicitur: *Credentes, Spiritum S. nequaquàm ex Filio procedere, necesse est ut intelligant, Spiritum S. à solo Patre procedere, & consequenter non esse Filium*: ergo censet, quòd non esset Filius in divinis, si non spiraret Spiritum S. & consequenter, Verbum constitui in ratione Filii, per naturæ fœcunditatem quâ Spiritum S. producit. *R.* verba adducta non reperiri in Concilio, sed ibi solùm inferri, quòd *existimantes, Spiritum S. à Filio non procedere, possent elabi, constituendo tempus inter Patrem, & Filium. Si verò* (inquit Conc.) *ex solo Patre: fuit ergo quandò non erat Filius.* Videatur editio CC. Parisiensis novissima, & constabit veritas solutionis.

672 Opp. 6. ad idem: Accipere naturam fœcundam ad producendum alium suppositum ejusdem essentiæ, convenit omni Filio, tàm creato, quàm increato, ut patet: ergo id, est de ratione communi Filii, per modum quidditatis vel proprietatis. *Præt.* Accipere naturam sic fœcundam, est de ratione Filii creati, nullam involvens imperfectionem: ergo est etiam de ratione Filii increati. *Ad* 1. dist. ant. Convenit omni Filio, &c. formaliter, & constitutivè, N. quasi materialiter, & impertinenter ad rationem Filii, C. *Ad* 2. R. nimìs probare: nempè, quod de ratione Filii divini, sit accipere naturam fœcundam ad gignendum alterum Filium; hæc siquidèm fœcunditas, est de ratione Filii creati. Nec fœcunditas illa Filii, imperfectione caret; oritur namque ex eo, quòd naturam corruptibilem accipit numerô distinctam à generante, & per generationem conservandam, nè pereat species.

Opp. 7. in favorem Canarien. & Vazq. Patres frequenter affirmantes, *Verbum ideò esse Filium, quia Verbum*, id est, quia ima-

imago Patris est; & Spiritum S. non esse Filium, quia imago non est. *R.* idem & nos dicere. Sed rationem imaginis ad filiationem exactam, stare asserimus, in similitudine, non quidèm intentionali, ut Adversarii censent; sed naturali, & habita per identitatem naturæ, quæ, ex vi formalis processionis, soli Verbo communicatur, quia per intellectum de se assimilativum procedit.

673 Opp. 8. ad idem, fundam. August. de Herrera: Vera & propria similitudo, ad rationem Filii & imaginis in divinis exacta, solùm intentionalis esse potest; nam quòd Pater & Filius eandem habeant naturam in esse physico; identitas est, non similitudo: hæc enim si vera sit, distinctionem inter extrema ferat, necessum est. *R.* Quòd similitudo in divinis, etiam intentionalis, includit in suo conceptu, & relationes distinguentes Personas, & essentiæ unitatem, ut docetur infrà q. 42. a. 1. impossibile est enim similitudinem, etiam intentionalem, stare in aliquo prædicato, in quo Personæ ex una parte conveniant, & ex alia distinguantur. Undè argumentum nimis probat. *Dices*: Relationes similitudinis & æqualitatis, exigere distinctionem, nedùm inter subjectum & terminum, sed etiam inter fundamenta sive rationes fundandi: ergo Pater & Filius nequeunt esse similes in prædicato, in quo sunt omninò idem. *R.* ant. esse verum, si tales relationes reales sint; secùs si sint rationis, quales sunt relationes similitudinis & æqualitatis, versatæ inter divinas Personas.

***

DIS-

DISPUTATIO II.

De Relationibus Divinis.

DUBIUM I.

An, & quomodò distinguantur ab essentia?

SUpp.dari in Deo relationes reales,& esse quatuor tantùm, scilicèt, paternitatem,filiationem,spirationem, & processionem. *Primum* est de Fide, tùm ex Scrip. disertè explicante distinctionem Personarum nominibus relativis,*Patris*,& *Filii*,& *Spiritûs S.* Tum ex CC. Tolet.XI.Later.IV.& Florent.Constat insuper: *Tum*,quia si Paternitas,& filiatio,non essent in Deo realiter;Deus non esset realiter Pater, aut Filius, sed secundum rationem tantùm; quod est hæresis Sabelliana. *Tum*, quia in Deo dantur fundamenta realia relationum, nempè,processiones ad intra,ut ostensum est sup. à n.640. ergo & relationes reales. *Secundum* etiam constat: Quia duæ processiones, quæ sunt relationum fundamenta,exigunt 4.relationes; generatio quippè Verbi, fundat Paternitatem in principio, filiationem in termino : processio verò amoris, requirit in principio relationem spiratoris,quæ vocatur *spiratio activa*, in termino verò, relationem spirati & procedentis, quæ vocatur *spiratio passiva*, seu *processio*, propter dicenda n.764. Spiratio activa, Personam non constituit, sed est in Patre & Filio. Vide infrà n.746. His suppositis, sit

674 Concluſ. *Inter essentiam divinam, & relationes, nulla datur realis distinctio entitativa, modalis, aut formalis, sed virtualis duntaxàt, & rationis ratiocinatę.* Quoàd 1.est diffinita contra Gilb. Porretanum in Conc. Rem. sub Eugenio III. & in Later.IV. sub Innoc.III. Et prob. Tum,quia *in divinis, omnia sunt unum, nisi ubi obviat relationis oppositio.* Tum, quia aliàs nec actus purus esset, nec simplex.

Et

Et per hæc convincitur etiam 2.p. concluſ. cont. Duran. cujus ſententia, quia valdè affinis eſt errori Gilberti, malè apud Catholicos audit: ſi enim eſſentia & paternitas realiter modaliter diſtinguerentur, daretur in Patre realis compoſitio; hæc enim, nihil aliud eſt, quàm unio realiter diſtinctorum. *Nec valet* reſpondere cum Dur. ex re & modo realiter diſtinctis, non reſultare compoſitionem realem. *Contrà* enim eſt. *Tùm*, quia compoſitio nihil aliud eſt, quàm, &c. ergo compoſitio realis, &c. *Tùm*, quia relatio cùm non ſe habeat diſparatè ad eſſentiam, conſtituit cum ea unum quid, ſcilicèt, perſonam; ſed non unum per identitatem, ſi realiter diſtinguantur: ergo per compoſitionem. *Tùm* demùm, quia juxta ſolut. nec Chriſtus foret Perſona compoſita ex natura humana, & ſubſiſtentia divina; quod V. Synodo Generali act.8.can.4. & Thologis omnibus adverſatur: Nec ex ſubjecto & relatione creata aliqua reſultaret realis compoſitio: nec ſimiliter ex eſſentia & exiſtentia: nec ex natura & ſubſiſtentia creatis, cùm relatio, exiſtentia, & ſubſiſtentia, modi quidam ſint. Et conſequenter Angelus expers eſſet omnis compoſitionis realis. *Præt.* Juxta Durandi ſententiam, hæc propoſitio eſſet vera, *Relatio non eſt realiter êadem res, quæ eſt eſſentia*, cùm ponatur modus realiter ab eſſentia diſtinctus, & conſequenter non ſit realiter idem cum eſſentia: datur ergo in Deo quaternitas rerum, ſcilicèt, eſſentia, & tres relationes; conſequens autem adverſatur diffinitioni Lateran.IV.

675 Prob. concluſ. quoàd 3. p. cont. Scotiſtas, 1. ex Florent. ſeſ. 15. ubi expreſsè non ſemèl dicitur, quòd, *ſubſtantia divina, & hypoſtaſes ſive Perſonæ, ſolâ ratione & intelligentiâ differre creduntur*: ergo non differunt realiter formaliter. *Præt.* ſeſſ.18.dixerat Conc. *Divina ſubſtantia, & perſona, re quidèm, ſunt idem; ſecundùm autem modum intellectionis, differre videntur.* Hinc corruit communis Scotiſt. evaſio, aſſerentium, ea quæ realiter formaliter differunt, ſolâ ratione differre. *Corruit*, inquam: Ea enim quæ *ſolâ ratione & intelligentiâ* differunt, ſolùm differunt, quatenùs per rationem & intelligentiam apprehenduntur ut diſtincta: ergo

ſo-

solâ distinctione rationis, quæ fit per intellectum differunt. *Præt.* Licèt distinctio formalis ex natura rei, possit utcunquè dici rationis, vel ex ratione formali desumpta; nullatenùs tamen dici potest per intellectum formata, vel ab eo dependens: ergo licèt hæc verba, *solâ ratione*, adaptari utcunquè possent distinctioni formali ex natura rei; nullatenùs tamen ista, *solâ ratione* & *intelligentiâ*. Postremò: D. Th. ejusque Discipuli (quibus adversatur Scotus cum suis) nihil ampliùs docent, quàm, relationes differre ab essentia *solâ ratione*, vel *intelligentiâ*, aut *per solam intelligentiæ rationem*, ut frequentiùs loquitur D. Th. atqui id ipsum sub eisdem verbis docuit Concilium: ergo eôdem modô, quô opinio Scoti militat contra D. Th. militat contra Concilium.

676 Prob. 2. hæc p. concluſ. Distinctio actualis, quam *formalem ex natura rei* appellat Scotus, cùm re verâ existat ante omnem mentis operationem; est re verâ distinctio realis: quod tamen negat Scotus, nè, aut Gilberti errorem, aut Durandi sententiam, videatur amplecti. *Præt.* Ens adæquatè dividitur in reale, & rationis: ergo & distinctio, cùm sit ens, & indistincta ab extremis. *Urgent* deindè contra Scotum êadem inconvenientia, quæ contra Gilb. & Dur. objecimus: Persona siquidèm Patris, esset composita actualiter ex natura rei ante intellectûs operationem, cùm essentia & paternitas essent distinctę, & aliàs unitæ. *Si dicas*, non resultare compositionem, quia non comparantur per modum actûs & potentiæ: *Contra*: Nam id non requiri ad realem & veram compositionem; constat, tùm in continuo, tùm in Persona Christi composita realiter ex humanitate & subsistentia Verbi, non se habentibus per modum actûs & potentiæ, ut certum est. *Evertitur* tandèm fundamentum Scoti. Si quid enim probat, convincit distinctionem realem absolutam, quam fides reprobat; quandoquidèm essentia realiter absolutè communicatur Filio, & paternitas realiter absolutè non communicatur.

Ultima concl. p. constat ex dictis: Nulla enim alia restat distinctio; & aliquam esse admittendam inter essentiam & relationes, ipsa contradictoriorum verificatio manifestè con-

convincit. *Præt.* Quæ ſunt realiter idem, ſolâ ratione poſſunt diſtingui ; at eſſentia & paternitas ſunt realiter idem : ergo. Vide ſuprà à N. 131.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

677 Opp. 1. cont. 1. p. concl. Quæ *ſunt êadem uni tertio, ſunt idem inter ſe*, juxta Philoſophi proloquium ; at relationes divinæ non ſunt idem inter ſe: ergo non ſunt idem cum eſſentia divina. *R.* proloq. tenere quidèm in divinis (quidquid dicant RR. quidam cum Suarez & Vazquez ;) ex eo enim quòd intellectus & voluntas ſint idem cum eſſentia, infertur opimè, eſſe idem inter ſe : Requiritur tamen, quòd illa quæ ſunt êadem uni tertio, non opponantur inter ſe relativè, ut ſint idem inter ſe. Sic D. Th. hîc a. 3. ad 1. & 2. & alibi pluriès.

Opp. 2. cont. 2. p. fundam. Dur. Ea quæ aliquô modô non ſunt realiter idem, ſunt aliquô modô realiter diſtincta, nam *non eſſe idem*, & *diſtingui*, ſunt verba æquippolentia ; at eſſentia, & paternitas, aliquô modô non ſunt realiter idem, cùm eſſentia omni modô ſit realiter filiatio, paternitas autem non eſt realiter filiatio : ergo. *Prætereà*: Hęc conſeq. tenet : *Hęc eſſentia eſt paternitas, & nullô modô ab ea realiter differt ; hęc eſſentia eſt filiatio, & nullô modô ab ea realiter differt : ergo paternitas eſt filiatio, & nullô modô ab ea realiter differt* ; at concluſ. eſt hæretica : ergo aliqua præmiſſarum, falſa : falſum eſt ergo quòd eſſentia divina ſit realiter idem cum paternitate, vel cum filiatione.

R. ad 1. N. maj. Carentia enim hujus, vel illius modi identitatis realis, non infert diſtinctionem realem ; ea ſiquidèm quæ convertibiliter non ſunt idem realiter, ut homo & animal, aliquô modô non ſunt realiter idem, nempè, *convertibiliter*, quin propterea ſint aliquô modô realiter diſtincta. Diſtinctio ergo realis inter duo, exigit carentiam omnis identitatis realis inter illa: Hæc igitur erit vera, Quę *nullô modô ſunt realiter idem, aliquô modô realiter diſtinguuntur*. Sanè argumentum iſtud, probat diſtinctionem realem abſolutam inter relationes & eſſentiam : ſiquidèm eſſentia realiter abſolutè eſt filiatio, quæ realiter abſolutè non eſt paternitas.

Pro-

Probat inſuper oppoſitum ; Etenìm hoc principium, *eſſentia omnibus modis eſt realiter idem cum filiatione*, infert evidenter, quòd *eſſentia omnibus modis eſt realiter idem cum paternitate* ; cùm êadem ſit utrobique ratio identitatis : undè non infert quod Durandus intendit, videlicèt, *eſſentiam aliquô modô diſtingui realiter à paternitate.* Datâ igitur maj. neganda eſt min. Ad prob. incluſam, permiſsô ant. N. conſeq. Quæ fallax eſt, propter modò dicta. *Ad* 2. N. maj. eſt enim illa conſequentia êadem cum iſta, ab omnibus Catholicis neganda : Hæc *eſſentia eſt paternitas ; hæc eſſentia eſt filiatio: ergo filiatio eſt paternitas.* Iſta etiam eſt peſsima : *Hæc eſſentia eſt Pater ; hæc eſſentia eſt Filius : ergo Filius eſt Pater.* Defectus autem omnium, eſt, quia medium, ſcilicèt, *eſſentia*, non completè ſingularizatur, ſicut requiritur ad ſyllogiſmum expoſitorium; ly enim *hæc*, communitatem rationis duntaxàt natum eſt tollere, non realem, quâ eſſentia divina eſt communis tribus Perſonis.

679 Opp. 3. cont. 3. fund. Scoti : *Ea*, de quibus ante omnem intellectûs operationem verificantur prędicata contradictoria, ante omnem mentis operationem debent diſtingui ; at de eſſentia & paternitate verificantur contradictoria ante omnem mentis operationem, ut, *communicari, & non communicari* : ergo. *R.* dictum jam eſſe, argumentum iſtud, vel Scoto non favere, vel ęquè convincere errorem Gilb. vel Dur. ſententiam. Dicendum eſt ergo, illud, ſolam diſtinctionem virtualem probare; prædicata ſiquidèm contradictoria convenire poſſunt eidem rei, ſub diverſis virtualitatibus.

680 Dices: Si de paternitate ante intellectûs operationem, ob ſolam diſtinctionem virtualem, negatur communicabilitas, quæ eſt prędicatum eſſentiale & intrinſecum eſſentiæ ; etiam eſſentia negari poterit de paternitate ; quod eſt hæreticum : ergo. *Negatur* ſequela. Hæc enim propoſitio, *Paternitas non eſt eſſentia*, facit ſenſum omninò abſolutũ, idòque eſt falſa ; hæc autem, *Paternitas non eſt communicabilis*, eſt vera, quia *communicabilitas*, quę de eſſentia affirmatur, eſt prædicatum appellativum ſupra proprium &

ex-

explicitum conceptum essentiæ. Hæc igitur consequentia, *De paternitate negatur prædicatum quod est essentiale & intrinsecum essentiæ* : ergo *de paternitate negatur essentia*, nulla ab omnibus censeri debet, non minùs quàm ista, in qua instatur, *De animali negatur prædicatum quod est essentiale & intrinsecum enti*, nempè, *esse transcendens* : *ergo de animali negatur ens*. Nota hîc, regulam illam anteprædicamentalem, *Dùm quidpiam prædicatur de quopiam*, &c. (ex qua, arguendo ab oppositò consequentis, instari potest contra solutionem) sic exponi à D.Th. q.3. a.2. Cùm aliquid de alio prædicatur quidditativè, id est, secundùm conceptum explicitum, tanquàm diffinitio, vel pars diffinitionis; quidquid hôc modô dicitur de prędicato, dicitur etiam de subjecto.

681 Instabis nihilominùs contra solut. Non stat, quòd essentia realiter negetur de paternitate, quin ab ista realiter distinguatur : ergo nec stabit, communicabilitatem realiter negari de paternitate, quin realiter distinguatur ab illa; at communicabilitas ante omnem mentis operationem negatur de paternitate : ergo realiter distinguitur à paternitate; sed non distinguitur realiter ab essentia: ergo essentia & paternitas realiter distinguuntur, quia cùm paternitas & communicabilitas non sint relativè oppositæ, si inter se realiter distinguuntur, nõ possunt realiter identificari cum essentia. *N.* conseq. Quia *communicari*, seu *communicabilitas*, est prædicatum, de se appellans supra proprium & explicitum conceptum subjecti; undè, quantunvis addatur ly *realiter*, propositio semper facit sensum formalem. Sensus ergo hujus prop. *Paternitas realiter non est communicabilis*, est iste: *Paternitas secundùm proprium & explicitum conceptum paternitatis non est communicabilis*: Sicut sensus istius, *essentia est realiter communicabilis*, semper est formalis, id est, *essentia secundùm proprium & explicitum conceptum essentiæ, est communicabilis*. Undè non infertur realis distinctio inter paternitatem, & communicabilitatem. Hęc tamen propositio, *Essentia non est paternitas*, cùm prædicatum non sit de se appellativum, facit sensum omninò absolutum; undè si vera esset; ex-

sen-

sentia realiter distingueretur à paternitate.

682 Opp.tandèm cont. ult.p. Quòd distinctio rationis arguit compositionem rationis, quam Deo repugnare, docet D.Th. suprà q.3.a.5.ad 7. *R.* solam distinctionem rationis exclusivam, secum ferentem conceptus ita distinctos ut unus alium non includat, inferre compositionem rationis; inclusiva autem, potiùs commendat summam Dei simplicitatem, cùm ortum habeat ex perfectione divinæ essentiæ, secum identificantis omnia prędicata divina, & æquivalentis rebus realiter distinctis. Recole dicta circa distinctionem inter essentiam & attributa à N.131.

683 Scito, distinctionem repertam inter essentiam & relationes, esse majorem repertâ inter essentiam & attributa, licèt ûtraque inclusiva sit: nam sub prima verificantur contradictoria realiter absolutè, ut hęc, *Essentia communicatur, Paternitas non communicatur*; non sub 2. Quidquid enim realiter absolutè verificatur de essentia, realiter absolutè affirmatur etiam de attributis. Et quantùm ad hoc, distinctio inter essentiam & attributa, etiam est major, quàm versata inter gradus metaphysicos in creatis; quia tamen hęc exclusiva est; absolutè loquendo, major est quàm illa.

DUBIUM II.

Utrum Relationes divinæ, ut virtualiter distinctæ ab essentia, dicant perfectiones relativas?

CUm distinctio inter essentiam divinam & relationes, inclusiva duntaxàt sit; certum est, relationes, etiam ut virtualiter distinctas ab essentia, hujus perfectionem absolutam imbibere, & transcendentaliter includere. Hôc suppositô, sit

684 Conclus. *Relationes divinæ, ut virtualiter ab essentia distinctæ, nullam in suo conceptu dicunt perfectionem, relativam, aut absolutam, ratione distinctam à perfectione essentiæ.* Quoàd 1.p. est ferè com. Thomist. eam enim propugnant

Capr.

Capr.Cajet.Ferrar.Bañes,Nazar.Salmat.Serra, Marinis,Godoy, Gonet, Montalvan, Escuder, & alii innumeri. Prob. autem contra Vazq.Suarez alioſque RR.& nonnullos Thomiſtas. *Tum* à priori: Quia ratio perfectionis, eſt ratio abſoluta: ergo implicat perfectio, quæ ſit relativa. Prob. ant.1.ex Auguſt.6.de Trin.c.2.ubi, inter plures rationes abſolutas quibus Filius non eſt ad Patrem, ſed ad ſe, licèt habeat eas cum Patre communes, numerat magnitudinem,ſeu perfectionem; *in his enim quæ, non mole magna ſunt; hoc eſt majus eſſe, quod melius vel perfectius eſſe*, ut docet ipſe in eodem lib. Tùm in quæſtionibus de Trinit.initiô,ubi ad interrogationem: *quare,cùm tres Perſonas dicamus, Patrem,& Filium, & Spiritum S. non ſit fas dicere tres Deos, nec tres Omnipotentes, nec tres bonos, nec tres magnos?* Reſpondet: *Quia* Deus, & Omnipotens, & magnus, & bonus, & æternus, *ſubſtantialia nomina ſunt, & ad ſe dicuntur* :: Pater *autem*, & Filius, & Spiritus S. *relativa ſunt nomina.*

685 Si dicas, Auguſt. loqui de perfectione abſoluta, non de relativa. *Contra* eſt: *Tùm*, quia cùm uniformiter loquatur de divinitate, omipotentia, &c. ac de bonitate, & perfectione; poſſet interpretari, dicendo, ipſum non excludere tres divinitates, tres omnipotentias, &c. relativas. *Tùm*, quia mens Auguſt. eſt, quòd divinitas, omnipotentia, &c. ſunt omninò abſoluta, ita ut non detur alia divinitas, alia omnipotentia, &c. quæ ſunt relativa: ergo idem de bonitate, & perfectione cenſiſſe dicendum eſt, cùm eôdem modô loquatur de omnibus recenſitis. *Prob.*2.ant. ex D. Th. infrà q.42. a.1. & 4. ubi ſolam magnitudinem ſeu perfectionem eſſentiæ, agnoſcit in divinis; & indè infert, quòd quidquid perfectionis eſt in Patre, eſt in Filio: quod certè locum non haberet, ſi aliam perfectionem,præter abſolutam, agnoſceret: repugnat ergo quòd ſit perfectio, & quòd ſit relativa.

686 Prob.2.êadem p.concluſ. ab inconvenienti: Quia aliàs deſtrueretur æqualitas divinarum Perſonarum, cùm enim una non habeat relationem alterius;nec perfectionem divinam per eam importatam haberet, & plus perfectionis

eſſet

esset in tota Trinitate simùl, quàm in unaquaque Persona; hoc autem est absurdum, & contra illud Symboli, *Totæ tres Personę, coęternę sibi sunt & coæquales*, & illud August. 15. de Trinit. c. 3. *Clarum est, nec omnes simùl tres majus aliquid esse, quàm singulos*: ergo. *Urgetur*: Nam perfectiones relativæ, si dantur, debent speciê, vel quasi speciê differre inter se, sicut relationes: ergo erunt inæquales; species namque sunt sicut numeri.

687 Dices 1. Perfectionem relativam unius Personæ, esse in aliis; non quidèm formaliter, sed eminenter, ratione essentię: & quodammodò etiam formaliter, per circuminsessionem, & reciprocam unius in alia existentiam. *Sed* contra 1. stat, quòd ens summè perfectum, debet continere perfectissimô modô perfectionem puram, & nulli admixtam imperfectioni; at modus continendi formaliter eminenter, perfectior est, quàm modus continendi solùm eminenter: ergo. *Contra* 2. facit etiam: Quòd licèt paternitas sit in Filio per circuminsessionem, non tamen perficit illum formaliter; alioquìn illum Patrem constitueret: ergo.

688 Dices 2. cum Contensono, relationes divinas speciê quidèm differre, vel quasi specie, in ratione entitatis & relationis; non tamen in ratione perfectionis relativæ, quia tota relationum perfectio, in eo sita est, quòd respiciant terminum divinum; quod singulis commune est: & consequenter, relationes divinas solô numerô multiplicari. *Sed* contra est evidenter: nam sicut terminus relationum, est divinus, ità & relativus: vel ergo perfectio relativa pensanda est ex termino, ut divinô; vel, ut relativô; si 1. perfectio relationum, nè numerò quidèm, multiplicabitur in Personis; si 2. ergo cùm relationes speciê, vel quasi speciê differant; etiam illarum perfectio erit speciê, vel quasi speciê distincta, & consequenter tres divinę Personæ, non erunt coæquales, sive, in perfectione pares: solutio ergo undequaque ruit.

689 Dices 3. Perfectionem relativam unius Personæ, esse in aliis formaliter terminativè. Contra est: Tum, quia habere paternitatem constitutivè, positô quòd paternitas

dicat perfectionem ; est modus habendi , infinitam dicens perfectionem , qui Filio non competeret , sicut Patri non competeret modus habendi paternitatem terminativè: ergo etsi modus iste habendi, dicat etiam infinitam perfectionem; aliqua esset perfectio in Patre , quæ non esset in Filio , & econversò. Tum , quia paternitas & filiatio , nec terminativè sunt in Spiritu S. ergo huic plures deessent perfectiones , quæ essent in aliis Personis.

690 Dices tandèm , argumentô nostrô solùm probari, Patrem esse perfectiorem Filiô , & omnes Personas unicâ Personâ , perfectione relativâ extensivè majore ; quod non inconvenit: sicut & quòd omnia attributa divina sint extensivè perfectiora , quàm singula. *Sed contra* : Quia perfectio relativa paternitatis , si illam dicit , debet specie , vel quasi specie distingui à perfectionibus per alias relationes importatis : ergo repugnat , quòd una Persona careat perfectione relativâ quam habet alia,& sit æquè perfecta intensivè. *Nec* unum attributum est extensivè perfectius aliô , aut omnia, quàm unum, cùm quodlibet ex illis includat,tàm intensivè, quàm extensivè , totam perfectionem aliorum,quanvis unũ ex illis, conceptum secundum id quod in suo conceptu differentiali expressè affert , non exprimat perfectionem aliorum. Unde, si attributa non se includerent , sicut relationes divinæ non se includunt; tunc duo attributa,v.g.intellectus, & voluntas, nobilius quid essent, quàm unum solum.

691 Secunda autem p. concl. est cont. Joan. à S. Th. Escuder , & Ill.Montalvan, tribuentes divinis relationibus, secundùm proprios conceptus,perfectionem ratione distinctam à perfectione essentiæ ; non quidèm *relativam* , seu realiter multiplicabilem ad earum multiplicationem ; sed *absolutam*,& quæ una & êadem sit in tribus relationibus, & consequenter distincta , saltèm virtualiter inadæquatè , à conceptibus,tàm formæ hypostaticę,quàm respectûs ad terminum; isti enim realiter multiplicantur, cùm sint tres formæ hypostaticæ, & tres relationes. Unde dicunt, perfectionem istam consistere formaliter in respectu transcendentali ad essentiam,ut complebilem & perfectibilem in linea substan-

tiæ, & fundari immediatè in conceptu formę hypostaticæ. Huic sententiæ (cui favere videntur quidam ex nostris, quos suppressô nomine refert Godoy in prę̃senti, numerô 52.) libentissimè assentirem, si sequentia argumenta in oppositum non compellerent. Rejicitur ergo,

692 Pr. que concl. quoàd 2.p.1. Quia *nihil est commune, communitate rei, seu reali, tribus Personis, nisi essentia*, id est, *essentialia*: ergo non datur perfectio distincta ab essentia, communis communitate rei tribus Personis, seu quæ êadem realiter sit in illis. Conseq. tenet. Ant. est D. Th. infrà q. 30. a. 4. ad 1. Cùm enim sibi objecisset hoc principium: *Nihil est commune tribus Personis, nisi essentia*, ut probaret, hoc nomen *Persona*, non posse esse commune; respondet, *Ad 1. ergo dicendum, quòd ratio illa procedit de communitate rei*: ergo verum est ant. *Confirmatur*: Vel illa perfectio absoluta relationum, ratione distincta à perfectione essentiæ, est communis tribus Personalitatibus, communitate rei, vel rationis: si hoc secundum; stabit, quòd realiter multiplicetur, ut patet in conceptu Personæ, qui realiter multiplicatur in illis, & tamen tribus est communis secundùm rationem. Primum autem, est falsum: *Nihil enim distinctum ab essentia, est commune tribus Personis communitate rei*: ergo. *Præt.* q. 42. a. 1. ait: *Quantitas autèm in divinis, non est aliud quàm ejus essentia*; sed loquitur de quantitate virtutis, *quæ attenditur, secundùm perfectionem alicujus naturæ, seu formæ*, ut docet ad 2. ergo.

693 Prob. 2. Perfectio illa relationum, est ò desumatur per comparationem ad essentiam; debet involvere conceptum *ad*, & connecti cum illo; aliàs, quomodò ad conceptum ultimum & differentialem relationum pertinere poterit? Sed hoc sufficit, ut realiter multiplicetur, ut patet in personalitate, quæ realiter multiplicatur, quia, etsi non explicet conceptum referendi, illum tamen imbibit, & cum illo connectitur: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

694 Opp. 1. cont. 1.p. concluſ. Non inconvenit, realitatem, seu entitatem relativam, multiplicari in relationibus, cũ istę realiter distinguantur: ergo neque quòd in illis multi-

plicetur perfectio: ſicut ergo Perſona Patris v.g. eſt ſummum ens, licèt entitatem relativam filiationis non habeat; erit & ſummè perfecta, eſtò relativâ perfectione careat. N. conſeq. & ratio eſt: *tum*, quia non ſtat multiplicari relationem, quin realitas ſeu entitas relativa multiplicetur, cùm hæc ſit ſuperior, & quaſi genus ad illam; ſecùs autem perfectio, cùm ſit prædicatum abſolutum, & extra cõceptum relationis. *Tum*, quia relatio importat pro explicito oppoſitionem relativã; & conſequenter entitatem relativam inconjungibilem in eâdem Perſona cum alia entitate relativa; perfectio autem, cùm ſit quid abſolutum, oppoſitionem nõ dicit, nec in ea fundatur. Propterea, ut Perſona Patris ſit ſummè perfecta, omnem omninò perfectionem habeat, neceſſe eſt; at, ut ſit ſummum ens, ſatis eſt, ſi omnem entitatem abſolutam, & unam relativam habeat; cùm repugnet, plures habere, propter earum oppoſitionem.

695 Opp. 2. cont. rat. hujus p. Entitates illæ relativæ, cùm ſpeciê differant, ſunt inæquales; quin propterea Perſonarum æqualitas deſtruatur: ergo etſi perfectiones relativæ ſpeciê differrent, non tolleretur Perſonarum æqualitas. *R.* tres entitates relativas eſſe omninò æquales, ſiquidèm ſunt ejuſdem omninò perfectionis; & æqualitas, vel inæqualitas, à ſola perfectione penſatur in rebus non quantis.

696 Opp. 3. contr. 2. p. VI. Synodum Gen. act. 18. aſſerere, *Trinitatem eſſe credendam, propter ſubſiſtentiarum perfectionem*: ergo relationes ſpecialem afferunt perfectionem. N. conſeq. Eſt enim ibi ſermo de perfectione eſſentiæ, de cujus ratione eſt, tribus ſubſiſtentiis communicari, ità ut ſi illis careret Deus, non eſſet perfectus: unde conſultò non dixit *perfectiones*, ſed *perfectionem*. Relationes ergo, quanvis perfectionem non dicant, requiruntur tamen ad ſummam & infinitam Dei perfectionem. Et per hæc patet ad plura objici ſolita ex PP. Verũ quidèm eſt, quòd Pater, *non ſolùm perfectus eſt quia Deus, ſed etiam quia Pater*, ut loquitur Cyrillus, ſed perfectione ipsâ eſſentię, in Patre modificatâ. Sic interpretandus eſt Damaſc. tribuens perſonalitatibus *perſonalem perfectionem*.

697 Opp. 4. D. Thomam indè probare, conſtituendam eſſe

esse in divinis rationem Personæ, *quia significat perfectissimũ quod est in tota natura; at significat de formali relationem*, ut docet D.Th.q.29.a.4.ergo relatio perfectionem dicit. R.dicere quidèm perfectionem, sed indistinctam à perfectione essentiæ. *Dices*: Ratio Personę ostenditur D.Th. in Deo, quia est quid perfectissimum in natura: ergo sentit,ex negatione Personalitatis, negandam esse in Deo aliquam perfectionem: ergo Personalitas,ratione sui,est formaliter perfectio distincta ab essentia. *Negatur* hæc conseq. Ex defectu enim Personalitatis relativæ quoàd explicitum, infertur, à posteriori duntaxàt,perfectionis defectus;non autem à priori; quod necessum erat, ut Personalitas quoàd explicitum, esset perfectio.

698 Opp.5. Perfectum, juxta Phil.est: *Cui nihil deest in proprio genere*: ergo cùm relationes divinæ sint hujusmodi, sunt enim integræ integritate relativâ; erunt perfectę perfectione distinctâ à perfectione essentiæ. *Præt.* Pater est perfectus Pater: ergo à Paternitate perfectâ in ratione paternitatis. *Insuper*: Perfectio sequitur entitatem; sed relationes sunt entitates ratione distinctæ ab entitate essentiæ: ergo. *Tandèm*: Si in Deo unica tantùm daretur Persona,Personalitas diceret perfectionem, virtualiter distinctam à perfectione essentiæ: ergo cùm modò,idem munus præstent tres Personalitates, quod in hypothesi præstaret unica, &c.

699 R.ad 1.*perfectum esse,cui nihil deest in proprio genere dicente perfectionem*; aliàs,cùm peccato nihil desit in proprio genere; esset perfectum secundùm formalem conceptum; quô nihil absurdius, aliqua namque perfectio subterfugeret divinam causalitatem.Decretum etiam liberum Dei, proùt ab actu necessario distinctum, esset, propter eandem rationem, perfectum quoàd explicitum; quod est inconveniens: cùm enim potens sit non convenire Deo ab æterno, sequeretur,quòd aliqua perfectio libera, sub conceptu perfectionis, potuerit Deo deesse. Consultò ergo D.Th. suprà q.4. a.1.exponit Philosophum, dicens: *Perfectum dicitur cui nihil deest secundùm modum suæ perfectionis.*

700 Ad 2.R.quòd Pater est perfectus Pater,perfectione ab-

absolutâ essentiæ. Idem de paternitate. *Ad* 3. perfectionem non sequi ad entitatem, *nominaliter* sumptam, sed ad illam, ut actu existentem vel dicentem ordinem ad existentiam, ut perpetuò docet D.Th. cùm ergo relationes solâ gaudeant existentiâ essentiæ, transcendentaliter in ipsis inclusç;solam hujus bonitatem important.

701 Dices: Relatio divina adæquatè concepta, dicit ordinem ad subjectum: ergo proùt sic, exprimit ordinem ad existentiam,& consequenter perfectionem dicit. *N.*conseq.Quia,cùm totum esse relationis sit referre; quidquid relatio respicit,ad suum refert correlativum.Cùm ergo subjectum referat,non verò existentiam; illud, non istam, respicit. *Instabis* adhuc:Relatio,ratione sui,dicit ordinem ad naturam quam terminat; & tamen illam non refert: ergo poterit existentiam respicere,& illam non referre.

R. relationem respicere naturam, sub conceptu formæ hypostaticæ; ideòque illam non refert, sed terminat, & incommunicabilem reddit; existentiam autem, nec terminat, nec refert: Unde, nec adhùc sub conceptu formę hypostaticæ,illam respicit. *Hinc*,licèt relationes sint cônsonæ & convenientes Personis quas constituunt;quia tamê ordinem non exprimunt ad existentiam,perfectionem non dicunt. *Ad ult.* N.conseq.Quia tunc,cùm Personalitas absoluta adderet entitatem *absolutam*;adderet perfectionem: modò autem,nihil addit absolutum,unde nec perfectionem, quę quid absolûtum est.

702 Opp.*6*. Subsistentia Verbi, ut virtualiter ab essentiâ distincta, continet eminenter Personalitatem creatam, terminat naturam humanam, eamque sanctificat infinitè in genere moris,necessariô & infinitè amatur à Deo, & latriâ adorari debet: ergo ut sic, dicit perfectionem. *R.*relationes divinas,etiam ut virtualiter ab essentia distinctas, illam includere,ejusque infinitam perfectionem imbibere,ratione cujus præstare possunt omnia in objectione recensita. *Sed* instat Mag.Escuder,1.Probabile est inter Thomistas,Personalitatem Verbi, ratione illius quod explicat, sanctificare humanitatem. *Secundò*: Nam cùm humanitas physicè perfi-

cia-

ciatur, & moraliter ſanctificetur per unionem hypoſtaticâ, debet perfici & ſanctificari per ſubſiſtentiam Verbi, cui immediatè unitur. *Tandèm* : Perſonalitas Verbi, ratione expliciti, terminat & complet humanitatem; quę munera perfectionem explicant : ergo.

703 Ad 1. N.ant. Nullus enim Thomiſta id expreſsè docet, præter unum quem ſupreſsô nomine rejicit Godoy diſp.21. in 3.p.à n.123. Et id quidèm, non ratione perfectionis, quam nobiſcum negat explicito ſubſiſtentię ; ſed propter alias rationes, ibi videndas. *Ad* 2.R.humanitatem perfici & ſanctificari per id cui immediatè unitur, ſi iſtud perfectio ſit & forma ſanctificans; aliàs ſanctificaretur per modum unionis, probabiliter admiſſum, cui immediatiùs unitur.Et ſimiliter anima ſãctificaretur formaliter per unionem gratię habitualis; quod communi ſententiæ adverſatur. *Ad* 3.R. Perſonalitatem Verbi,pro explicito,non terminare & complere naturam tribuendo ei perſeitatem independentiæ,quæ perfectio eſt,& ordinem ad exiſtentiam exprimit (id enim præſtat perſonalitas Verbi ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ;) ſed addendo duntaxàt perſeitatem incommunicabilitatis, quæ ordinem ad exiſtentiam non exprimit, nec perfectionem dicit, nulla namque relucet perfectio in hoc quod eſt, alteri incommunicabile eſſe. Videatur Godoy diſp. 84. in 1.p. prçſertìm n.98. & diſp.21. in 3.p. n.170.

704 Opp.tandèm:Trinitas Perſonarum,proùt reduplicativè diſtincta à bonitate eſſentiæ, imperfecta non eſt: ergo perfecta, cùm non detur medium. *R.* inter perfectum, & imperfectum privativè, dari medium, factâ reduplicatione: unde, reduplicatâ diſtinctione ab eſſentia, Trinitas nec perfecta eſt,nec imperfecta *privativè*; eſt tamen *negativè* imperfecta, id eſt, *non perfecta*, quia, proùt ſic, nulla ei perfectio debetur. *Dices* 1. Summa imperfectio eſt,quòd rei nulla debeatur perfectio : ergo. *Secundò* : Trinitas Perſonarum, reduplicativè ut diſtincta ab eſſentia, exigit cum iſta identificari; quæ exigentia,perfectio quædam eſt: ergo. *R.* ad 1.ant. eſſe verum, ſi nec explicitè, nec implicitè,abſolutè, aut reduplicativè, perfectio debeatur, Trinitati autem

Per-

Personarum, debetur absolutè & implicitè perfectio absoluta essentiæ, licèt non explicitè, & reduplicatâ distinctione ab essentia. *Ad* 2.R. quòd talis exigentia, si ordinem ad existentiam non exprimit (qualiter in relatione contingit) exigentia quidèm perfectionis est, sed non perfectio.

DUBIUM III.

Utrum Relationes divinæ afferant specialem existentiam, distinctam ab absoluta?

705 CONclusio est neg. & com. Thomistarum, unô exceptô Medina, *confundente existentiam cum subsistentia, contra totam metaphysicam & theologiam*, ut loquitur Bañes infrà q. 40. a. 4. dub. 2. Defenditur à quibusdam RR. contra frequentiorem eorum opinionem, traditurque perpetuò à D.Th. *Esse relationis, & esse essentiæ* (inquit hîc q.28.a.2.) *est omninò unum & idem.* Et loquitur de esse existentiæ, ut ostendit Cajet. §.*Corollarium. Non est concedendum* (ait q.2.de potent. a.6. & idem repetit alibi centiès) *quòd aliquid absolutum in divinis multiplicetur, sicut quidam dicunt quòd in divinis est duplex esse, essentiale, & personale: omne enim esse in divinis, essentiale est, nec persona est, nisi per esse essentiæ.*

706 Prob. rat. 1. Quia conceptus existendi est absolutus, ly enim *existere*, non dicit referri ad terminum, sed esse ultimam actualitatem ipsius suppositi, vel subjecti existentis: ergo non multiplicatur in divinis. Conseq. tenet ex dictis. *Deindè*: Duratio nihil est aliud, quàm *permanentia & continuatio rei in suo esse*, sive existentia continuata: ergo non possunt admitti, in divinis, plures existentiæ, quin concedantur plures durationes, & consequenter æternitates; duratio enim in divinis, sola æternitas est: ergo essent tres æterni etiam substantivè; contra illud Symboli, *Non tres æterni, sed unus æternus.* Nec vitatur absurdum, etiamsi addatur, *relativè*: sicut non vitatur admittendo tres omnipotentias, aut tres Deos, relativè. *Tandèm*: Relationes divinæ redduntur exi-

sten-

ſtentes per exiſtentiam abſolutam eſſentiæ, quam ſecum identificant: ergo ſuperfluunt relativæ, imò implicant, nam repugnat, eandem rem duabus exiſtentiis, ſeu ultimis actualitatibus ejuſdem rationis & ordinis, terminari.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Aliqua PP. loca opponi poſſent, in quibus videntur ponere tres exiſtentias. Sed intelligendi ſunt de ſubſiſtentiis, quas, *exiſtentias* aliquando vocant.

707 Opp. igitur 1. Productio terminatur ad exiſtentiam; at perſonalis productio non terminatur ad abſolutam eſſentiæ exiſtentiam, cùm hæc non producatur: ergo ad relativam. *R.* non eſſe de ratione productionis, exiſtentiam producere; ſed ſufficere quòd exiſtentiam, aliàs productam, vel improductam, communicet; ſiquidèm producere rem, eſt illam exiſtentem conſtituere; quod fieri poteſt, vel exiſtentiam producendo, vel communicando. Et quidèm, ſi terminus formalis productionis poteſt non produci, ſed tantùm communicari; multò potiùs exiſtentia, quę non terminus eſt, ſed termini conditio.

708 Opp. 2. Dantur in Deo tres entitates actuales, nempè, relationes, quę ſunt entia in actu, & extra nihil: ergo & tres actualitates, ſeu exiſtentiæ. *N.* conſeq. Quia ſunt actuales per eandem actualitatem: ſicut Perſonæ divinæ dicuntur tres *ſapientes* & *omnipotentes* adjectivè, ab eadem ſapientia & omnipotentia, quia numerus, non ſupra formas, ſed ſupra ſubjecta, cadit. Quia tamen exiſtentia abſoluta, ſicut eſſentia, eſt in Patre, ut à ſe habita: in Filio, ut communicata à Patre per generationem: & in Spiritu S. ut ab utroque per ſpirationem communicata; ideò dantur tres modi exiſtendi, ſed non tres exiſtentiæ, ut ait D. Th. q. 9. de pot. a. 5. ad 25.

709 Opp. 3. Exiſtentia debet proportionari cum entitate cujus eſt exiſtentia: ergo exiſtentia relationum, erit relativa. *R.* ant. eſſe verum quoàd rationem ſubſtantiæ & accidentis; ſecùs quoàd alias rationes: corpus ſiquidèm hominis, exiſtit per exiſtentiam ſpiritualem animæ.

Opp. tandèm: Si exiſtentia relationum, eſſet abſoluta; Pa-

ter

ter esset ad se, & non ad alium; quod rationi relativorum adversatur. *Dist.*ant.Esset ad se,quoàd existentiam,C.quoàd quidditatem, seu rationem relativam, N. *Ex dictis* colliges contra Granados, nec attributis concedendas esse existentias absolutas, ab existentia essentiæ virtualiter distinctas, êadem enim utrobique est ratio.

DISPUTATIO III.

De Personis Divinis in communi.

PRæmissis his quæ de Processionibus & Relationibus in illis fundatis, præcognoscenda videbantur; necessarium est, agere de Personis per relationes constitutis, de quibus D.Th. à q.29.ad 43. Sit igitur

DUBIUM I.

Per quid constituatur Persona Divina?

710 LIcèt nomen *Persona*, à personando & repręsentando alicujus gesta, ut fit in comædiis, etymologiam derîvet; communiter à PP. & Theol. ad significandas naturas intellectuales individuas adhibetur. Persona igitur,theologicè accepta,sic rectè definitur à Boëtio:*Rationalis* (id est *intellectualis*) *naturæ individua substantia*, id est, *substantia completa, singularis, incommunicabilis*. Quæ diffinitio à tota Ecclesia recepta est: undè meritò reprehenditur petulantissimus ille Grammaticus Laurentius Valla, qui, in messem alienam falcem mittere ausus, illam carpere non erubuit. *Persona* sic explicata,idem est,ac *hypostasis*; de quo tamen vocabulo,grandis fuit olim Græcos inter,& Latinos, disceptatio, sicut etiam de nomine *Persona*: sublatis tamen deindè æquivocationibus, usû Ecclesiæ usque nunc, nomen consecratum est. Vide D.Th. q.29.a.2.& 3. *His* præmissis,& suppositis quæ de subsistentia & personalitate tradi solent à Philosophis, sit

711 Prima conclusio: Hoc nomen *Persona divina*,quasi

per

per modum complexi vel concreti, ſignificat formaliter ſubſiſtens diſtinctum in natura divina; at, per modum abſtracti vel formæ, ſignificat formaliter relationem ſub munere formæ hypoſtaticæ, relationem autem ſub munere relationis, in obliquo & de materiali. Eſt com. Thomiſt. Quoàd 1. p. docetur à D. Th. q. 9. de pot. a. 4. dicente: *Oportet, quòd Perſona divina ſignificet ſubſiſtens diſtinctum in natura divina.* Quoàd 2. hîc a. 4. ubi inquit: *Hoc nomen Perſona divina, ſignificat relationem in recto, & eſſentiam in obliquo; non tamen relationem inquantùm eſt relatio, ſed inquantùm ſignificatur per modum hypoſtaſis.* Tertia p. ex his colligitur, & traditur expreſsè q. 9. de pot. a. 4. ibi: *Perſona divina, materiali ſignificatione, ſignificat relationem, vel relativum.*

712 Secunda concl. Perſona divina conſtituitur tanquàm per formam per relationem ſub munere hypoſtaſis. Prob. *Tùm*, quia Scriptura, Symbola, CC. & PP. Perſonas divinas exprimunt nominibus relativis. *Tùm*, quia nomen *Perſona divina*, ſignificat in recto relationem ſub munere hypoſtaſis. *Tùm*, quia ſola relatio Perſonas divinas diſtinguit, cùm à ſola relatione oriatur incommunicabilitas, quandoquidèm omnia abſoluta, ſunt tribus Perſonis communia. *Tandèm*, quia multiplicatio, & diſtinctio, oriri non poteſt in divinis, eſſentialiter infinitis, ex limitatione: ergo ex ſola oppoſitione relativa, alia enim oppoſitio eſſe non poteſt. Undè celebre eſt illud Conc. Tolet. XI. *In relatione perſonarum numerus cernitur.* Et, *Hôc ſolô numerum inſinuant, quòd adinvicèm ſunt.* Illud etiam Boëtii: *Subſtantia præbet unitatem; relatio multiplicat Trinitatem.* Illud demùm Anſel. *Omnia in divinis ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

713 Opp. 1. cont. 1. Perſona divina, ſignificat idem ac ly *Deus*, ſcilicèt, ſubſiſtens in natura divina; at *Deus*, non ſignificat per modum formæ relationem, ſed naturam: ergo. *N.* maj. cujus falſitas demonſtrata eſt n. 669. Ad prob. dicatur, quòd ly *Deus*, formaliter ſignificat ſubſiſtens in natura divina communicabiliter; at, ly *Perſona divina*, incommunicabiliter, ſeu diſtinctum.

Opp.

714 Opp.2.contra 2. Quod subsequitur ad aliquid personam supponens, nequit Personam constituere, sed paternitas subsequitur ad generationem, quæ Personam Patris constitutam supponit: ergo. *R.* quòd paternitas ut relatio, seu, ut exercens munus referendi, sequitur ad generationem; at, ut forma hypostatica, Personam Patris constituit, & generationem præcedit, ut docet D.Th. q.40.a.4. *Instabis* 1. Effectus formalis paternitatis, est referre Patrem ad Filium: ergo implicat, quòd intelligatur conveniens Patri pro priori ad generationem, quin pro illo priori intelligatur ut actu illum referens. *Secundò*: Paternitas sub munere formæ hypostaticæ, in signo antecedente generationem, non distinguit Patrem à Filio, cùm Filius adhùc non intelligatur: ergo nec Patrem in tali signo in ratione Personæ constituit, cùm constitutivum sit distinctivum.

715 R. ad 1. formam habentem plures effectus formales, posse unum, priusquàm alium, cōferre; gratia enim priùs naturâ expellit peccatum, quàm animam sanctificet; & ipsa anima priùs tribuit gradum corporei, quàm vegetativi, sensitivi, & rationalis. Sic igitur paternitas, pro priori ad generationem, intelligitur complere personam Patris; & pro posteriori, respicere Filium. *Ad* 2. N.conseq.ad prob.dicatur, quòd licèt constitutivum debeat esse distinctivum; non tamen est necesse, quòd sub eadem formalitate constituat, & distinguat. *Relatio igitur distinguit, inquantùm est relatio, constituit autem hypostasim seu Personam, inquantùm est divina essentia, & relatio.* Verba sunt D.Th.q.8.de pot.a.3.ad 9. Et ad 7.expresè docet, quòd relatio paternitatis, quatenùs personam Patris constituit, præintelligitur generationi; quatenùs verò distinguit, generatio paternitati præintelligitur. Ex quibus patet, quòd relatio, inquantùm est forma hypostatica, est ipsamet essentia divina subsistens ex se, ut infrà ampliùs constabit.

716 Opp.3. Ricardum Vict.lib.4.de Trinit.docentem, *Personas in divinis solâ origine distingui.* Respondetur, quòd Personæ divinæ dicuntur à Ric. solâ origine distingui, inquantùm distinguuntur per relationes originis. Solutio est D.Th.locô cit.ad 13.

Opp.

717 Opp.tandèm: Origo implicitè includit conceptum subsistentis & formæ hypostaticæ, non minùs quàm relatio: ergo poterit sub illo Personam constituere, licèt non sub explicito conceptu fluxûs, egressûs, & viæ. *R.*hanc, inter relationes & origines, esse differentiam, quòd origo, juxta modum concipiendi, non exprimitur nisi per modum tendentiæ, & ut D.Th.ait, tanquàm *via à re*, vel *ad rem*: Unde concipi non potest, ut constituens subjectum: Relatio verò, licèt respiciat terminum, tamen per se affert subjectum quod refert. *Hoc* tamen argumentum vix solvi potest à constituentibus naturam divinam per intelligere actuale, ut optimè ostendit Contenson in præsenti.

718 Ex dictis colligitur 1. plures esse Personas in divinis, cùm plures sint relationes, quibus Personas constitui dictum est. Secundò, necesse esse, ponere tantùm tres Personas in divinis; quod est primum Fidei Mysterium, expressum Matth. 28. in Symbolo Athan. in Conc. Lat. IV. & Ecclesiæ traditione, ac PP. consensu firmatum. Colligitur, inquam, ex dictis; ostensum est enim, quòd plures Personæ divinæ, sunt plures relationes subsistentes, adinvicèm realitèr distinctæ solâ oppositione relativâ; ex quo, optimè infertur præfata veritas, ut videre est apud D.Th. q.30.a.2. Quæ autem, contra hæc Fidei dogmata, ingerere possunt difficultatem; soluta habentur in textu.

DUBIUM II.

Utrum detur in Deo subsistentia absoluta?

719 SUpponimus 1.dari in Deo tres subsistentias relativas: *Sanctissima enim Trinitas, numerabilis facta est personalibus subsistentiis*, ut dicitur act. 11. VI. Synodi, estque communis vox PP. & Theol. Secundò, non posse in Deo admitti subsistentiam absolutam, quæ personalitas sit, aut Personam constituat; cùm id & Personarum Trinitati repugnet, & contradictionem involvat, esset enim communis tribus divinis Personis, utpotè absoluta. Implicatoria

pa-

pariter est hypostasis absoluta, proùt hypostasis usurpatur à Latinis, scilicèt, pro Persona. His suppositis,

720 Conclusio est affirm.quam cum Cajet.propugnant communiter Thomistæ contra Vazq. alioque RR. & constat 1.ex D.Th. tum in 1.d.21.q.2.a.1.dicente: *Iste terminus* Deus, *prædicat naturam divinam de tribus Personis, quæ, etiam in se, est habens esse subsistens, nullâ Personarum distinctione intellectâ.* Tum clariùs 3.p. q.3.a.3. *Sicut igitur nunc* (ait) *positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas: ità, exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens.*

721 Secundò rat. *Tum*, quia Deus, ut præintelligitur Personis, creat & operatur ut *quod* res ad extra : ergo cùm *nihil possit operari, nisi quod per se subsistit*, ut ait D.Th. infrà q.75.a.2.pro illo priori subsistit Deus. *Tum*, quia pro illo priori intelligitur Deus operans omnes operationes essentiales intelligendi & volendi ; cùm essentialia & absoluta, sint priora notionalibus & relativis, juxta commune proloquium. *Tum*, quia significatum adæquatum hujus nominis concreti *Deus* (quod intelligitur pro priori) est, *habens Deitatem*, seu *subsistens in natura divina.* Gaudet etiam pro priori, perfeitate independentiæ ab alio ut sustentante. *Si dicas*, rationem subsistentiæ in sola perfeitate incommunicabilitatis salvari: *Contrà*, quia D.Th. perfeitatem existendi & operandi, convenientem naturæ divinæ, ut prę intellectæ Personis, appellat *subsistentiam*, & ità communiter loqui solet. *Tum*, quia perfeitas independentiæ, & perfeitas incommunicabilitatis, sunt duo conceptus integrantes rationem subsistentiæ; atqui divinæ relationes, quia dant secundam perfeitatem, dicuntur & sunt re verâ subsistentię : ergo & quod præstat primam, erit re verâ subsistentia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Opp.1.contra supp. Subsistentia nullatenùs distinguitur ab existentia; at non dantur tres existentię relativę: ergo nec subsistentiæ. *N.*maj. Quia, juxta D.Th.3.p.q.17.a.2. existentia suscipitur immediatè in natura terminata & completa personalitate & ratione subsistendi. Unde subsistentia (ut opti-

optimè docet Cajet. 3.p.q.3.a.4.) eſt ratio & modus terminans & complens naturam, conſtituenſque illam proximum ſuſceptivum exiſtentiæ. Unde diſtinguantur, neceſſe eſt.

722 Opp.2. D.Th. docentem, *Dici à Latinis tres ſubſiſtentiæ in Deo, ſicut à Græcis dicuntur tres hypoſtaſes*: ergo. *R.* idem & nos fateri. Nec dicimus abſolutè, dari unam ſubſiſtentiam in Deo, ſed cum addito, ſcilicèt, *abſolutam*. In concluſione enim, non accipimus ſubſiſtentiam in ſtrictiori ſignificatione (juxta quam *hypoſtaſi* Græcorum correſpondet;) ſed in latiori, pro forma ſcilicèt, dante perfeitatem independentiæ.

Opp. 3. Subſiſtentiæ relativæ præſtant naturæ divinæ utranque perfeitatem, independentiæ, & incommunicabilitatis; ſicut illam præſtaret, ſi unica eſſet perſonalitas; & ſicut in creatis, êadem ſubſiſtentia utranque prçſtat perfeitatem: ergo ſuperfluit abſoluta. *N.*ant. Naturæ enim divinæ, pro priori ad relationes, convenit perfeitas exiſtendi & independentiæ ab alio, & ratio principii *quod* operationum eſſentialium; imò hæc munia, cùm perfectionem importent, præſtari non poſſunt à relationibus, à quibus præſtatur duntaxàt munus reddendi naturam incommunicabilem, & diſtinguendi perſonas, ut docere videtur D.Th. ubi ſuprà. Vide Godoy diſp.84.n.98.& diſp.21.in 3.p.n.170. Ad 1.prob. ſubjunctam, N.conſeq. Quia in hypotheſi illa impoſsibili, perſonalitas eſſet abſoluta, ſolæ operationes eſſentiales eſſent in Deo, & unicum ſuppoſitum: Nunc autem, quia oppoſitum contingit; oportet, munera ſubſiſtentiæ dividere, tribuendo ſubſiſtentiæ abſolutæ perfeitatem exiſtendi, & incommunicabilitatem relativis. Et per hæc patet ad 2.prob.

723 Opp.4. Natura divina, pro priori ad relationes, ſolâ gaudet perfeitate exiſtendi propriâ ſubſtantiæ, ſeu independentiæ ab alio ut à ſubjecto inhæſionis; at hçc perfeitas, cùm competat humanitati Chriſti pro priori ad aſſumptionem, non pertinet ad rationem ſubſiſtentiæ: ergo. *Prçt.* Subſiſtentia eſt ultimus terminus in linea ſubſtantiæ, quod ſolis relationibus convenit reſpectu naturæ divinæ. *R.* N.maj. In natura enim divina, pro priori ad relationes, duplex perfeitas

seitas existendi debet intelligi, altera, quæ stat in carentia dependentiæ à subjecto inhæsionis, quæ est de constitutivo substantiæ, & convenit naturæ divinæ, etiam sub conceptu naturæ,& proùt hôc nomine *Deitas* significatur: altera, quæ stat in carentia dependentię ab alio ut à sustentante, quæ nó est de constitutivo substantię, sed effectus formalis subsistentię, & convenit naturę divinæ, ut significatur nomine *Deus*, quâ ratione, intelligitur principium *quod* operationum.

724 Si dicas, quòd natura, pro illo priori, petit existere in tribus Personis; ac proinde non existit independenter ab alio ut sustentante. *R.* quòd natura divina est in tribus Personis, præcisè ut terminantibus, non autem ut sustentantibus; exigit enim esse in illis, non ex indigentia, ut per se existat (cùm hoc habeat ratione sui;) sed ratione suæ infinitæ fœcunditatis. *Ad* 2. quòd ratio ultimi termini dantis incommunicabilitatem, solis relationibus convenit; ratio autem ultimi termini dantis complementum ad operandum, subsistentię absolutę convenit respectû naturæ divinæ.

725 Opp. 5. Quòd cùm persona nihil sit aliud, quàm *subsistens in natura intellectuali*; natura divina pro priori ad relationes intelligeretur persona; quod est falsũ. *N.* sequel. Persona nanque, est subsistens in natura intellectuali *incommunicabiliter*; quod naturę divinę pro illo priori non convenit, sed oppositum. *Dices*: Si Spiritus S. à Filio non procederet, adhùc esset Persona divina; at natura, proùt in Spiritu S. non esset incommunicabilis Filio, sed illi communis, cùm esset êadem Persona: ergo incommunicabilitas naturæ, non est de ratione Personæ. *N.* conseq. Quia incommunicabilitas naturæ, quam secum fert Persona, est respectivè ad aliud suppositum, seu Personam: cùm ergo tunc, Spiritus S. & Filius, essent êadem Persona; natura, proùt in Spiritu S. non esset incommunicabilis Filio, sed Patri, à quo procederet Spiritus S.

726 Opp. 6. Si subsistentia absoluta redderet subsistentem naturam divinam; posset etiam humanam, si huic uniretur; sed id non potest, quia redderet illam Personam; quod esse impossibile, inde constat, quòd naturam divinam (cujus est propria) non persônat: ergo. *R.* quòd subsistentia absolu-

luta Dei, unita humanitati, constitueret illam Personam; quia natura finita per talem subsistentiam terminata, non posset ulteriùs terminari aliâ subsistentiâ creatâ: Unde humanitati tribueret incommunicabilitatis perfeitatem, quam naturæ divinæ, ob summam perfectionem ad intra communicabili, præstare non potest.

DUBIUM III.

De Regulis observandis in modo loquendi de hoc divino Mysterio, nè, ex verbis inordinatè prolatis, hæresis incurratur.

727 PRima regula, ex August. 5. de Trinit. c. 8. communiter recepta, est: *Quæ conveniunt Personis ratione solius essentiæ, singulariter tantùm dicuntur: Quæ verò solùm ratione proprietatum personalium eis conveniunt, dicuntur tantùm pluraliter: Quæ tandèm, eis competunt ratione proprietatum & essentiæ, dicuntur pluraliter & singulariter.* Ratio est, quia relatio multiplicatur in Personis divinis; Essentia autem una manet in illis. Ex hac regula generali sequitur 1. quòd in divinis dicantur *tres Personæ*, at non *tria individua*, quia juxta D. Th. q. 30. a. 4. Persona habet pro significato formali personalitatem, & pro materiali naturam; individuum verò, econtrà. Secundò, existentiam, bonitatem, perfectionem, sanctitatem, dignitatem, & cętera attributa, singulariter solùm dici de Deo ac Personis divinis, quia ratione solius essentiæ dicuntur.

728 Tertiò, tres Personas divinas non posse dici tres perfectos, nec tres bonos *substantivè*, sed tantùm *adjectivè*. Quartò, quòd subsistétia dicatur una, & concedantur plures: Quia sumpta pro perfeitate independentiæ, convenit Personis ratione essentię; ratione autem relationum, si pro perfeitate incommunicabilitatis accipiatur. Quintò, quod Personæ dicantur una res, & plures res; quia realitas, & pro essentia accipitur, & pro relationibus: unde Aug. de doct. Chr. c. 5. ait: *Res quibus fruendum est, sunt Pater, & Filius, & Sp. S.* Et stà-

tim addit: *Trinitas, quędam summa res est.* Sextò: idem dicendũ de unitate; quia unitas, cùm in realitate indiviſa conſiſtat; & ratione eſſentiæ, & ratione relationum, convenit Perſonis.

729 Septimò, quòd ſi nomen *ens*, ſit concretum idem ſignificans ac *habens eſſentiam* vel *exiſtentiam*; non poteſt pluraliter dici de Perſonis, *ſubſtantivè* acceptum, cùm unica ſit in tribus eſſentia & exiſtentia; benè tamen *adjectivè*, quia ſunt tres habentes eſſentiam & exiſtentiam. Si verò idem ſignificet ac *habens entitatem*; pluraliter dici poteſt etiam *ſubſtantivè*, quia re verâ dantur tres entitates realiter diſtinctæ. At, cùm ly *ens*, propriùs *ſubſtantivè*, quàm *adjectivè* ſumatur, & abſolutè ſumptum, potiùs ſignificet de formali eſſentiam, vel exiſtentiam, quàm entitatem, ſeu realitatem oppoſitam nihilo; ideò, abſolutè loquendo, tres divinę Perſonæ, *unum ens*, & non *tria entia*, dicuntur. Unde cap. 2. Concilii Later. IV. dicitur, quòd *totam ſuam entitatem dedit Pater Filio.* Octavò, quòd veritas non multiplicatur in Perſonis divinis; undè iſtæ non poſſunt dici tres veri ſubſtantivè, quia, ut inquit D. Th. q. 1. de verit. a. 5. ad 19. *Ratio veritatis, non fundatur ſupra rationem paternitatis & filiationis, inquantùm hujuſmodi, ſed ſuper rationem entitatis; paternitas autem & filiatio ſunt una eſſentia; & ideò una eſt veritas utriuſque.* Unde Aug. 8. de Trinit. c. 1. ait: *Trium Perſonarum eſt una veritas.* Videatur D. Th. q. cit. a. 7. & in 1. d. 19. q. 1. a. 5. & ad Anib. ibi ad 2.

730 Si dicas, has veritates, *Pater generat, Spiritus S. à Patre Filioque procedit*, eſſe diſtinctas. *R.* cum D. Th. eſſe diverſas, ſi ſermo ſit de veritate formali reperta in propoſitione ipſa, vel intellectu noſtrô; ſecùs ſi de tranſcendentali, quæ in re ipſa eſt. *Si iterùm* dicas cum Mag. Ferre à communi ſententia recedente, hanc veritatem, *Pater non eſt Filius*, ex parte rei, & proùt tranſcendentalis eſt, fundari non poſſe in eſſentia vel exiſtentia, in quibus ſola unitas & identitas inter Patrem & Filium fundari valet: *R.* eſſentiam divinam, & eſſe formam unitatis ſeu identitatis, & eſſe radicem diſtinctionis inter Patrem & Filium; cùm ſit radix relationum, quibus Perſonę formaliter diſtinguuntur. *Inſiſtes*: In dicta propoſitione, ly *eſt*, non dicit eſſe eſſentiæ aut exiſtentiæ, aliàs eſſet

fal-

falsa: ergo dicit esse relationum: ruit ergo solutio. *N.* conseq. & suppositum, cùm enim sit æternę veritatis, præscindit ab omni esse, solùmque enuntiat distinctionem inter subjectum & prædicatum, in suppositis; ideòque dicitur, quòd ly *est* similium propositionum, absolvitur à tempore.

731 Nonò, nomen *aliquid*, non dici pluraliter in divinis; cùm enim sumatur substantivè, significat *aliud quid in natura*: unde hęc propositio est falsa, *Pater est aliquid, quod nō est Filius.* Si diças: Suppositum est aliquid; at sunt tria supposita: ergo tria aliquid, vel aliqua. *N. conseq.* Variatur enim *quid*, in *ad aliquid*, qui defectus frequens est in hac materia, ut monet S. Doctor. Et patet in sequentibus, in quibus instatur: *Suppositum est Deus; tria sunt supposita; ergo tres Dii? Essentia est relatio; tres sunt relationes: ergo & essentiæ?* In quibus, multiplicatio conveniens relationibus solùm inquantùm sunt *ad aliquid*, deducitur in conclusione, in aliquo prædicato quod non est *ad aliquid*, sed *quid absolutum*, ex eo quòd cum relationibus identificetur. Tres ergo Personæ, dicuntur *tres res, tres aliqui*; at, non *tres aliquid*, quia istud substantivè, illa verò adjectivè sumuntur. *Hinc* inferes, quòd licèt hæc propositio sit vera, *Pater est aliquod suppositum, quod non est Filius*; hæc tamen est falsa, *Pater est aliquid, quod non est Filius.* Quia ly *aliquid*, sumitur substantivè, *aliquod* autem, adjectivè; primum siquidèm, per se, & nulli adjunctum substantivo, prædicatur; secùs secundum.

732 Secunda Regula, est: *Nomina essentialia substantiva, non prædicantur in divinis pluraliter, benè verò si sint adjectiva, vel* (quod idem est) *essentiam adjectivè significent.* Traditur q. 39. a. 3. Supponit regula, quòd nomina divina, alia sunt essentialia, utpotè pertinentia ad essentiam, vel ad aliquod essentiale attributum, ut ly *Deus*, ly *Sapiens*: alia personalia, quæ scilicèt, ad Personas vel proprietates personales pertinent, v.g. *Pater, Filius, Relatio, Persona*; alia transcendentalia, quæ indifferenter accipi possunt pro essentia, vel pro Personis, ut *res, ens, &c.* Regula autem loquitur de essentialibus, tàm substantivè, quàm adjectivè sumptis, sed in concreto acceptis; in abstracto enim, non est dubium, quòd solùm sin-

gulariter dicuntur, non enim dicimus in Deo plures essentias, plures sapientias, &c.

733 Regula ista fundatur in differentia inter substantiva, & adjectiva in modo significandi: substantiva enim significant per modum substantiæ; adjectiva verò, per modum accidentis quod inhæret subjecto: ergo singularitas, vel pluralitas substantivi, attenditur penès formam significatam; adjectivi autem, penès suppositum. Tenet consèq. substantia enim, sicùt ex se habet esse, ità unitatem & pluralitatem; accidens verò, sicùt esse non habet nisi in subjecto; ità unitatem & multitudinem ex ipso suscipit. Undè hîc q. 36. dicitur: *Adjectiva nomina habent numerum secundùm supposita, substantiva verò, à se ipsis, secundùm formam significatam.* Hinc habetur ratio quasi à priori illius dialectici axiômatis, scilicèt, *Ad multiplicationem nominis substantivi, requiritur multiplicatio formæ, & suppositi, sive habentis formam.* Pluralitas igitur utriusque (scilicèt substantivi, & adjectivi,) requirit plura supposita; sed adjectivi pluralitas, non requirit pluralitatem formæ, substantivi autem, sic. Quod aliis terminis tradi solet à Dialecticis, videlicèt: *Nomina numeralia primitivæ speciei, ut, duo, tres, &c. adjuncta nomini substantivo, numerant principaliter formas, & consequenter etiam suppositas; adjuncta autem nomini adjectivo, solùm numerant suppositas.* Hinc, cùm nomen *unus*, sit oppositum numeralibus, quæ pluralitatem significant; *Si adjungatur substantivo, unitatem naturæ, vel suppositi, significat; si verò adjectivo, unitatem suppositi.*

734 Juxta has regulas, Patrem, & Filium, & Spiritum S. dicimus tres Personas, & non unam Personam: non tres Deos, sed unum Deum. Nec Patrem, & Filium, dicimus duo principia Spiritûs S. nec duos spiratores, sed unû principium, unumque spiratorem. Dicimus autèm *duo spirantes*, quia *spirans*, adjectivum est; *spirator* autem, substantivum, ut ait D. Th. q. 36. a. 4. ad 7. Sicut tres Personas dicimus tres existentes, vel tres sapientes, aut tres æternos, & increatos, & immensos, si adjectivè sumantur (*totę enim tres Personæ, coæternæ sibi sunt, &c.* ut dicitur in Symbolo Athanasii:) si verò substantivè sumantur; dicimus *unum increatum, immensum,*

sum, & æternum, ut constat ex eodem Symbolo. Hinc, dùm Hilarius 2. de Trinit. ait, *Quòd Spiritus S. est à Patre & Filio spiratoribus*, exponendus est cum D. Th. quòd ponit substantivum pro adjectivo.

735 Infertur præterea, quòd si una Persona divina tres humanitates assumeret, aut tres Personæ unam humanitatem; *unus homo* diceretur, & non *plures homines*, quia in 1. casu, deesset pluralitas suppositorum; & in 2. pluralitas formæ; pluralitas autem nominis substantivi, utranque requirit. *Nota* hîc benè, quòd nomen *unus*, adeò strictè opponitur nominibus numeralibus importantibus pluralitatem; ut medium inter eà inveniri non possit: undè non requiritur, quòd ly *unus*, adjunctum concreto subsantivo, dicat unitatem formæ & suppositi; sed sufficit quòd dicat unitatem, vel formæ, vel suppositi: hôc enim ipsô quòd plura non sint, fit, quòd sint unum. Undè Pater, & Filius, sunt unus Deus, ob solam Deitatis unitatem.

736 Tertia Regula: *Nomina numeralia denominativæ speciei, propriè talia* (quæ scilicèt pluralitatem significant, *ut binus, trinus, &c.*) *adjuncta nomini concreto, sive substantivo, sive adjectivo; solùm numerant suppositа*: Quia catholicè dicimus, quòd Deus est trinus, ob solam pluralitatem suppositi. Hinc, si tres Personæ divinæ eandem assumerent humanitatem; dici possent *homo trinus*; secùs, si una Persona tres assumeret humanitates, propter suppositi pluralitatem in primo casu, & non in secundo.

737 Quarta Regula: Ad evitandum errorem Arrii, vitare debemus in divinis nomen *diversitatis* & *differentiæ*, nè tollatur unitas essentiæ: nomen *separationis* & *divisionis*, nè tollatur simplicitas: nomen *disparitatis*, nè tollatur æqualitas: nomen *alieni* & *discrepantis*, nè tollatur similitudo. Si autem *diversitas*, vel *differentia*, in aliqua scriptura authentica inveniatur; sumitur pro *distinctione*. Ad evitandum autem errorem Sabelii, vitare debemus nomen *singularitatis*, nè tollatur communicabilitas essentiæ: nomen *unici*, nè tollatur numerus Personarum (dicimus tamen *unicum Filium*, quia non sunt plures filii in divinis; at non dicimus *unicum Deum*, quia plu-

pluribus Deitas est communis:) nomen *confusi*, nè tollatur ordo naturæ à Personis; & tandèm nomen *solitarii*, nè tollatur consortium trium Personarum. Ex q. 31. a. 2.

738 Quinta Regula: *Pater est alius à Filio, sed non aliud: & econversò, dicimus quòd sunt unum, sed non unus.* Ex q. 31. a. 2. ad 4. Ratio est: Quia per neutrum genus, cùm sit informe, convenienter significatur essentia communis; per masculinum autèm, cùm sit formatum & distinctum, significatur aliquod suppositum.

Sexta Regula: *Dictio exclusiva, immobilitat terminum cui adjungitur, ut non possit sub eo fieri descensus pro aliquo suppositorum*: undè licèt hæc sit vera, *Solus Deus creat*; non sequitur: *ergo solus Pater creat*: sicut non sequitur: *Solus homo est animal rationale*: ergo *solus Petrus est animal rationale*. Q. 31. a. 3. ad 3.

739 Septima Regula: Dictio exclusiva *solus*, non cathegorematicè, sed sincathegorematicè, termino essentiali in divinis addenda est: undè hęc est falsa, *Deus est solus*; hæc autem vera, *Solus Deus est æternus*. Ibidèm.

Octava Regula: Dictio exclusiva, non adjungitur terminis personalibus respectù prædicati communis; undè hæc, propriè loquendo, est falsa, *Solus Pater est Deus*. Ibi a. 4. *Nec* obstat, quòd ab Ecclesia canteetur: *Tu solus altissimus Jesu Christè*, quia hoc nō dicitur absolutè; sed quòd solus Filius sit Altissimus *cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris*. Ibidèm ad 4.

740 Nona Regula: Hoc nomen *Deus*, significat essentiam divinam ut in habente ipsam: sicut hoc nomen *homo*, humanitatem significat in suppositō; ideòque ex modo significandi habet, ut propriè possit supponere pro Persona, sicut hoc nomen *homo*. Quandòque ergo supponit pro essentia, ut cùm dicitur, *Deus creat*: quandòque supponit personam: vel unam tantùm, ut cùm dicitur, *Deus generat*: vel duas, ut cùm dicitur, *Deus spirat*: vel tres, ut cùm dicitur 1. ad Tim. 1. *Regi sæculorum immortali & invisibili, soli Deo, &c.* Ex q. 39. a. 4. *Hinc* inferes, quòd nomen *Deus*, si non limitetur ratione alicujus adjuncti, supponit per se primò & immediatè pro Deitate subsistenti, sive pro hoc Deo (cùm id immediatè significet;) mediatè verò, pro tribus Personis. Cæterum,

pro

pro diversitate termini adjuncti, diversimodè supponit, juxta prædicta.

741 Hinc habetur, quòd hæc propositio est vera, *Deus generat*; hæc autem falsa, *Deus non generat*; quia in 1. *Deus* supponit pro Persona Patris, ratione actûs notionalis *generat*; in 2. autem, nihil additur quod determinet hoc nomé ad Personam Filii, aut Spiritûs S. undè datur intelligi, quòd generatio repugnet divinæ naturę. Ibidèm ad 3. *Dices*: Sicut generare, convenit Patri; ità repugnat Filio & Spiritui S. ergo cùm dicitur, *Deus non generat*, additur aliquid per quod ly *Deus* determinatè stet pro Filio, & Spiritu S. *N.* conseq. Quia ille terminus *Deus*, ratione negationis appositæ, virtualiter distribuitur; undè ad veritatem illius, requiritur quòd nullus ex divinis suppositis habeat generare. *Vel* clariùs. Quòd nomen *Deus*, habet naturam termini communis, in hoc quòd potest multis communicari, & ideò potest reddere locutionem veram pro uno; ac subindè hęc est vera, *Deus generat*, quia pro Patre habet veritatem. Habet etiam naturam termini singularis, quia imponitur à forma non multiplicabili; & ideò quidquid negatur de ipso, pro tota Trinitate negatur. Undè hoc falsum est, *Deus non generat*. Sic D. Th. in 1. ad Anib. d. 4. q. un. a. 2. ad 3.

742 Decima Regula est: Nomina essentialia in abstracto, non possunt supponere pro persona; undè hæc est falsa, *Essentia genuit essentiam*, quam per errorem defendit Abbas Joachim. Q. 39. a. 5.

Undecima Regula: Nomina personalia vel notionalia, si adjectiva sint, prædicari non possunt de essentia: substantiva tamen, possunt. Undè dicimus, *Essentia est Pater*, *Essentia est tres Personæ*; sed non dicimus, *Essentia est generans*, nisi aliquô substantivô adjunctô. Sic dicimus, *Essentia est res generans*, *Essentia est Deus generans*, si *Deus*, & *res*, supponant pro Persona: undè non est contradictio si dicatur, *Essentia est res generans*, & *res non generans*, quia 1. modô, *res* supponit pro Persona; 2. modô, pro essentia. Ibidèm ad 6.

DU-

DUBIUM IV.

De Notionibus Divinarum Personarum.

743 NOtio (quoàd nomen, ab Augusſt. 5. de Trinit. primò introducta, at quoàd rem, in Script. & CC. tradita,) eſt, juxta D.Th. q. 32. a. 2. & 3. *Propria ratio* (objectiva) *cognoſcendi Perſonam divinam*, id eſt, ſpecialis nota, & character, quô una Perſona diſtinguitur ab alia. Ad notionis rationem, tria requiri docet D.Th. in 1. d. 2. q. 2. a. 2. ad 3. ſcilicèt, quòd pertineat ad originem, cùm Perſonæ non niſi relationibus originis diſtinguantur: quòd pertineat ad dignitatem, vel iſtam denotet, cùm *Perſona* ſit dignitatis nomen, ut docet hîc q. 29. a. 5. Demùm quòd ſit aliquid ſpeciale, quia quod eſt commune, non poteſt eſſe ratio diſtinguendi unam Perſonam ab alia.

744 Concluſio: Quinque tantùm ſunt Notiones, ſcilicèt, *innaſcibilitas*, *paternitas*, *filiatio*, *communis ſpiratio*, ſeu *activa*, & *proceſſio*, ſeu *ſpiratio paſſiva*. Prob. Cùm enim Perſonæ divinæ diſtinguantur & cõſtituantur per relationes originis; poteſt cognoſci Perſona, vel per id quod eſt principiũ proceſsionis, vel terminus ejus, vel per negationem proceſſionis; & ſic prima Perſona, quia nõ procedit ab alia, dignoſcitur per innaſcibilitatẽ ſeu improducibilitatem; & quia etiã producit Filium, innoteſcit per paternitatem, & quia cum Filio producit Spiritum S. Pater & Filius, per ſpirationem activam noſcuntur: Filius verò, quia eſt terminus generationis, per filiationem notificatur: & Spiritus S. quia eſt terminus ſpirationis activæ, per ſpirationem paſsivam, ſeu proceſſionem, agnoſcitur: ergo quinque ſunt notiones in divinis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

745 Opp. 1. Generatio, & nativitas, ſunt rationes cognoſcendi Patrem, & Filium: ergo ſunt notiones. *R.* quòd *generatio*, & *nativitas*, cùm ſint nomina ſignificantia origines in fieri & tendentia; notificant tantùm actiones notionales, non autèm Perſonas in ſe ipſis; quod requiritur ad rationem notionis.

Opp.

Opp.2. Vel innascibilitas non est notio, cùm sit negatio: vel erit notio inspirabilitas, Patri & Filio communis, ut voluit Scotus. *R.* ex D.Th. in 1.d.26.q.1.a.3. disparitatem esse, quia *innascibilitas*, excludit omninò esse ab alio, sive explicat negationem essendi ab omni principio; quod summę dignitatis est in Patre, dicit namque esse Personam à se, & primâ, quanvis nomen sortiatur à negatione nativitatis, eò quòd processio Spiritûs S. speciale nomen nô habet: at *inspirabilitas*, seu negatio procedendi per voluntatem, dignitatis non est; cùm competat suppositis naturæ irrationalis. Unô verbô: Negatio essendi ab alio, non est dignitatis, nisi sit universalis, ut loquitur D.Th. ibi. Vide Cajet. & Marinis hîc q.31.a.3.

746 Nota, quòd licèt sint quinque notiones; non tamen sunt nisi quatuor relationes, & proprietates divinarum personarum; innascibilitas namque, nô est relatio; nec communis spiratio, est proprietas. Nec sunt nisi tres notiones personales, id est, constituentes Personas; quippè innascibilitas, & spiratio communis, notiones quidèm *Personarum* sunt; at non *personales*. Ex q.32.a.3. in corp. Quemadmodùm fides theologica, est virtus *intellectûs*, sed non *intellectualis*; & actio indeliberata, est actio *hominis*, & non *humana*; & in sententia Joan. à S.Th. & Escuder, perfectio quam important relationes pro explicito, est perfectio *relationum*, sed non *relativa*.

DISPUTATIO IV.

De Personis Divinis in speciali.

DUBIUM I.

De Persona Patris.

747 NOmen *Patris*, aliquando sumitur essentialiter, & attribuitur Deo quatenùs creat, conservat, alit, justificat, adoptat, & cuncta erga nos paternæ charitatis officia implet. Et sic voluit appellari, dùm præcepit orare:

Pa-

Pater noster, qui es, &c. Hinc Tertulianus: *Nemo* (inquit) *tàm pius, tàm Pater nemo, quàm Deus.* Hìc tamen agimus de Patre notionaliter, seu de Prima Trinitatis Persona. Cui tria nomina propriè conveniunt, scilicèt, *Patris, Principii*, & *Ingeniti*, seu *Innascibilis*. Primum, omnes paginæ novi Test. prædicant. Et constat ex dictis: Si enim processio Verbi sit generatio, Persona à qua Verbum procedit, necessariò est Genitor, & Pater. Imò, cùm generatio divina sit perfectissima; perfectiùs reperitur ratio Patris in prima Persona Trinitatis, quàm in quacunque creatura, juxta illud Ephes. 3. *Flecto genua ad Patrem Domini mei Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.*

748 Hinc infert S.Doct. q.33.a.3. Nomen *Patris*, priùs dici de prima Persona notionaliter, quàm essentialiter; seu, priùs convenire Patri respectû Filii divini, quàm creaturarum: Quia harum Deus dicitur Pater, ratione quadruplicis similitudinis quam illis imprimit, scilicèt, vestigii, imaginis, gratię, & gloriæ. Quas omnes similitudines in immensum superat similitudo Verbi divini, cui convenit êadem natura Patris. *Nec* dicas, communia in Deo, esse priora *propriis* & notionalibus: hoc enim est verum de communibus, absolutè sumptis, ut intelligere, & velle; non autèm de his, quæ dicunt respectum ad creaturas: cùm enim Verbum sit principium productionis creaturarum, *Omnia* enim *per ipsum facta sunt*; propriùs procedit à Patre, quàm creaturę. *Nota* ex D.Th. 4. cont.Gent. c.11. in fine, quòd prima Persona Trinitatis, non dicitur *Mater*, sed *Pater*; quia *Mater*, significat principium passivum & potentiale recipiens aliundè fœcunditatem; at divinus intellectus, dat Filio vitam; & licèt concipiat & parturiat, id tamen præstat per modum actûs puri, nihil aliundè recipiendo.

749 Secundum traditur ab August. 4. de Trinit. dicente: *Pater est principium totius Deitatis.* Et constat: Cùm enim à Patre procedant Filius & Spiritus S. sequitur, quòd Pater sit principium. Nec propterea Persona procedens, dicenda est *principiata*, ut vitetur omnis erroris occasio, quia hoc, quandam subjectionem & minoritatem denotare videtur; si-

sicut teste Hilariô 9.de Trin. *Donantis authoritate, Pater major est; sed minor non est Filius, cui unum esse donatur.* Propterea etiam DD. Latini non utuntur nomine *causæ*, quia importare videtur diversitatem substantię,& dependentiam alicujus ab alio. Nomen autem *principium*, licèt videatur à prioritate desumptum; non prioritatem indicat, sed originem. Egregiè Eucherius Lugd. Hom. 2. de Symb. *In his tribus Personis, numerus esse potest; ordo* (scilicèt dignitatis & inæqualitatis) *esse non potest; nam etsi distinctionem recipit Trinitas, gradum tamen nescit æqualitas.* Sed benè nota, quòd ratio principii, quam hîc Patri asserimus, *est ratio principii ad intra*, quæ per se primò convenit Patri respectû Filii; licèt etiam conveniat Filio respectû Spiritûs S. Ratio autem principii ad extra, sive essentialiter sumpta, etsi Patri aproprietur; illi tamen propria non est, sed toti Trinitati communis.

750 Tertium, scilicèt, nomen *Ingeniti*, proùt negat simpliciter & omninò esse ab alio, summoperè à CC. & PP. commendatur. In Conc. Tolet. 6. dicitur: *Credimus Patrem ingenitum, increatum, fontem & originem totius divinitatis.* Augustet. etiam 15. de Trinit. c. 26. ait: *Pater solus non est de alio, ideò solus appellatur Ingenitus.* Ecclesia demùm in hymnis, hoc nomen ut Patri proprium, sępè usurpat. Quidam tamen Patres, illud sub silentio premi volebant, ad tollendas Arrianorum insidias, qui illô abutebantur ad negandum Filio divinitatem. *Nota*, quòd nomen *Ingenitus*, formaliter & expresè, significat negationem; de materiali autem & fundamentaliter, dicit aliquid positivum. Ex quibus plura solves.

De Persona Filii.

751 SEcundæ Trinitatis Personæ tria potissimùm nomina attribuntur in Script. à CC. & PP. scilicèt, *Filius, Verbum*, & *Imago*. Et de 1. constat ex dictis; cùm enim processio ejus, sit generatio; evidens est, terminum illius esse Filium. *De* 2. etiam constat: Duo enim sunt de ratione Verbi, nempè, ratio expressi, realiterque producti à dicen-

cente,& manifestatio eorũ quæ à loquente dicuntur; utrunque autem secundę Personę convenire,evidens est. Aliquandò autem nomen *Verbi*,essentialiter sumitur,sed latè,ut cùm dicimus,Beatos videre creaturas in Verbo,quatenùs essentia divina gerit vices speciei expressæ,actu repræsentantis. Tertium deniquè, indè convincitur, quòd Imago est, *unius ab alio deducta similitudo*; Quod propriè Filio convenit.

DUBIUM II.

Ex quibus objectis, seu ex quorum cognitione, procedat Verbum?

752 CONclusio: *Verbum Divinum per se procedit ex cognitione divinæ essentiæ, attributorum, Personarum divinarum, & creaturarum possibilium, non tamen futurarum, vel existentium.* Prob. Verbum per se procedit ex Patris cognitione, quæ sit necessaria, perfectissima, infinita, & comprehensiva; at cognitio hujusmodi, per se attingit essentiam, attributa, Personas,& creaturas possibiles: ergo. Prob.min. Cognitio necessaria, per se attingit quidquid in suo objecto necessariò relucet; prædicta autem necessariò relucent in essentia divina,quæ est objectum intellectûs divini. Deindè: In essentia divina cognoscibilia sunt attributa, relationes, & creaturæ possibiles: ergo cùm cognitio perfectissima & infinita, talis ac tanta sit, qualis & quanta est divina cognoscibilitas; attingere debet prædicta. *Tandèm*, quia nec essentia,nec omnipotentia comprehensivè cognoscuntur, nisi in illa, attributa & relationes; & in ista, creaturæ possibiles in ea contentæ, cognoscantur: ergo.

753 Quòd autem non procedat Verbum ex cognitione creaturarum futurarum, & existentium, prob. tùm, quia cognitio ex qua Verbum procedit, est naturalis & necessaria, sicut ipsa Verbi processio; at cognitio futurorum, non necessaria est, sed libera, est enim ipsamet scientia visionis, quæ liberum Dei decretum prę supponit: ergo. *Tùm*, quia Verbum per se procedit ex cognitione eorum, quæ si non

co-

cognoscerentur, non subsisteret processio Verbi; at processio Verbi, cùm sit omninò necessaria, subsisteret, etiamsi nulla esset rerum futuritio, aut existentia; ûtraque namque est Deo omninò libera: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

754 Opp. 1. pro sententia Scoti docentis, Verbum per se procedere ex sola divinæ essentiæ cognitione: Nam sola essentia est objectum primarium, tàm motivum, quàm terminativum, intellectûs divini: ergo cognoscitur pro priori ad omnem relationem: ergo. *N.* conseq. & instatur in attributis, ex quorum cognitione procedit Verbum; nec tamen sunt objectum primarium intellectûs divini. Itaque, ex quo essentia sit objectum primarium, non infertur, quòd possit cognosci intuitivè & comprehensivè, pro priori ad relationes & attributa; sed solùm, quòd ista, ratione illius (in eodem tamen signo) attingantur. Et certè, cognitio intuitiva rei creatæ, non priùs essentiam, quàm existentiam, attingit; quanvis hæc secundaria sit respectû illius. Ad summum permitti potest, quòd essentia pro aliquo priori cognoscatur abstractivè, & quasi inadæquatè; Verbum autem procedit ex cognitione intuitiva & comprehensiva essentiæ.

755 Opp. 2. ad idem: Verbum per se procedit ex cognitione eorum quæ per se repræsentat; at solùm per se repræsentat id in quo assimilatur Patri, quod sola est essentia: ergo. *N.* min. Verbum enim, cùm repræsentet ratione essentiæ; per se repræsentat quidquid essentia nata est repræsentare, & ratione sui reddere cognoscibile; cujusmodi sunt relationes, essentiam ipsam transcendentes, & ad quidditatem Dei re verâ pertinentes; quanvis similitudo inter Patrem & Filium, stet in sola essentia.

756 Opp. 3. pro sent. Puteani, asserentis, Verbum per se non procedere ex cognitione sui, & Spiritûs S. nam sola cognitio essentiæ proùt in Patre, producit Verbum, quia solus Pater Verbum pròducit: ergo ex sola cognitione essentiæ proùt in Patre, per se procedit Verbum; sed hæc non est cognitio essentiæ proùt in Filio, nec consequenter cognitio Verbi: ergo. *R.* ant. esse verum, si ly, *proùt in Patre*, determi-

minet cognitionem se tenentem ex parte principii ; secùs si determinet essentiam divinam se tenentem ex parte objecti. Itaque verum est, quòd sola intellectio proùt in Patre, est productiva Verbi ; falsum tamen est, quòd sola essentia proùt in Patre, cognoscitur in productione Verbi; nam etiã essentia, proùt est in Filio & Spiritu Sancto, cognoscitur cognitione productivâ Verbi. Undè argumentum fallax est.

757 Opp.4.ad idem : Cognitio quâ procedit Verbum, est quæ producit Verbum & per quam Verbum existit : ergo implicat, quòd attingat Verbum divinum existens, & per consequens, quòd sit intuitiva. *N.* conseq. Nam êadem cognitio per quam existit Verbum, attingit Verbum existens ; cùm enim det Verbo existentiam, cognoscit istud ut existens. Et licèt talis cognitio sit prior prioritate originis, existétiâ Verbi, non priùs intelligitur terminata ad suum objectum, quàm intelligatur existentia Verbi : quandoquidèm prioritas originis, stat in eo, quòd simùl intelligantur, & unum intelligatur ut origo alterius, sive unum ut producens, & aliud ut productum. *Deindè* R.cognitionem intuitivam solùm exigere, quòd objectũ existat in eodem instanti reali in quo ipsa est ; undè non oportet, quòd pro omni signo quô ipsa intelligitur, intelligatur existens ejus objectum. Cùm ergo, & Verbum, & Spiritus S. existant in eodem instanti reali in quô est cognitio quâ Verbum procedit; nihil obstat, quominùs Verbum, ex sui & Spiritûs S. cognitione intuitivâ, per se procedat.

758 Opp.5.pro Vazq.negante, Verbum per se procedere ex cognitione Spiritûs S. Si enim per impossibile, Spiritus S. omninò non esset; adhùc posset intelligi. Verbũ à Patre procedens: *Deindè*: Cùm processio Verbi sit absolutè prior prioritate originis, processione Spiritûs S. Verbum intelligitur existens pro aliquo signo, antequàm intelligatur processio Spiritûs S. ergo quanvis Spiritus S. omninò non procederet à Patre & Filio, adhùc intelligeretur Verbum à Patre procedens. *Tandèm*: Filiatio, quâ Verbum constituitur in ratione Verbi & Filii, solam Paternitatem respicit: ergo per hoc præcisè quòd intelligatur Paternitas in Patre, intel-

li-

ligitur processio Verbi, & cognitio ex qua procedit.

Ad 1.N.ant.Nam tunc,nec Pater nec Verbum essent;cùm juxta veritatem,sint principium Spiritûs S. quem formaliter respiciunt atque producunt per spirationem activam, cum Paternitate & Filiatione identificatam. *Ad 2.* N. conseq. deficiente enim processione Spiritûs S. nec Pater maneret, nec Filius, ob defectum spirationis activæ; unde nec esset generatio Verbi, quanvis hæc sit originê prior processione Spiritûs S. *Ad ult.* N. conseq. Pater enim & Filius, imò, paternitas & filiatio, præter conceptum *ad*,alios conceptus & formalitates important, ut ex dictis constat.

759 Opp.6. pro eodem : Si Verbum procederet ex cognitione Spiritûs S. cùm aliundè sit huic simile in natura, esset hujus imago; quod est falsum,nàm Verbum,Patris solîus est imago. *R.* ad imaginem, præter similitudinem,requiri processionem;non tanquàm ab objecto, sed tanquàm à principio. Verbum autem, procedit quidèm ex cognitione Spiritûs S. non tamen à Spiritu S. ut à principio : unde imago hujus non est, sed solîus Patris. *Si dicas*,quòd imago Imperatoris, est propriè illius imago, quanvis ab illo non procedat ut â principio aut producente, sed solùm ab artifice: *R.* imaginem Imperatoris,esse ab Imperatore, ut efficiente & producente illam,mediâ specie immissâ Artifici, per quam iste Imperatoris format imaginem: At,respectu intellectûs divini producentis Verbum, sola essentia divina habet rationem speciei; unde licèt Verbum sit expressivum Spiritûs Sancti; nec hujus imago est, nec ab isto procedit : sicut non procedit à creaturis,quanvis sit expressivum earum, ut docet D.Th.q.34. a.3.ad 3.

760 Opp.7. ad probandum, Verbum non procedere per se ex cognitione possibilium, illud D.Th.q.4.de verit. a.5. *Accidit Verbo, ut per ipsum creatura dicatur.* *R.* loqui de creaturis existentibus, quæ per Verbum dicuntur;possibiles autem,etsi in Verbo & per Verbum cognoscantur; in rigore tamen, non *dicuntur*, ut ait ibidèm in corp.

Opp.8.ad idem : Nam cùm Deus sit ens à se,omninò necessarium, & independens à creaturis, etiam possibilibus;

abla-

ablata per impoſsibile rerum poſsibilitate, adhùc maneret Deus in tota ſua perfectione, & conſequenter maneret proceſsio Verbi. *R.* ex deſtructione poſsibilium, inferri à poſteriori deſtructionem omnipotentiæ, ſine qua Deus neutiquàm eſſe poteſt.

761 Opp. 9. Spiritus S. non per ſe procedit ex amore poſsibilium: ergo pariter. *Urgetur*: Quia amor, quò procedit Spiritus S. eſt comprehenſivus Dei & omnipotentiæ, quin ad poſsibilia terminetur: ergo. *R.* diſp. eſſe, quia poſsibilia amari non poſſunt à Deo; ſed cognoſcuntur de facto, & quidèm neceſſariò. *Hinc* ad prob. dicatur, quòd ut amor ſit comprehenſivum omnipotentiæ; non oportet quòd terminetur ad id ad quod terminari non poteſt: Ut autem cognitio ſit comprehenſiva omnipotentiæ; terminari debet ad id quod cognoſcibile eſt in omnipotentia; imò, ad id, quod niſi cognoſcatur, comprehendi non poteſt omnipotentia. Et quidèm Spiritus S. juxta ſententiam quam ſupponit argumentum, nec concomitanter procedit ex amore poſsibilium. In ſententia autem aſſerente, quòd poſsibilia amantur à Deo; Spiritus S. etiam procedit ex eorum amore. Argumentum ergo, aut nimìs probat, aut nihil.

762 Opp. ult. ad prob. Verbum per ſe procedere ex cognitione futurorum: Ex ſuppoſitione enim quòd futura ſint, debent attingi cognitione comprehenſivâ Dei; aliàs, non eſſet comprehenſiva: ergo. *R.* illud duntaxàt debere per ſe cognoſci ad proceſsionem Verbi, quod, nullâ factâ ſuppoſitione contingenti, accidentali, & liberâ, cognoſcendum eſt, ut Verbum procedat: unde futura, cognoſcuntur quidèm ad proceſsionem Verbi, ſed per accidens, & ex vi ſuppoſitionis quæ potuit non eſſe. Quapropter, dum dicitur, *quòd futura ex ſuppoſitione quòd ſint, debent per ſe cognoſci ad proceſsionem Verbi*, fit implicatio in adjecto.

De Perſona Spiritus Sancti.

763 DE *Spiritu Sancto* (ait Hilar. 2. de Trin.) *nec tacere oportet, nec multùm loqui.* Ideò pauci hu-

hujus Divinæ Personæ, ipsâ opitulante, arcana investigabimus. Tria illi nomina potissimùm conveniunt, scilicèt, *Spiritus Sancti*, *Amoris*, & *Doni*. Primum, Scripturæ, Traditionis, & totius Ecclesiæ usû, consecratum est. Et quidèm convenienter *Spiritus* dicitur; *Tùm*, quia proprium est tertiæ Personæ, passivè spirari; sicut Filii, passivè generari. *Tùm*, quia, ut discurrit D. Th. nomé *Spiritus*, in rebus corporeis, impulsionem & motionè significat; quandoquidèm flatum & ventum, *spiritum* nominamus: est autèm proprium amoris, quòd moveat & impellat voluntatem amantis in amatum: persona ergo per amorem procedens, *Spiritus* jurè vocatur. *Sanctus* etiam congruenter appellatur, quia animam rationalem à terrenorum affectuum labe mundat, Deo consecrat & applicat, & in bono solidat ac firmat, qui est triplex Sanctitatis radius & character, ut docet D. Th. in Comp. Theol. c. 74. unde tota Ecclesiæ sanctitas, ipsi ut Auctori tribuitur, ut expendit Chrysost. Hom. 2. de Spiritu S. *Hôc* (inquit) *Prophetæ illustrantur*, *Reges inunguntur*, *Sacerdotes ordinantur*, *Doctores illuminantur*, *Ecclesiæ sanctificantur*, *altaria fundantur*, *unguentum consecratur*, *aquæ purgantur*, *dæmones abiguntur*, *morbi curantur*, *peccatores reconciliantur*.

764 Notandum, quòd nomen *Spiritus Sanctus*, proùt sumitur in vi duarum dictionum, commune est toti Trinitati: At si accipiatur in vi unius; ex usu Scripturæ & Ecclesiæ, accomodatur tertiæ Personæ per amorem procedenti; & hujus accomodationis necessitas, declaratur q. 36. a. 1. quia cùm processio per modum amoris, careat propriô nomine (q. 27. a. 4. ad 3.) consequenter & relationes quæ sècundùm ipsam accipiuntur, sunt innominatę (q. 28. a. 4.) pariter & Persona procedens proprium non habet nomen: Unde, sicut hujusmodi processio & relationes, nominatæ sunt ex accommodatione; ità & Persona. Ratio autem quare processio quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine, est, juxta S. Doct. locô cit. ex q. 27. quia Deùm nominare non possumus nisi ex creaturis; in quibus communicatio naturę, non est nisi per generationem.

765 Secundum nomen, scilicèt *Amor*, convenit tertiæ

Personæ, *tùm* ex vi processionis, *tùm* ratione suæ operationis, quatenùs scilicèt nos reddit amantes, infundendo in nobis charitatem, juxta illud Rom. 9. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Tertium nomen, scilicèt *Donum*, personali etiam proprietate ei competit. Etenim Act. 8. dicitur: *Donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Et Ecclesia peculiariter appellat Spiritum S. *Donum Dei Altissimi.* Constat prætereà: Quia soli Spiritui S. est proprium ex vi processionis, procedere ut amor; primum autem donum quod confertur amico, est amor quô volumus ei bonum, & ad quod cætera consequuntur. *Nec obstat*, quòd donum dicat respectum ad creaturas quibus datur, & nulla creatura sit ab æterno; proprietas autem personalis, Spiritui S. ab æterno cônvenit. Nam, ut ait D.Th. q. 38. a. 1. ad 4. donum, non dicitur ex eo quòd actû datur, sed inquantùm habet aptitudinem ut possit dari: Unde ab æterno divina Persona dicitur *donũ*, licèt in tempore detur. Et benè nota, quòd *donum*, dicit respectum realem & primarium ad principium producens; ad creaturas autem, respectum rationis supponentem illum.

766 Certum nihilominùs est, quòd *Donum*, etiam ut nomen personale est, convenit Filio, juxta illud Isa. 9. *Filius datus est nobis.* Et Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Similiter si sumatur essentialiter (quatenùs Persona donans, potest se ipsam gratuitò dare,) toti Trinitati convenit. At esse *donum*, non est illis proprium eô modô quô est proprium Spiritui S. propter dicta. Circa alia nomina Spiritui S. attributa, vide Contenson hîc disp. 5. cap. 1. Specul. 3.

DUBIUM III.

An, si Spiritus Sanctus à Filio non procederet, distingueretur realiter ab illo?

767 SPiritum S. à Filio procedere, veritas catholica est, diffinita in pluribus CC. tùm Orientali-

libus, tùm Occidentalibus. Et quidèm, ante exortum annô 1054. Græcorum schisma, diffinita fuit in Oriente à Synodo Alexandrina, ex qua Cyrillus ita scribit ad Nestorium: *Spiritus appellatus est veritatis, & veritas Christus est; unde & ab illo similiter, sicut ex Patre procedit.* A quinque prętereà Synodis Gen. nempè, Ephes. part. 1. c. 14. Calced. act. 5. Constant. II. act. ult. Const. III. act. 17. & Nicænâ II. act. 17. In Occidente verò, à Concilio Toletano I. an. 400. in Regula Fidei, in qua expresè legitur particula *Filioque*. Toletano III. an. 589. IV. an. 633. VIII. an. 654. & XI. an. 675. ut videre est apud Card. de Aguirre. Demùm à Con. Aquisgranensi sub Carolo Magno an. 829. ut testantur Ado, & Regino. Quando autem particula *Filioque*, addita fuerit Symbolo Constantinop. incertum.

Post Græcanicam autem ab Ecclesia defectionem; diffinita fuit hæc veritas in Concilio Barensi, sub Urbano II. an. 1097. Later. IV. sub Innoc. III. an. 1215. Lugdun. II. sub Gregor. X. an. 1274. & Florent. sub Eugenio IV. Ferrariæ inchoatô 1438. Quibus subscripserunt Græci: In Patriam tamen reversi, ad ingenium redierunt, antiquo errori (à Nestorianis circa annum 430. primùm invento) pertinaciter, ad hæc usque tempora, adhærentes; at non impunè, gemunt siquidèm sub misera Maumethanorum servitute, Constantinopoli captâ à Turcis anno 1453. ipsâ die Pentecostes, Spiritui Sancto consecratâ. De hoc catholico dogmate, consule Joan. à S. Th. Marinis, Petavium, Maymburg, & alios, videndos apud Cabassutium Disser. de Processione Sp. S. quæ habetur in Not. Ecclesiast. Sæculi XIII. post Canones C. Lugd. II. pag. mihi 488. Hâc igitur veritate suppositâ; circa pręsens dub.

768 Conclus. est negativa, communis Thomistarum, & frequentior in Scholis, contra Scotistas, & Bachonistas. Et prob. 1. Quia tunc, nulla esset inter Filium & Spiritum S. oppositio relativa, cùm hæc in origine & processione unius Personæ ab alia fundetur; & consequenter nec realis distinctio: *In divinis enim omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*, ut fert axioma, ex Boëtio & Anselmo desump-

tum; imò, expreſſum tanquàm dogma, in profeſsione Fidei traditâ Jacobinis ab Eugenio IV. in ſolemni ſeſsione, ſacrò approbante Cõciliô Oecumenicô Florẽtinô, ubi ſic legitur: *Hæ tres Perſonæ, ſunt unus Deus, & non tres Dii, quia trium eſt una ſubſtantia, una eſſentia, una natura, una divinitas, una immenſitas, una æternitas; omniaque ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.* Vide Porter in Syſt. Decret. pag. 529. & tom. 13. CC. edit. Pariſienſis anni 1672. pag. 1206.

769 Prætereà. Conc. Tolet. in Profeſſ. Fidei, ait: *In relatione Perſonarum, numerus cernitur: hôc ſolô numerum inſinuãt, quòd adinvicèm ſunt.* Quibus clarè ſignificat, ad diſtinctionem hîc, non ſufficere relationes quaſi diſparatas, quales darentur in Filio & Spiritu S. ſi hic ab illo non procederet. Eatenùs enim divinæ Perſonæ numerum faciunt, aut inter ſe diſtinguuntur; quatenùs adinvicèm ſunt, id eſt, mutuò ſe reſpiciunt oppoſitione relativâ: Unde Gregorius Nyſſenus l. ad Ablavium: *Eò diſtinguitur Spiritus à Filio, quòd per ipſum eſt.* Tandèm in Conc. Florent. Seſſ. 18. dixit Joannes Theol. *Nulla eſt alia ratio diſtinctionis in divinis, niſi propter hoc, quòd aliqua Perſona ſit ab alia.* Quæ verba, etſi diffinitio non ſint, ſummi tamen ponderis exiſtimari debent.

770 Reſpondent Scotiſtę, quòd in hypoteſi quęſt. maneret inter Filium & Spiritum S. oppoſitio *relationis*, quaſi diſparata, ob diverſas relationes filiationis, & ſpirationis paſſivę, licèt non *relativa*, ob defectum proceſsionis unius ab alio; primam autem, & non ſecundam, aſtrui neceſſariam ad diſtinctionem in divinis. *Sed* hæc evaſio, ſolâ lectione teſtimoniorum, penitùs corruit: Verbis enim Concilii, G. Nyſſeni, & Florentini, nullatenùs adhiberi poteſt; cùm apertè requirant proceſsionem ad diſtinctionem. *Deindè*: Conc. Tolet. expreſsè loquitur de oppoſitione relativa, *eſſe enim adinvicèm*, idem prorsùs ſignificat, ac *mutuò ſe reſpicere, unam eſſe ad aliam, ſeu relativè opponi.* Præt. explicans illud, *Adinvicèm ſunt*; ſubjungit, *quod enim Pater eſt, non ad ſe, ſed ad Filium eſt; & quod Filius eſt, non ad ſe, ſed ad Patrem eſt: Similiter Spiritus S. non ad ſe, ſed ad Patrem & Filium relativè refertur*: ergo per ly *adinvicèm ſunt*, intelligit relationem mu-

mutuam quâ ſe Perſonæ relativè reſpiciunt, & opponuntur.

771 Tandèm: Quia oppoſitio illa, quam *relationis* vocant, oppoſitio non eſt, ſed diverſitas relationum, & quidèm rationis duntaxàt; quæ diſtinctionem realem non infert, ut patet evidenter in Patre, in quo relationes paternitatis & ſpirationis activæ, non diſtinguunt duas Perſonas; & idem eſt de filiatione & ſpiratione activâ, reſpectû Filii, juxta Fidem: ergo nec relationes & ſpirationes paſsivæ, diſtinguunt Perſonas in hypotheſi quęſt. *Explicatur*: De facto Paternitas & filiatio ſunt realiter idem cum ſpiratione activa, ob defectum oppoſitionis; nec ſpirator, eſt Perſona diſtincta à Patre & Filio: ergo filiatio & ſpiratio paſsiva eſſent realiter idem in hypotheſi quæſt. ob eundem defectum; nec Spiritus S. eſſet Perſona diſtincta à Filio.

Si dicas: Diſparitatem eſſe, quòd ſpiratio paſsiva & filiatio, in hypotheſi facta; tametſi diſparatè ſe haberent; conſtituerent duos terminos adæquatè productos per duas actiones productivas, ſcilicèt, Filium, & Spiritum S. Spiratio autem activa & Filiatio, non conſtituunt duos terminos adæquatè productos: *Contra eſt*: Ideò actio ſpirandi, êadem eſt in Patre & Filio; quia iſti in ratione ſpirandi non ſe opponût, ideòque unum principium ſunt, tàm actionis ſpirativæ, quàm termini producti per illam, nempè Spiritûs S. at in hypotheſi facta, Filius & Spiritus S. non ſe adinvicèm opponerent, nec mutuò ſe reſpicerent in ratione terminandi generationem & ſpirationem activam: ergo poſſent eſſe unus & idem realiter terminus utriuſque actionis, atque una êademque Perſona.

772 Nota hîc, ut aliam evaſionem præcludas, quòd in divinis, quidquid eſt poſsibile, de facto eſt; & quidquid de facto non eſt, eſt omninò impoſsibile: Prorsùs igitur impoſsibile eſt, Perſonas divinas aliter inter ſe diſtingui, quàm oppoſitione relativâ in origine fundatâ, ſi de facto ſolùm ratione hujus diſtinguuntur. Et hinc ſententia Scoti videtur quibuſdam malè ſonans, ut refert & approbat Marinis: eò ſcilicèt, quòd Sacra CC. nunc de facto Perſonas ſolùm diſtingui aſſerunt, per hoc quòd una ab alia procedat;

dat ; quod in ſententia Scoti ſtare non poteſt : ſiquidèm, de facto eſt alia ratio diſtinctionis inter Filium & Spiritum S. nempè, illamet, quæ in caſu poſitò eſſet ſola & ſufficiens ratio diſtinguendi Spiritum S. à Filio : *In hoc ergo* (inquit Ill. Marinis) *omninò rejiciendus eſt Scotus.*

773 Prob. 2. concluſ. Quia ex oppoſito ſequeretur 1. quòd ſi Spiritus S. nec à Patre procederet, ſed ſpiratio reſultaret in illo à natura per modum proprietatis ; adhùc diſtingueretur à Filio : nam iſte haberet filiationem, & ille ſpirationem paſsivam. *Secundò*, quòd nullâ interveniente proceſsione unius ab alio, ſalvaretur Trinitas in Deo : Si enim paternitas, filiatio, & proceſsio, ſeu ſpiratio paſsiva emmanarent immediatè à natura tanquàm proprietates ; nullâ intervenientè proceſsione, paternitas ſe ſolâ conſtitueret Patrem, à Filio & Spiritu S. diſtinctum, & ſic de aliis reſpectivè : Sicut in hypotheſi quæſt. filiatio & ſpiratio paſsiva conſtituerent, juxta Scotum, Filium, & Spiritum S. inter ſe diſtinctos, nullâ interveniente proceſsione Spiritûs S. à Filio. Utrunque autem conſequens, abſurdum eſt : ergo.

774 Nota hîc, ſenſum hujus axiômatis, *Ex impoſsibili ſequitur quodlibet*, non eſſe, quòd datô aliquô impoſsibili, ſequatur quodlibet aliud impoſsibile, vel quæcumque contradictio imaginabilis : Datô enim quòd *lapis ſit ſentiens*, non ſequitur, quòd *non ſit ſubſtantia*. Senſus ergo, juxta M. Soto in Dialectica, eſt, quòd *ex impoſsibili ſequi poteſt, tàm id quod eſt impoſsibile, quàm id quod eſt contingens, & id quod eſt neceſſarium*. Unde ly *impoſsibili*, ſumitur indefinitè, & ly *quodlibet*, pro generibus ſingulorum : Ex impoſsibili enim aſſignatô, nempè, quòd *lapis ſit ſentiens*, ſequitur, quòd ſit *ſubſtantia*, quę eſt propoſitio neceſſaria ; quòd ſit *quantus*, quæ eſt contingens ; & quòd *poſsit ſentire*, quæ eſt impoſsibilis. Et in hoc differt impoſsibile à contingenti, & neceſſariô, ex quibus ſequi non poteſt impoſsibile. *Similiter* exponendus eſt ſenſus hujus, *Neceſſarium ſequitur ex quolibet*. Hęc enim propoſitio neceſſaria, *homo eſt vivens*, ſequitur ex iſta neceſſaria, *Homo eſt animal* ; ex hac impoſsibili, *Homo eſt equus* ;

equus ; & ex hac contingenti , *Homo discurrit*. Unde ex 1.regula non infertur, quòd in hypothesi impossibili quæst. Spiritus S. *distingueretur* , & *non distingueretur* à Filio , ut visum est Gotfredo, Cano à Bañes relato, Granados, aliisque. *Nota* præt.contra Valentiam, hanc conditionalem, *Si Spiritus S. à Filio non procederet , adhùc distingueretur ab illo* , veram non esse, adhùc insistendo principiis naturalibus; in his enim contineri non potest , cùm ejus objectum sit supernaturale.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

775 Opp. 1. Ansel. epist. seu lib. de Spiritu S. docentem : Quòd *etsi per aliud non essent plures , Filius , & Spiritus S. per hoc solùm essent diversi , scilicèt, quia alter nascendo, alter existit procedendo*: ergo ad distinctionem realem inter Filium, & Spiritum S. sufficit , quòd hic per voluntatem , ille per intellectum procedat. *R.* Ansel. nullatenùs favere Scoto, ut immeritò existimat Vazquez : *Prædicta enim verba inducta sunt, magis ut disputativa suppositio , quàm veritatis diffinitio* , ut loquitur D.Th.q.10.de pot. a.5.ad 2.& constat evidenter ex contextu. Et sanè Anselmus sæpè in illo libro inculcat illud, *In divinis omnia sunt idem ubi non*, &c. Expressè etiam ibidem ait : *Cùm apparuerit , quòd Spiritus S. est de Filio*; (quod suadere conatur totô illô librô) *tunc quoque palàm erit , quia propter hoc, nequit esse Filius Spiritus S. & Spiritus S. Filius*. Quid apertius?

776 Opp. 2. fundamentum Scoti : Generatio & processio, in illa hypothesi, adhùc essent duæ processiones , seu origines adæquatæ : ergo cùm implicet , eandem Personam duplici origine adæquatâ produci, &c. *N.* ant. *Nam Spiritus Sanctus distinguitur personaliter à Filio in hoc , quòd origo unius distinguitur ab origine alterius* : *sed ipsa differentia originis , est propter hoc , quòd Filius est solùm à Patre ; Spiritus Sanctus verò , à Patre & Filio ; non enim aliter processiones distinguerentur*. Verba sunt D.Th.q.36. a.2. ad 7. *Dices*, quòd tunc altera processio esset per intellectum , altera per voluntatem ; & consequenter essent adæquatæ , & quælibet exigeret terminari ad suppositum distinctum. *R.* quòd proces-

ceſsio per voluntatem, differt modò à proceſsione per intellectum, ratione ordinis quem illa dicit ad iſtam (q. 27. a. 3. ad 3.) ablatô autem hôc ordine originis; una proceſsio per aliam compleri deberet, & adæquari: Unde, una eſſet adęquata proceſsio, ſicut unum realiter ſunt in Deo intellectus & voluntas; & unus etiam eſſet terminus per eam productus, qui, & Verbum eſſet, & Impulſus, & una realiter Perſona, ſicut de facto êadem Perſona eſt Pater & ſpirator.

777 Inſiſtes adhùc 1. Quia tùnc darentur filiatio, & proceſsio, quę ſunt relationes per ſe ſubſiſtentes incommunicabiliter; & quę proinde convenire non poſſunt eidem realiter ſuppoſito. *Secundò*: Quia prioritas originis, quæ ſecum fert diſtinctionem Perſonarum, adhùc tunc ſubſiſteret inter Filium, & Spiritum S. cùm iſte per voluntatem, ille per intellectum procederet: ergo. *R.* ad 1. quòd filiatio & ſpiratio ſunt nunc relationes per ſe ſubſiſtentes incommunicabiliter, eò præcisè, quia filiatio ſecum fert ſpirationem activam per quam Filius opponitur relativè Spiritui S. quod tunc non eſſet, ut patet ex terminis. *Ad* 2. N. ant. Quia Filius non eſſet origo & principium Spiritûs S. in quo ſolùm ſtare poteſt prioritas originis, non autem in eô quod Filius intelligatur priùs procedere à Patre quaſi virtualiter; uliàs inter intellectum divinum, & voluntatem, daretur prioritas originis, & conſequenter diſtinguerentur realiter; quod eſt hæreticum.

778 Opp. 3. Si Spiritus S. à ſolo Filio procederet, adhùc diſtingueretur realiter à Patre: ergo pariter. *N.* conſeq. Quia Pater, cùm in hypotheſi antecedentis, Filium generaret; eſſet origo & principium mediatum Spiritûs S. undè paternitas ſecum ferret ſpirationem activam quaſi radicalem; ac proindè daretur oppoſitio mediata, & conſequenter realis diſtinctio inter Patrem, & Spiritum S. At, in hypotheſi quæſt. Filius, nè mediatè quidèm, produceret Spiritum S. nec tum iſto opponeretur, ut patet; undè, &c. *Dices*: Natura radîcat paternitaté formaliter oppoſitam filiationi, quin huic relativè opponatur. *R.* quòd eſſentia radîcat pater-

ternitatem per virtualem emanationem, non per modum principii productivi : Pater autem radîcat filiationem per realem productionem: undè nulla est paritas.

779 Opp.4. Filii constitutivum & distinctivum, est filiatio, quæ tunc êadem maneret ac modò, quia maneret Filius ejusdem Patris; undè & êadem maneret distinctio quæ nunc. *R.* quòd non remaneret êadem filiatio quæ nunc; ideòque nec idem Filius, nec idem Pater; filiatio enim nunc fert secum (& quidèm essentialiter & intrinsecè) spirationem activam, per quam opponitur Spiritui S. & secundùm conceptum hunc, constituit etiam Filium: tunc autem, constitueret Filium secundùm conceptum expressum filiationis duntaxàt, cùm alium non haberet. Nec tunc generatio activa, esset essentialiter ut nunc; undè nec esset êadem Paternitas, nec idem Pater. Verum quidèm est, quòd filiatio tunc distingueret Filium ab omni alia persona, quæ non esset Filius; sed non sequitur : ergo *distingueret ipsum à Spiritu S.* quia Spiritus S. non esset tùnc alia Persona à Filio.

780 Opp.5. Si Spiritus S. liberè procederet à Filio, distingueretur ab illo, si processio infert distinctionem : ergo cùm tunc posset procedere, & non procedere; semper ab illo distingueretur, seu procederet, seu non procederet. *R.* quòd in ea hypot. non posset intelligi Spiritus S. Esset enim ens creatum & contingens, potensque non esse: undè tunc non solùm personaliter, sed essentialiter distingueretur à Filio, tanquàm creatura à Deo, & ens contingens à necessario. Quapropter conditionalis illa, non solùm importat implicantiam ex parte rei; sed etiam in terminis, scilicèt, *quòd Spiritus S. sit, & liberè procedat.*

781 Opp. tandèm ad probandum, quòd tunc Spiritus S. distingueretur, & non distingueretur à Filio : cùm enim hypothesis quæst. sit absolutè impossibilis; aliquam debet inferre contradictionem. *R.* non inferri contradictionem illam, propter dicta; sed hoc impossibile, scilicèt, *quòd non esset idem Spiritus S. qui re ipsâ est.* Si dicas, quòd si impossibile redderetur possibile, destrueretur, & non destrueretur omnipotentia, ut quibusdam ex nostris placet, & con-

se-

sequenter, &c. *R.* permissô ant. falsô, disp. esse: Quia ex illo impossibili, consurgeret ratio utriusque; destructionis quidèm omnipotentiæ, ob novam continentiam; non destructionis, quia intelligi non potest possibilitas rei, ante impossibilis, quin omnipotentia (à qua posset poni) intelligatur; at in hypothesi quæst. nulla maneret ratio distinctionis; & sic solùm subsisteret ratio identitatis.

DUBIUM IV.

Ex quorum amore, & ex quo principio, per se procedat Spiritus Sanctus?

782 PRima concluſ. *Spiritus S. per se procedit ex amore omnium quæ sunt formaliter in Deo, Essentiæ scilicèt, Attributorum, & Personarum; non autem ex amore possibilium, nec futurorum.* Prima p. constat ex dictis: Quia per se procedit ex amore perfectissimo quô Pater & Filius mutuò se diligunt. Quoàd 2. patet: Quia possibilia amari non possunt amore complacentiæ, ut suprà ostensum est à n. 464. Undè nec concomitanter procedit Spiritus S. ex eorum amore. Futura autem liberè amantur à Deo; undè solùm per accidens, & concomitanter procedit ex eorum amore, juxta dicta. Et hoc insinuat D. Th. cùm dicit: *Quòd sicut Pater dicit se, & omnem creaturam, Verbô quod genuit: ità diligit se, & omnem creaturam, Spiritû S.* Hinc si Deus necessariò amaret possibilia, ut quibusdam placet; Spiritus S. per se procederet ex eorum amore: si autem liberè amaret ea, concomitanter duntaxàt.

783 Secunda concluſ. *Spiritus S. per se exigit procedere à duabus Personis; quæ tamen unum duntaxàt sunt principium illius.* Prima p. prob. contra Scotum. *Tùm* ex D. Th. in 2. d. 11. q. 1. a. 2. & 4. dicente: *Creatio est actio trium Personarum; non secundùm quòd distinctæ sunt, sed secundùm quòd uniuntur in essentia; quia etiam per intellectum remotâ distinctione Personarum, adhùc remanebit creatio; sed spiratio, est actus communis pluribus suppositis, secundùm quòd distinguuntur.* Et hîc q. 36. a. 4. ad 1. *Si considerentur suppositа spirationis; sic Spiritus S.*

pro-

procedit à Patre & Filio, ut sunt plures: procedit enim ab eis ut amor unitivus eorum. Tùm ratione modò insinuatâ : Quia Spiritus S. procedit ut amor, non qualiscunque, sed mutuus, quasi nexus & vinculum duorum; ideòque appellatur à Patribus, suavissimum & purissimum utriusque oculum, quia nimirùm, est terminus amoris perfectissimi & fidelissimi, qui est amor amicitiæ ; & iste plura exigit suppositа, quia mutuus & reciprocus ; *minùs enim quàm inter duos, charitas haberi non potest*, ut Greg. ait Hom. 17. in Evang. ergo.

784 Secunda pars (etsi negetur à Greg. Arim. Durando, Ocham, & Gabriele;) traditur à Concil. Lugd. II. diffiniente, *Spiritum S. esse æternaliter à Patre & Filio, non tanquàm ex duobus principiis, sed tanquàm ex uno principio.* Damnat deindè eum qui dixerit, *esse ex illis tanquàm duobus principiis*; ubi, per ly *tanquàm*, designatur rei veritas, non similitudo, ut patet ex contextu, & scopo Concilii, qui erat propulsare errorem & calumniam Græcorum, Latinis objicientium, quòd ponendo Spiritum S. à Patre & Filio; ponerent duo principia Spiritûs S. Prob. insuper: Quia unicam habent virtutem spirativam, sicut unicam voluntatem: ergo. Tenet conseq. juxta dicta n. 733. quia *principium*, est nomen substantivum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

785 Opp. 1. contra 1. p. 2. concluſ. In una sola Persona, v. g. in Patre, est adæquata vis spirativa seu productiva Spiritûs S. ergo dualitas Personarum, non requiritur per se ad productionem Spiritûs S. sicut Trinitas Personarum per se non concurrit ad productionem creaturarum, quia in qualibet Persona residet adæquata vis productiva illarum. *R.* quòd licèt in Patre sit adæquata vis spirativa ; in eo tamen non est omnis conditio essentialiter exacta à termino ad productionem Spiritûs S. nempè, pluralitas suppositorum, re verâ exacta in principio per mutuum amorem spirante. Creatio autem, nihil habet vî cujus intelligi non possit absque pluralitate suppositorum ex parte principii. *Nota* hîc, quòd ratio *mutui*, licèt nullam addat perfectionem ad amorè divinum; addit tamen complementû: quod sufficit ad concl. sicut requiritur ad beatitudinè videre relationes & personas,

qui-

quibus essentia modificatur & terminatur, ut dictũ est n. 245.

786 Opp. 2. contra 2. p. ejusdem: Principium Spiritûs S. supponit pro supposito spirante: ergo sunt duo principia, sicut sunt duo suppositа spirantia. *N.* conseq. quia nomen *principium*, cùm sit substantivum, ad sui pluralitatem desiderat multiplicationem formæ significatæ. *Nota* ex D. Th. q. 36. a. 4. ad 4. in hac propositione, *Pater & Filius sunt unum principium*, ly *unum principium*, non habere suppositionem determinatam, sed confusam pro duabus Personis simùl: *confusam*, inquam, non in rigore dialectico, ut dùm dicitur, *requiritur alter oculus ad videndum*; sed copulativam, seu collectivam, ut ex verbis ipsis patet, ad modum quô supponit ly *causa*, in hac prędicatione, *pater & mater sunt causa filii*, quod, ratione subjecti, supponit pro principio adæquato generationis; id est, pro utroque parente simùl. *Unde* sicut ratio causæ, seorsìm de illis affirmari potest, eò quòd in his propositionibus, *Pater est causa filii*, *Mater est causa filii*, ly *causa*, jàm non supponit collectivè: Sic ly *principium*, affirmari potest seorsìm de Patre, hæc enim est vera, *Pater est principium Spiritûs S.* quia scilicèt, ly *principium*, non supponit in ea quasi confusè, id est, copulativè. Hinc colliges, quòd hæc conseq. non tenet: *Pater & Filius sunt unum principium Spiritûs S.* ergo *sunt unum principium Spiritûs S. quod est Pater.* Arguitur enim à confusa, ad determinatam.

DISPUTATIO ULTIMA.

De Proprietatibus Divinarum Personarum.

DUBIUM I.

De similitudine, æqualitate, & circumInsessione Divinarum Personarum.

PRoprietates Divinarum Personarum, aliæ sunt ipsis intrinsecæ; aliæ verò extrinsecæ in ordine ad creaturas. De primis agimus in hoc dubio, de aliis, in sequenti. Sit igitur

Con-

787 Concluſ. *Inter divinas Perſonas eſt perfectiſsima æqualitas, & ſimilitudo, mutua etiam inter ipſas inhabitatio, ſeu circuminſeſsio.* Prima p. eſt de fide ex Symbolo Athan. Prob. inſuper rat. D.Th. Quia omnes habent eandem eſſentiam, & hæc æquè perfectè eſt in illis. Ubi nota ex D.Th. q.42.a.1. ad 2. quòd æqualitas, includit in ſe ſimilitudinem, & aliquid plus, quia excludit exceſſum. *Ratio* autem propoſita, non ſolùm ſimilitudinem (quam etiam Arriani fatebantur inter Patrem & Filium) ſed perfectam æqualitatem (quam pertinaciter negabant) manifeſtè convincit. Nota etiam, quòd æqualitas & ſimilitudo in divinis Perſonis, non eſt relatio diſtincta à relationibus perſonalibus; ſed in ſuo intellectu, includit & rationes diſtinguentes Perſonas, & eſſentiæ unitatem. Undè in his, appellatio tantùm eſt relativa, quæ ponit relationem rationis.

788 Quoàd 2.p. de circuminſeſsione, traditur à PP. ex illo Joan. 14. *Ego in Patre, & Pater in me eſt.* Quod etiam verum eſt de Spiritu S. Explicatur autem à D.Th. q.42. a.5. docente, tripliciter unam Perſonam eſſe in alia. 1. ſecundùm eſſentiam, quæ omnibus Perſonis communis eſt. 2. ratione originis, quæ, cùm ſit actio immanens, exigit ut id quod procedit, maneat in principio à quo procedit, & non ſeparetur ab illo. Undè Chryſol. loquens de Filio, ait: *Proceſsit de Patre, & à Patre penitùs non abſceſsit.* 3. ſecundùm relationem, quia unum oppoſitorum relativè eſt in alio ſecundùm intellectum. Quibus non dicit, Patrem eſſe in Filio ſecundùm rem quoàd relationem; ſed ſecundùm intellectum, ſeu diffinitivam rationem; undè mirum eſt, quod impugnetur à Durando & Aureolo. Vide Cajet. ibi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

789 Opp. 1. contra 1.p. concl. Quòd in Filio non eſt potentia generandi quæ eſt in Patre, aliàs poſſet generare: ergo aliqua potentia eſt in Patre, quæ non eſt in Filio: undè non ſunt æquales. *N.* ant. Nam *ſicut êadem Eſſentia, quæ in Patre eſt paternitas, in Filio eſt filiatio: ita êadem eſt potentia quâ Pater generat, & quâ Filius generatur: undè manifeſtum eſt, quòd quidquid poteſt Pater, poteſt Filius; non tamen ſequi-*

tur,

tur, quòd posit generare : sed mutatur quid in ad aliquid; nam generatio significat relationem in divinis. Habet ergo Filius eandem potentiam ac Pater : sed cum alia relatione; quia Pater habet eam, ut dans ; & hoc significatur cùm dicitur, quòd potest generare. Filius autem habet eam , ut accipiens ; & hoc significatur, cùm dicitur, quòd potest generari. Verba sunt D.Th.q.42. a. 6. ad 3.

790 Opp.2. cont. 2.p. Nam Deus dicitur esse in nobis, & nos in illo, quin aliqua inexistentia Dei in nobis, vel econversò, significetur : ergo nec infertur inexistentia inter Personas divinas, ex quo una dicatur esse in alia. *N.* conseq. Ea enim, quæ de Deo & creaturis sub eodem tenore verborum dicuntur, non sunt intelligenda eôdem modô, sed *proportionaliter*, juxta regulam Chrysost. Hom. 13. in Epist. ad Rom.& Concilii Later. IV. c. *Damnamus.* Juxta quam, interpretari debet illud Joan. 16. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, & id genus alia.

Adverte in fine, solemne esse Ecclesiæ Catholicæ, aliquô tempore vetare propter hæreticos, quod in alio & indulget,& præcipit. Repellebant PP. Latini *tres hypostases*, nè *tres substantias* viderentur admittere : at, dùm evanuit timor quem timebant; nihil inter illos usitatius, quàm *trium hypostaseon* professio. Sic grassante Semiarrianismô invehente *homœsousion*, id est, *simile in natura*, ut excluderetur *homousion*, id est, *consubstantiale* seu *coëssentiale*; refugiebant PP. fateri, Filium esse similem Patri : Sepultâ tamen illa hæresi, nullum est periculum, sed plena necessitas confitendi Filium similem Patri.

DUBIUM ULTIMUM.

De Missione Divinarum Personarum.

791 MIssionem activam,& passivam, Personis divinis convenire, constat ex Matth. 10. *Qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Joan. 8. *Ego,& qui misit me Pater.* Et 15. *Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiri-*

ri-

ritum veritatis. *Ad* hanc autem missionem requiritur 1. ratio principii ad intra, ex parte mittentis; & originis passivæ, ex parte missi. Hinc Patri solùm convenit mittere, Spiritui S. solùm mitti; Filio, utrunque. Cùm igitur Isai. 48. Spiritus dicitur misisse Filium, *missio* sumitur minùs strictè, proùt præcisè dicit effectum temporalem, toti Trinitati communem, secundùm quem attenditur missio.

Requiritur 2. ad missionem, habitudo missi ad terminum ad quem mittitur, qui vi missionis incipiat esse novô modô, nempè, per aliquem effectum temporalem qui personæ missæ specialiter conveniat. *Et* benè nota, quòd ad missionem latè acceptam, ab Aug. & aliis PP. admissam, rigorosè exigitur, quòd persona quæ mittitur, quanvis non procedat à mittente, procedat tamen ab alia. Unde Pater, nè impropriè quidèm, dicitur mitti. Vide Marinis q. 43. a. 1. c. 2. Missio strictè sumpta, sic potest describi: *Processio unius personæ ab alia ut existat novô modô in alio, visibiliter, vel invisibiliter, ad effectum sanctificandi creaturam rationalem.*

792 Ex quo inferes 1. missionem importare in recto processionem, & connotare in obliquo effectum de novo productum in creatura; & subinde importare primariò aliquid notionale, secundariò verò, aliquid essentiale & commune. Secundò, non posse unam personam se ipsam mittere, licèt possit se ipsam dare.

Tertio, rectè dividi missionem, in visibilem, & invisibilem. Prima est quę fit in aliquo effectu sensibiliter apparente, & repræsentante personam missam. Secunda in effectu spirituali. Hic autem effectus, sola est gratia & charitas; Deus enim non est in homine, nec econtrà, nisi per charitatem, juxta illud Joan. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Nota expositionem Bernardi: *Deus charitas est*, quid pretiosius? *& qui manet in charitate, in Deo manet*, quid securius? *& Deus in eo*, quid jucundius?

793 Si autem quæras: An per hujusmodi missionem, præter creata dona gratiæ & charitatis, ipsæ Personæ divinæ nobis donentur? *R.* affirmativè, juxta illud Rom. 5.

Cha-

Charitas Dei, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis. Et hic modus divinæ præsentiæ, specialis & realis est; sicut specialiter & realiter est in beatis per gloriam, & in humanitate Christi per unionem hypostaticam. Vide Contenson solidè & juxta piisimè differentem de hac divinarum Personarum præsentia, quam desiderare magis libet, quàm exponere. Concludamus igitur hunc Tractatum aureis Aug. verbis tract. 36. in Joan. *Deus Trinitas* (inquit) *Pater, & Filius, & Spiritus S. veniunt ad nos dùm venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo; ut sit eorum non extranea visio, sed interna; & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna.* Amen.

TRACTATUS VIII.
DE ANGELIS.

A quæst. 50. ad 64. 1. p. D. Th.

POST considerationem de Deo, ut in se Uno & Trino, contemplatur ipsum S. Doct. ut primum creaturarum principium. Et priùs agit de præcipuis creaturis, nempè, Angelis, à quæst. 50. ad 64. inclusivè, ubi Angelorum substantiam, intellectũ, voluntatem, eorumque creationem concernentia, Angelicè pro more speculatur. Deindè illorum considerationem resumens, de ipsorum ministerio respectû creaturæ spiritualis & corporalis, à q. 106. ad 114. exactissimè differit, hanc interruptionem exigente mirô & incomparabili doctrinæ ejus ordine; quippè de Angelorum ministerio, ad divinam gubernationem spectante, nullibì congruentiùs pertractari poterat, quàm ubi de illa erat sermo, quem à q. 103. scitè exorsus fuerat. Quia ta-

tamen doctrina de ministerio Angelorum plana, ac facilis est in Littera, illâ omissâ, primam illorum considerationem, 15. qq. à S. Doct. comprehensam, assumendam duximus. Sit igitur

DISPUTATIO I.

De Substantia Angelorum absolutè.

DUBIUM I.

Utrum Angelus sit omninò Incorporeus?

794 SUpp. est 1. quòd nomen græcum *Angelus*, attentâ etymologiâ, idem significat quòd *Missus*, seu *Nuntius*; & consequenter nomen est officii, non naturę, juxta Patres: Et sic adaptatur Ministris Dei ejus voluntatem annuntiantibus, ut Joanni Bap. Matth. 11. & Sacerdotibus, Malach. 2. At, juxta communem Scrip. Ecclesiæ, PP. ac Theol. sensum, tribuitur substantiis spiritualibus completis, quas Gentiles, & Phylosophi, *Deos*, *Genios*, *Dœmonas*, *Intelligentias*, aliisque nominibus, appellabant. Usurpatur prętereà nomen *Angelus*, specialiter pro Spiritibus ultimi Ordinis.

795 Supp. est 2. dari hujusmodi Angelos, qui sint hominibus naturâ præstantiores. *Primum* Fides docet, ratio convincit, experientia testatur: Cùm passìm exprimatur in Scrip. requiratur à perfectione Universi, & appareat in energumenis, arreptitiis, magis, & incantatoribus, plura sæpè dicentibus, & facientibus, quę non propriis viribus, nec speciali Dei auxilio, & consequenter solis Angelis malis, tribui possunt. *Secundum* autem, habetur ex illo Psal. 8. *Minuisti eum paulominùs ab Angelis*, & 2. Petri 2. *Angeli fortitudine, & virtute cùm sint majores, &c.* In donis tamen gratiæ, potest homo Angelos, etiam omnes, superare, ut de Christo demonstrat Apost. Hebr. 1. & de Beatissima Virgine Deipara tenet communis sententia.

796 Supp. est 3. Angelos verè esse creatos, ut habetur ad

Coloſ. 1.& in Later.IV. cap. *Firmiter*, & quidèm in Cœlo Empyreo, ut docetur infrà q.61. Eſſe prętereà intellectuales, liberô gaudentes arbitriô,& peccabiles; nam boni, *ſemper vident faciem Patris*, ut dicitur Matth. 18. quod ad cognitionem intellectivam pertinet. *Deus* etiam *Angelis peccantibus non pepercit.* 2.Petri 2. *Tandèm* ſupp. eſt, maximam eſſe eorum multitudinem : dicitur enim Dan. 7. *Millia millium miniſtrabant ei, &c.* His ſuppoſitis,

797 Concluſ. eſt affirmativa, & communis PP. ac Theol. Licèt enim Juſtinus, Irenæus, Baſilius, Nazian. Hilarius, Auguſt. aliique PP. aſſerant, *Angelos eſſe corporeos*, & idem dicant Tertul. & Origenes; id tamen intelligendum eſt, ac ſi dicerent, *Angelos eſſe ſubſiſtentes veraſque ſubſtantias*; quippè nomine *corporalis rei*, res vera ſignificabatur apud Antiquos, juxta quod dicitur Coloſ. 2. habitare in Chriſto plenitudinem divinitatis *corporaliter*, id eſt *realiter* & *juxta veritatem*, ut exponit D. Thom. lect.2. Unde & Aug. lib. de hæreſ. hęreſi 86. Tertulianum ab hæreſi excuſat, quanvìs dixerit, *Deum eſſe Corpus* : *Quia potuit* (inquit) *propterea putare, corpus Deum eſſe, quia non eſt nihil, non eſt inanitas.* Vel intelligebant *eſſe corporeos*, id eſt, *limitatos* & *potentiales*; quia ſoùm Deum purè *incorporeum faciebant*; id eſt, nullô modô potentialem. *Vel* tandèm, quia omnia, *Dei ſimplicitati comparata, poſſunt reputari quaſi corpora materialia, licèt in ſe ſint incorporea & immaterialia*, ut loquitur D.Th.q.de Spirit. Creat.a.1.exponens Damaſ. Videatur etiam hîc q.50.a.1.ad 1. Joannes etiam à S.Th. & Bancel. ibidèm.

798 Prob. autem concluſ. *Tum*, quia Script. ad Hebr. 1. Angelos ſimpliciter vocat *ſpiritus*; & ſic loquitur etiam de Angelis malis, ut Matth.11. *Aſſumpſit alios ſeptem ſpiritus nequiores ſe*, nec ullum affert inconveniens, quòd nomen *ſpiritus*, propriè accipiatur. Porrò *ſpiritus*, propriè ſignificat ſubſtantiam incorpoream, ſiquidèm Chriſtus, Lucę 24. ut oſtenderet, ſe verum habere corpus poſt reſurrectionē, dixit: *Palpate, & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Tum, quia cùm in ſacris Litteris Angelus dicatur *ſpiritus*, ad differentiam hominis; talis eſſe debet adęquatè, & ex omni parte.

Tum

Tum ex Conc.Later.IV. cap.*Firmiter, de sum.Trinit.* ubi habet: *Deus suâ omnipotenti virtute ab initio temporis utranque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corpoream, Angelicam videlicèt, & mundanam; ac deinde humanam, quasi communem, ex corpore & spiritu constitutam.* Quibus, quanvìs fortè non diffiniat; supponit tamen tanquàm certum, naturam Angelicam esse purè spiritualem, cùm illam opponat tàm corporali, quàm constitutę ex corporali & spirituali: Unde oppositum censendum est, ut minimùm, temerarium: Sed hæresim appellare non audemus; maximè quia D.Th. q.17. de malo a.1. (cui Viri gravissimi subscribunt) mitiùs, & benigniùs pronuntiat, fortè ob reverentiam PP.

799 Prob. tandèm concl. rat. D. Th. Quia perfectio universi consistit in assimilatione ad Deum, qui cùm producat creaturam per intellectum & voluntatem, & intelligere non sit actus corporis, aut virtutis corporeæ; necesse est dari, ad perfectionem universi, creaturam purè intellectualem & incorpoream, quam Angelum vocamus. *Præt.* Perfectio universi, etsi non exigat omnes creaturas possibiles; exigit tamen, ut sint in ipso omnes gradus entis in suâ puritate & complemento, ut docetur suprà q.22.a.4. ergo exigit includere intra suum ambitum, non solùm mixta ex corpore & spiritu, sed etiam purè spiritualia, quæ Angelos nominamus, ut inde consurgat mundi pulchritudo, quæ ex multiplici graduum varietate effloresçit. Vide alias rat. apud S. Doct. q. de Spirit. creat. a. 5. & 2. cont. Gen. cap. 90. & 91.

800 Nota hîc, P. Vazquez, relictâ hâc ratione D.Th. probare spiritualitatem Angelorum ex velocitate motûs eorum; & quia penetrant corpora, absque ulla ruptione continui. Sed inefficaciter: Oppositа enim sententia tribuit Angelis corpus simplicius ac subtilius, quàm sint primum mobile, ac sudor; & nihilominùs illud (si Astrologis credimus) spatiô minuti unîus horæ, septingenta millia leucarum pertransit; quod est plusquàm centiès globum terraqueum circuire: & sudor, sine ulla continui ruptione, penetrat corpus animalis, exitque foris per poros emissus.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

801 Opp.1. VII. Synodum act. 5. approbare dictum Joannis Theſalon.nempè, *Angelos pingi poſſe, quia corpore ſunt præditi*: ergo. *R.*Concil.ſolùm approbare concluſ. intentam contra Iconomachos, ſcilicèt, *Angelos poſſe depingi, & eorum imagines venerari*; non autem ejus rationem, imò illam deſpexiſſe: Lectò quippè librò, dixit Patriarcha Tharaſius: *Oſtendit verò Pater, quòd & Angelos oporteat depingi, quoniam circunſcripti ſunt, & veluti homines apparuerunt multis. Sancta Synodus dixit*: *Etiam Domine*, ut legitur in Actis. Unde ratio illa de corporeitate Angelorum, fusè contenta in lib. omiſſa & deſpecta fuit à Tharaſio & Sancta Synodo. Et quidèm conſequenter; nam act. 4. præced. lecta & approbata fuit ſententia Athan. aſſerentis, *Angelos eſſe incorporeos*. Imò ibidèm continetur hæc fidei profeſsio: *Veneramur Imagines Sanctorum & incorporeorum Angelorum, qui tanquàm homines figurâ humanâ juſtis apparuerunt.*

802 Opp.2. Res materiales & corporeas poſſe agere in Angelos; ignis enim torquet eos in inferis, & fumus piſcis Tobiæ eos extricabat, & melodia citharæ Davidis, ſpiritum malum à Saûle fugabat: ergo habent Angeli materiam patibilem, & ſuſceptivam harum corporearum impreſsionum. *R.* corpora poſſe agere in ſpiritus, virtute divinâ, tanquàm hujus inſtrumenta. Vel ſignificativè, quatenùs ſignificant aliquod, quod, vel diſplicet dœmonibus, & ità recedunt; vel ipſis placet, & ità accedunt: *Dœmones enim alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum*; *non ut animalia cibis, ſed ut Spiritus ſignis, inquantùm ſcilicèt, hæc eis exhibentur in ſignum divini honoris, cujus ipſi ſunt cùpidi*, ut ex Auguſt. 21.de Civit. loquitur D. Th. infrà q.115. a.5. ad 3. Et hoc accidit in incantationibus. Et pariter expelluntur rebus ſignificantibus contemptum, ut fit in exorciſmis. *Præt.* Melodia illa fugabat Saûlis dœmonium, quatenùs temperabat atram bilem, quâ mediante, dœmon illum vexabat. Et benè nota, argumentum probare, Angelos eſſe ſenſitivos; & animam rationalem, etiam ſeparatam, eſſe corpoream; utrunque autem, vel

ipſis

ipsis opponentibus est prorsùs improbabile.

803 Opp.3. cont. rat. D.Th. Nam perfectio universi, & similitudo ad Deum, talis est, quòd major dari potest: ergo non probat, dari de facto in universo creaturas purè spirituales; harum enim perfectio existimari potest, esse illa quæ re ipsâ non est, sed esse potest; & quâ perfectius evaderet universum, quàm modò est. *Præt.* Homo, eò quòd operetur per intellectum & voluntatem, perfectè assimilatur Deo, quatenùs per intellectum & voluntatem operanti: ergo ad hanc similitudinem, non requiritur creatura purè spiritualis. *Tandèm*: ex quo Deus identificet sibi intellectum & voluntatem, quibus operatur; non sequitur, dari in universo creaturas sibi identificantes intellectum & voluntatem: ergo.

R. ad 1. dist. ant. Dari potest major, quoàd speciem, C. quoàd genus, N. Possunt quidèm produci Angeli multò perfectiores in specie, quàm producti; at, dari non potest genus nobilius genere substantiæ incorporeæ, in quo sunt Angeli. *Ad* 2. dist. ant. Perfectè assimilatur Deo, perfectione minimâ in genere intellectivo, C. maximâ, N. Gradus quidèm intellectus, supremus est omnium, & Deo simillimus, juxta August. sed homo non attingit gradum seu perfectionem intellectivi, quâ Angelus assimilatur Deo intelligendo, scilicèt, independenter à phantasmatibus & ab organis corporis. *Ad* 3. R. disp. esse, quia primum est implicatorium; non autem secundum.

804 Instabis: Opus artificis operantis per ideam, evadit perfectè simile suę causę, si sit perfectè simile ideæ; nec requiritur, quòd istam imitetur in immaterialitate, ut patet in domo, v.g. ergo idem dicendum de universo respectû Dei. *R.* disp. esse, quia artifex operatur etiam per manus: Unde opus debet esse materiale, ut non modò evadat simile ideæ in forma artificiali, sed etiam actioni manûs in corporeitate & materialitate. Actio autem quâ Deus producit, est purè spiritualis, utpotè est actus intellectûs & voluntatis: Unde, ut effectus sit perfectè similis suo principio, debet esse spiritualis. Creatura autem corporalis, est quidèm perfectè simi-

milis ideæ, non autem actioni quâ Deus illam producit, & consequenter nec suo principio. Vel aliter: est perfectè similis principio se habenti per modum formæ exemplaris; non autem producenti illam per modum efficientis.

Adverte hìc, ut Cajetani fundamentum dissolvas, quatuor duntaxàt assignari à Phil. & D.Th. 2. de Anima, gradus vitæ, nempè, *vegetativum*, *sensitivum*, *locomotivum*, & *intellectivum*: Nec novus stabiliendus est, ut intellectivum sit sine sensitivo: Sicut neque ut sensitivum sit sine vegetativo, quanvìs vegetativum sine sensitivo sit. Assignantur autem quatuor præfati gradus, inter se distincti; quia observatum est, aliquam animam esse sensitivam, quin habeat motum progressivum, ut in ostreis.

DUBIUM II.

Utrum Angelus sit compositus ex materia & forma?

ANte resol. adverte, quòd suppositô ex dubio præcedenti, Angelum esse substantiam incorpoream seu indivisibilem quantitativè; restat adhùc examinandum: an sit substantia divisibilis essentialiter, id est, composita ex materia, & forma?

805 Conclus. est neg. Nec enim componitur ex materia ejusdem rationis cum nostra, ut voluit Avicembron, nec ex spirituali, ut placuit Alensi, Bonav. Ric. Aureolo, & aliis. Prob. 1.p. Quia Angelus esset corporeus; quod negat Avicembron: homo enim est corporeus, & quidèm essentialiter, quia ejus materia est essentialiter corporea, utpotè quantitati subjecta, eamque ex intrinseca sua ratione radîcans. *Dices*: Materiam nostram esse indifferentem, ut sit corporea, vel incorporea; determinari verò in nobis ut sit corporea, quia unitur formæ per unionem corpoream: Sicut homo evadit corruptibilis propter unionem corruptibilem seu defectibilem; secùs in Angelis. Sed in oppositum stat 1. sententia negans unionem dictam. 2. Nam anima rationalis, indiffe-

rens

rens ex se,ut uniatur, vel ut non uniatur; non evadit corporea tametsi uniatur,juxta aliquos,unione corporeâ:ergo nec materia: ergo ista, ex se, & non ex unione, est corporea. 3. Quia denominatio *corporei*,vel *incorporei*,est omninò absoluta,& quasi ad se:frustrà igitur adducitur in exemplum denominatio corruptibilis,& incorruptibilis,quæ sumitur à partibus non absolutè acceptis, sed secundùm modum informandi, actuandi, aut recipiendi.

806 Secunda autem p. prob. ex D.Th. Opusc.15. c.7. Hæc complexa: *Materia immaterialis*,*corpus incorporeum*,*spiritus materialis*, *vivens mortuum*, & similia, sunt ex terminis implicatoria, utpotè ex parte unius termini, importatur carentia formæ significatæ per alium: ergo & istud,*materia spiritualis*,propter eandem rationem. *Præt.* Materia spiritualis (nisi terminis abutamur) esset pura potentia ordinata ad componendum cum forma spirituali totum aliquod spirituale: ergo nullum ex se diceret actum, nec consequenter perfectionem;at quidquid spirituale est,dicit ex se perfectionem & actum:ergo. *Conf.* materia spiritualis,esset pura potentia substantialiter perfectior quôcumque actû substantiali materiali, quod implicat, cùm omnis perfectio proveniat ab actu. Prob.sequela.Materia spiritualis,esset in genere seu specie subalterna substantię spiritualis,simpliciter perfectiori quàm species subalterna substantiæ materialis, in qua est omnis actus substantialis materialis: ergo.

Explicatur ampliùs: Materia est pura potentia; spiritualitas verò,est actus, & quidem valdè perfectus, omnes actus corporales dignitate transcendens: ergo admittere *materiam spiritualem*,est,puram potentiam actum perfectissimum confiteri. *Prob.*2. ratione S.D. Intellectio est operatio penitùs immaterialis, quia tale est ejus objectum, utpotè depuratum à conditionibus individualibus: ergo cùm operatio cujuslibet rei conformetur suo principio; etiam substantia spiritualis, quæ est intellectionis principium,erit penitùs immaterialis. Conf. & præcluditur evasio Durandi: Nulla est operatio in Angelo,quæ non exigat principium penitùs immateriale, cùm omnis sit intelligere, aut velle: ergo & substan-

ſtantia Angeli, illarum principium, eſt penitùs immaterialis. *Tandèm*: Homo componitur ex corpore,& ſpiritu,quia eſt principium operationum immaterialium,ſcilicèt,intellectionis & volitionis, & etiam materialium, nempè, ſenſationis & vegetationis: ergo.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

807 Opp.1. Aug.13. confeſſ. c. 8. & alibì docentem, *Omnia viſibilia, & inviſibilia* (qualia ſunt Angeli) *formata eſſe ex materia informi.* *Reſp.* D.Th. de Spirit.creat. a.1.ad 4. Auguſt. ibì per materiam intelligere informitatem creaturæ ſpiritualis,vel corporalis; quatenùs priùs fuerunt creatæ, quàm perfectę, & quàm converterentur ad Deum. *Nec* obſtat, quòd Deus in Angelis erat condens naturam, & largiens gratiam: Quia elargitio gratiæ, non erat per creationem, ſed per eductionem, de quo alibì.

Opp.2. Angelus, cùm ſit in genere ſubſtantiæ, conſtat ex genere & differentia;ſed genus ſumitur ex materia,& differentia ex forma: ergo. *R.* min. eſſe veram in rebus materialibus, ſecùs in immaterialibus, in quibus non eſt aliud determinans, & determinatum. Undè in illis, genus & differentia accipiuntur ſecundùm unum & idem, in quo ſecundùm rationem diſtinguitur ratio determinantis, & determinati.

808 Opp.3. Cùm forma ſit actus, ſi Angelus eſſet forma tantùm, eſſet actus purus: ergo. *Præt.* Forma propriè limitatur per materiam: ergo ſi forma Angeli non eſſet in materia, eſſet infinita; quòd repugnat. *Ad* 1. neg.ſeq. quia Angelus conſtat ex actu & potentia, cùm ex eſſentia & exiſtentia, & ex natura & ſubſiſtentia, realiter diſtinctis, componatur. Imò,etſi hoc non eſſet (ut quidam RR.âutumant;) adhùc non eſſet Angelus actus purus; quia eſt innegabilis in illo realis compoſitio ſubjecti & accidentis, cùm realiter recipiat actus ſuos vitales,ad quos comparatur per modum potentię realis. *Ad* 2. reſp. D.Th. hîc ad ult.quòd forma non recepta in materia, eſt finita ſimpliciter; quatenùs eſſe ejus, non eſt abſolutè ſubſiſtens, ſed limitatur ad naturam aliquam cui advenit; licèt dici poſsit *infinita* ſecundùm

dùm quid, quatenùs non recipitur in materia.

809 Opp. tandèm: Non repugnat ſubſtantia corporea, quę ſit actus, ut conſtat in formis materialibus: ergo nec ſubſtantia ſpiritualis, quæ ſit pura potentia. *R.* diſp. eſſe, quia cùm ratio actûs primi, longè diverſa ſit à ratione actûs puri; cohęrere optimè poteſt in forma ſubſtantiali cum aliqua potentialitate. Ratio autem puræ potentiæ, omnem excludit actũ; aliàs, non pura potentia, ſed mixta potentia eſſet.

Adverte hîc D.Th.quodl.2.q.2.a.2. expreſsè docere, *Angelum eſſe compoſitum ex natura & ſubſiſtentia, nec eſſe in illo idem, ſuppoſitum & naturam*: tametſi non differant tanquàm res, & res; ſed tanquàm res, & modus, ut docet ibi ad 2. Quia nimirùm, ſuppoſitum addit ad naturam, non aliquam rem, ſed modum quendam, ſcilicèt ſubſiſtentiam. Et hôc modô exponendus eſt ubicunquè docere videtur, quòd in Angelis, non differunt ſuppoſitum, & natura. *Sed* benè nota, quòd dùm 1.p.q.3.a.3.dicit: *In his quę non ſunt compoſita ex materia & forma, non differt ſuppoſitum, & natura*, non loquitur de Angelis; non enim ſumit laudatam propoſitionem in univerſalitate quam ſonat; aliàs, ex illa non inferret intentum, ſcilicèt, *quòd Deus ſit ſua deitas, &c.* ſed ſenſus propoſitionis eſt: *In natura ſic pura & abſtracta à materia, ut nec involvat materiam, nec aliquid quod ſe habeat locô materiæ & potentialitatem afferat; non poſſumus diſtinguere id, quô eſt, & id, quod eſt.* Tunc ſubſumit; *ſed natura divina ſic eſt immaterialis*: ergo. Et hoc evidenter conſtat: quia S. Doct. ſubjungit: *ut dictum eſt*, utiquè a. immediatè præcedenti. Videatur Marinis ibi c.4.

DUBIUM III.

Utrum Angelorum multitudo excedat numerum ſpecierum materialium, & individuorum naturæ humanæ?

810 *SUpernorum Civium numerus, infinitus & definitus exprimitur, ut qui Deo eſt numerabilis, eſſe homi-*

minibus innumerabilis demonſtretur, inquit Mag. Greg. 17. mor. c.9. exponens illud Job.25. *Nunquid eſt numerus Militum ejus?* Maximus ergo eſt, ac prorsùs ſtupendus, ſicut Summum decet Principem; at, non infinitus, ut volvit Guil. Pariſien. Cujus opinionem meritò proſcripſit Stephanus Ep. etiam Pariſien. Nec etiam credibile eſt, Angelorum multitudinem eſſe tantam, quòd numerum omnium individuorum rerum materialium excedat; quidquid cum aliis dicant Mag. Ferre, & Bancel. Quis enim credat, eſſe plures omnibus maris arenis, aëris atomis, arborum foliis, tritici, ac leguminum granis, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, ut alia id genus omittamus? Profectò id non taceret D.Th. ſi verum eſſet, q.6.de pot. a.6. ubi ait: *Subſtantiæ incorporeæ, ut dicit Dion.14. c.cæl. Hier. omnem multitudinem ſpecierum materialium tranſcendunt.* Nec multitudo numerica, ſed ſola ſpecifica, ſpectat ad perfectionem univerſi, in qua fundatur ratio D.Th. ſtatim adducenda, de exceſſu Angelorum reſpectû rerum materialium. Hôc ſuppoſitô.

811 Concluſ. eſt affirm. & quoàd 1.p. communis, quam ex Dion. docet D.Th. ubi proximè. Colligitur præterea ex aliis PP. præſertim Cyr. Hieroſ. Cathec. 15. dicente: *Ex loci magnitudine, incolarum multitudo exiſtimari ſolet; eſt autem univerſa terra puncti inſtar in cæli medio: Angeli verò ſunt incolæ Cæli Empyrei.* Prob. deindè rat. D. Th. hîc a. 3. & 2. cont. Gent. cap. 92. Quò aliqua ſunt perfectiora, eò majori exceſsû creata ſunt, id exigente Univerſi perfectione principaliter intentâ, ut patet in corporibus cæleſtibus ratione magnitudinis; ſed Angeli ſunt perfectiſsimi: ergo excedere debent res materiales ratione multitudinis, penès quam attenditur exceſſus in rebus incorporeis, ſicuti in corporibus penès magnitudinem.

Prob. 2.p. Ordines enim Angelorum, quò ſuperiores, eò numeroſiores; ſed infimus Angelorum ordo, adæquat (ut minimùm) numerum hominum; cùm ſolùm ex illo, ſingulis hominibus ſinguli deputentur Angeli ad cuſtodiam, ità ut quilibet homo ſuum proprium habeat cuſtodem, qui alterius hominis nec erit, nec fuit cuſtos, ut habetur infrà

q.

q. 113. a. 2. & 3. ergo numerus Angelorum beatorum (omissis dæmonibus) incomparabiliter excedit numerum hominum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Opp. 1. con. rat. Majorem falsificari in unionibus, & gemmis, auro, cæterisque mettallis, præcipuè pretiosioribus, quæ nec numerô, nec magnitudine excedunt; imò potiùs, exceduntur à cæteris creaturis materialibus: ergo. *R.* Cajet. majorem intelligi à D. Th. de partibus veluti integrantibus substantiam universi, & ad primam integritatem concurrentibus, ut sunt corpora cælestia, elementa, & creaturæ intellectuales; non autem de mixtis. Sic restricta illa major, verissima est; & ratio congruentissimè concludit. Si enim videmus, corpora cælestia, quò superiora, eò majora; & ita de elementis: optimè inferimus, species Angelicas longè excedere materiales, nô magnitudine molis, sed excessû arithmeticô. *Hinc* inferes, corpus solare, non esse perfectius aliis superioribus cælis, cùm ab istis excedatur molê.

Opp. 2. con. 2. p. Ex hominibus, tot ad minùs salvabuntur, quot Angeli ceciderunt; *ut sic superna Civitas non fraudetur suorum numerô Civium; quin etiam fortassis, & uberiore lætetur*, ut ait Aug. 22. de Civit. c. 1. & alibi; at ex Angelis tertia pars cêcidit, juxta illud Apoc. 12. *Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum*; ex hominibus autem, computatis infidelibus, vix decima pars salvabitur: ergo plures incomparabiliter sunt homines, quàm Angeli. *R.* ly *tertia pars*, non sumi mathematicè, sed pro quadam magna parte: sicut dùm c. 8. dicitur: *Tertia pars terræ, arborum, maris, &c.* ly *tertia*, idem significat, juxta Expositores, ac *magna*.

DUBIUM IV.

Utrum Angeli ità differant specie, ut solo numero differre non possint?

812 CONcl. est affirm. & com. Thomist. à qua tamen, intellectâ de potentia absoluta, recedunt

dunt Capr.Ferrar. & Bañes. Immeritò tamen, cùm D.Th. infrà q.75. a.7. expresè dicat: *Non potest intelligi quòd aliqua forma separata sit nisi una unius speciei.* Et q. de spirit. creat.a.8. *Si Angelus est forma simplex abstracta à materia; impossibile est etiam fingere, quòd sint plures Angeli unius speciei.* Quibus & tradit rationem, quâ perpetuò utitur, quæ proindè demonstratio censenda est (demonstrator enim, ut inquit Arist.non multiplicat media) sic autem formatur: Unicum principium multiplicationis numericæ, est materia signata quantitate; at hæc repugnat essentialiter Angelis: ergo. Maj.est Phil. ex qua 12.Met.tex.49.infert, Deum esse unicum, quia caret materiâ. Nec de perspicua Arist.mente dissentiunt Scotus, & Vazquez, ipsâ veritate coacti. Undè maj. negare, est destruere præcipuum fundamentum, quô Philosophorum Princeps politheismum explosit.

713 Multis præterea prob. à D.Th.lib.de ortu & interitu principium istud: Sed ea hùc asportare non licet. Undè breviter ostenditur: Principium multiplicationis numericæ, imprimis esse non potest forma; tùm, quia distinctio ab ista proveniens, est formalis seu specifica, tùm, quia forma est indifferens ad hanc, vel illam singularitatem, nec est principium incommunicabilitatis, cùm de se sit communicabilis multis. *Deinde* nec esse potest existentia, aut subsistentia: quia hæ supponunt naturam individuam constitutam; cùm sint ultimus terminus naturæ: & humanitas Christi, ut individua, fuit præsuppositа assumptioni; & tamen propriâ subsistentiâ, & existentiâ orbata fuit. *Nec* tandèm potest esse hęcceitas; nam licèt hæc sit in individuo; restat difficultas: quodnam sit principium hæcceitatum? Nùm materia? nùm forma? Nam in altêrutra debet gradus ille fundari; at non in forma: ergo in materia, & quidèm quantitate signata.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

814 Opp. 1. Athan. & quosdam alios PP. asserentes, *unam eandemque esse essentiam Angelorum, sicut & hominum: Angelos esse ejusdem speciei, sicut homines: Esse species infimas, quia sola individua continent; sicut sunt homo & equus*, ut aît

Da-

Damaſ. & id genus alia. *R.* 1.his teſtim.Si quid probant, convinci, omnes Angelos eſſe ejuſdem ſpeciei; quod vel opponentibus adverſatur 2. cum D.Th.q.de ſpirit.creat. a. 8.ad 4. quòd dùm PP. comparant naturam Angelicam cum humana; non conſiderant eorum diſtinctionem ſecundùm eſſe naturæ, ſed ſecundùm ordinem quem habent ad beatitudinem; in quo omnes Angeli ſunt ejuſdem rationis;*quia tota natura Angelica* (inquit) *unô modô nata eſt pervenire ad beatitudinem, vel ab ea deficere,irreparabiliter ſcilicèt,ſtatim ad primam electionem;natura verò humana,per decurſum temporis, &c.* R. 3. in illa comparatione ſumi naturam Angelicam genericè, proùt eſt una in ratione ſpiritualis ſine corpore, & hôc modô contraponitur ſpeciei ſeu naturæ humanæ,quę non eſt purè ſpiritualis. *Nec* negamus, Angelos eſſe ſpecies infimas;ſed dicimus,quôd quælibet unicum habere poteſt individuum.De ratione quippè ſpeciei infimæ eſt,quòd non ſpecies, ſed individua vel individuum, contineat. Nec oppoſitum vel leviter inſinuat Damaſc.

815 Opp.2. Angeli ſolùm differunt inter ſe, per eſſe magìs, vel minùs ſpirituales; at magîs & minùs,non diverſificant ſpecies: ergo. *Præt.*Rationalitas eſt differentia âtoma in animabus rationalibus:ergo & intellectualitas in Angelis. *Ad* 1. diſt.min. Si cauſentur ex intenſione & remiſſione ejuſdem formæ, C. ſi ex formis diverſorum graduum, N. Ut ſi dicatur, quòd album eſt magìs clarum, quàm rubrum : & hôc modô, magìs & minùs eſt in Angelis. Sic D. Th. hîc ad 2. *Ad* 2.Reſp.D.Th.de Spirit.creat. a.10.diſp. eſſe, quia animal rationale habet rationem ſupremi in ordine naturarum corporearum, & rationem infimi in ordine ſubſtantiarum ſpiritualium: Supremus autem gradus,vel infimus, eſt unus tantùm; aliàs, eſſet ultimum, & non ultimum, &c. & cùm hoc non contingat in Angelorum intellectualitate, ut per ſe patet; ideò hæc eſt differentia ſubalterna; rationalitas verò, infima.

816 Opp. 3. Celebre teſtim. D. Th. opuſc 16. ubi reprehendit Averroiſtas, & *ruditèr argumentantes* appellat, eò quòd probarent, non poſſe niſi unicum eſſe in ſingulis homi-

minibus intellectum, quia facultas illa caret materiâ: additque, quòd *licèt intellectus materialitèr esset unus omnium, quia non haberet causam multiplicationis; posset tamen sortiri multiplicitatem ex supernaturali causa; nec esset implicatio contradictionis*: ergo etiam est rudis consequentia: *Angelo, quia substantia separata est, non convenit ex sua natura multiplicabilitas numerica*: *ergo implicat contradictionem, quòd numerò multiplicetur.*

R. immeritò hôc argumentô convinci suprà adductos Thomistas, illudque magni facere Mag. Ferre. Fatemur enim consequentiam illam Averroistarum rudem esse, sicut & subillatam, & sequentes: *Homo non habet ex natura sua quòd resurgat post-mortem: ergo implicat contradictionem ejus resurrectio: Cæcus non habet in sua natura unde visum recipiat*: *ergo nequit à Deo visum recipere*, & id genus alias, quarum ruditas ex eo desumitur, quòd plura naturaliter repugnant rebus, quæ tamen ex virtute divina & supernaturali illis convenire possunt. Cæterum ratio nostra, longè diversa est; sic enim procedit: *Angelus in sua natura habet prædicatum, vi cujus repugnat illi multiplicatio numerica, nempè carentia materiæ*: *ergo implicat, naturam Angeli solô numerô multiplicari.* Sic Joann. à S. Th. Gonet, Contenson, Marinis, & Escuder, & quidèm evidenter, ut patet ex contextu. Subdit enim Ang. D. *Nè hæc argumentandi forma ad alia extendatur; sic enim possemus concludere, quòd Deus non potest facere quòd mortui resurgant, quia id ex sua natura non habent.* Consequentia ergo, quam rudem meritò appellat, est, *Res hæc non habet ex natura sua, quòd multiplicetur*: *ergo implicat contradictionem multiplicatio ejus.*

817 Opp. 4. Natura quò perfectior est, eò magis multiplicari potest; at Angelica est perfectior quâcumque corporeâ, numerô multiplicabili: ergo. *Præt.* Species desumitur à forma, sicuti individuatio à materia; at substantia constans materiâ, potest multiplicari speciê: ergo carens materiâ, numerô. *Insuper*: De ratione entis finiti, est habere aliud omninò simile in natura, & posse numerô multiplicari; hoc enim repugnat Deo, quia infinito: ergo. *Tandèm*: Quilibet Angelus potest ab alio inæquali excedi in natu-

tura : ergo potest ab alio in natura æquari.

*R.*dist.maj.Multiplicatione specificâ,quę per formæ multiplicationem habetur, & per se intenditur ab agente, C. Numericâ,N.Perfectio igitur naturę Angelicę,requirit multiplicationem specierum ; non autem individuorum in una specie. Sic D.Th. hîc ad 4. *Ad* 2. R.disp. esse, quia substantia constans materiâ, constat subinde formâ, à qua desumitur distinctio specifica; at, carens materiâ,caret principiò unicô multiplicationis numericæ. *Ad* 3. R. ad rationem naturæ finitæ, sufficere quòd possit habere etiam naturam sibi omninò similem secundùm genùs, aut speciem subalternam; cùm hæc etiam similitudo repugnet essentialiter Deo,quia infinito. *Ad ult.* disp. esse, quia primum est quid consequutum ad rationem entis creati ; quôcumque enim ente creatô,dari potest aliud perfectius: Secundum verò, ad rationem entis compositi ex materia.

818 Opp.5. Si individuatio sumitur à materia, vel ab ordine ad illam;non dabitur individuatio in Angelis,& cósequenter isti unitatem tantùm specificam fine numerica habebunt ; quod est absurdum. *Neg.*seq.A materia enim,vel ab ordine ad illam, solùm sumitur individuatio cum multiplicatione naturæ. Deus enim,qui omnis materiæ & multiplicationis est prorsùs incapax, individuationem & singularitatem habet.Et idem cum proportione dicimus de individuatione naturæ Angelicæ, quæ sumitur à forma,quatenùs irreceptibilis est,& incommunicabilis alicui materiæ; quod quidèm habet ex eo, quòd est forma completa & subsistens.

819 Opp.6. Duæ animæ rationales, sicut & duę intellectiones circa idem objectum,solô numerô distinguuntur; at carent materiâ : ergo. Dist.min. Carent materiâ, *ex qua* componantur, C. *cum qua* componant, vel *in qua* recipiantur,N.Anima quippè rationalis dicit ordinem ad materiam, cùm qua hominem componit. Intellectio autem,cùm sit accidens, recipitur in subjecto habente vicem materiæ, à quo individuatur ; non quidèm absolutè sumptô, sed ut connotante aliqua extrinseca, scilicèt, tempus, &c. ut dicitur in libris de ortû, & int. Quibus omnia, quę contra

di-

dicta objici possunt, facilè solvuntur.

820 Opp.7.Per hoc præcisè, quod hic Angelus non sit realiter ille,non est idem numerô cum illo,& consequenter est numerô distinctus ab illo; at optimè intelligimus, hunc Angelum,Michaëlem, v.g. non esse Gabrielem,etsi materiâ careant:ergo. *Præt.*Angeli per solas hæcceitates (per hoc, scilicèt, quòd hic sit hic, & ille sit ille) intelliguntur numerô distincti inter se,etsi immateriales sint: ergo. *En* Adversar. Achillem, sed infirmum. Ad distinctionem quippè numericam, de qua est lis, non sufficit, quòd illi duo Angeli non sint idem numerô; sed ulteriùs requiritur, quòd sub eâdem specie atomâ contenti sint;quod nunquàm probant. Unde N.conſ. ut enim hæc propositio, *Michaël, & Gabriel solô numerô distinguuntur*(quę exponibilis est ratione termini exclusivi *solô*) vera sit, verificari debent ambæ suæ exponentes,videlicèt:*Michaël & Gabriel numerô distinguuntur, & non specie.* Nec satìs est verificari 1. Nulla est ergo hæc conseq. *Michaël & Gabriel non sunt idem numerô Angelus: ergo sunt numerô distincti distinctione purè numericâ*, sicut ista: *Numerô distinguuntur:ergo solô numerô*:arguitur enim à superiori ad inferius affirmativè. *Ad* 2.N.ant. Nam hæcceitates indifferentes sunt ad distinctionem solùm numericam,& ad distinctionem, quæ numerica simùl & specifica sit: Evidens enim est, quòd hæcceitates, quibus *hæc ovis*, & *hæc capra* distinguuntur non afferunt distinctionem purè numericam, seu sub eâdem specie.

821 Opp.ult. Eadem Angeli natura,Michaëlis v.g.potest subsistere in duabus Personis, saltèm successivè: ergo & multiplicari in duo individua;Persona enim est,*rationalis naturæ individua substantia.* R.disp. esse: Quia ad multiplicationem individuorũ, requiritur multiplicatio naturę, ità, ut natura hujus individui sit numericè distincta à natura illius individui; secùs ad multiplicationem Personarum, ad hanc enim,sufficit multiplicari Personalitates, quibus natura terminatur, ut patet in natura divina, subsistente in tribus Personis simùl & indivisibiliter. Requiritur quidèm indirectè & de connotato,ad constituendam Personam,*naturara-*

tio-

tionalis individua; sed hæc una & êadem esse potest, tametsi Personæ multiplicentur. Vide suprà q.30.a.1. *Sed* dices: Ab eâdem natura possunt provenire duæ personalitates numerô distinctæ, licèt successivè: ergo & duæ individuationes. *N.* cons. personalitas enim creata, quia realiter distincta & separabilis à natura, quanvis multiplicetur; non debet naturam multiplicare. Individuatio autem, est prædicatum cum natura identificatum, imò, est id quô natura fit hæc: implicatorium ergo est, quòd natura maneat hæc, & êadem sit; si diversis individuationibus afficiatur. Et sanè natura corporea ultimò determinata, v.g. Petri, potest diversis personalitatibus successivè terminari, quin possit aliâ individuatione determinari.

Inferes ex dictis, quàm imprudenter & inconsideratè censurata olim fuerit hæc D.Th. sententia à quibusdam Parisiensibus, supressô tamen gloriosô S.D. nomine: Eôdem siquidem fundamentô nititur, quô unitatem Dei Phil. stabilivit. Unde talem censuram (rê maturiùs inspectâ) retractavit ipsa Academia Parisien. annô 1325. & coram amplissimo Cętu Archiepiscopi Vienen. Episcopi Parisien. & totius Cleri, summis encomiis Sanctissimum Doct. celebravit, tanquàm *Splendissimum lumen Ecclesiæ, doctrinæ fontem, Scholæ Parisiensis, ac omnium Universitatum lucidissimum candelabrum, unde omnes fideles, sanctæ vitæ & sanctæ doctrinæ lumen accipiunt.* Imò liber, censuram illam continens, proscriptus est, & librorum prohibitorum cathalogo insertus. Nec Authores oppositi, de hac solemni retractatione dubitant, ut videre est apud Aug. de Herrera hîc Sect.2.n.14.

DUBIUM ULTIMUM.

Utrum Angeli sint natura sua incorruptibiles, ità, quòd nullam habeant inclinationem, sed potiùs repugnantiam, ad non esse?

822 COncl. est affirm. & comm. contra Alen. Bonav. Scot. Aureol. & Gabr. quibus adhærent

Vazq. Alarcon, & Martinonus. Supponit autem, Angelos esse incorruptibiles corruptibilitate oppositâ generationi, & quæ sit per dissolutionem compositi, & separationem formæ à materia; sunt enim prorsùs immateriales: Supponit etiam, posse Angelos anihilari, seu desinere esse, per extrinsecam Dei potentiam, liberè eos conservantis. Prob. 1. Quia in Conc. Later. V. sub Leone X. sess. 8. diffinitur, *Animam rationalem esse immortalem*, & quidèm *verè*, *per se*, & *essentialitèr*; hôc enim modò dicitur ibi, esse formam corporis humani, & eôdem diffinitur immortalis, quô asseritur forma corporis. Immortalitatem autem animæ rationalis, deducit Conc. ex eo quòd Dominus in Evang. ait: *Animam autèm non possunt occidere*: ergo à fortiori diffinitur, hujusmodi immortalitatem competere Angelis, utpotè sunt perfectiores animâ.

Dicere autem cum Martinono, ex verbis Evang. non inferri immortalitatem animæ simpliciter talem, & in ordine ad Deum, etiam ut auctorem naturæ; sed limitatam duntaxàt, & respectivè ad causas secundas: potiùs est redarguere illationem Concilii, quàm illius mentem, ut par erat, exponere. Et sanè Christus dixit: *Timete eum, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam*: *Perdere* dixit, non *occidere*, quod exigere videbatur contrapositio, ut Cajet. advertit; ut innueret, quòd Deus, servando exigentias rerum, non potest animam destruere, seu occidere, sed eam mittere in gehennam.

823 Prob. 2. rat. D. Th. Quia impossibile est, quòd forma subsistens (cujusmodi est Angelus) desinat esse; quia esse, per se convenit formæ, quę est actus; materiæ autem, convenit per aliud: id autèm quod per se convenit alicui, est inseparabile ab illo; rotunditas enim non potest separari à circulo, quia convenit ei secundùm se ipsum. *Præt.* In rebus creatis, per accidens solùm & secundariò potest dari inclinatio aut potentia ad non esse; quatenùs scilicèt, est in illis appetitus aut inclinatio ad aliud esse, incompossibile cũ eo quod de facto possident, ut dicitur 1. Physic. & probatur suprà q. 19. a. 9. hujusmodi autem potentia nulla est, præter

ter materiam primam, cùm solùm illa sit in potentia ad formam incompossibilem cum ea quam habet: ergo in Angelis, in quibus nulla est materia, nulla est potentia intrinseca ad non esse: Rectè igitur concludit hîc S.Doct. quòd *ipsa immaterialitas Angeli, est ratio, quare Angelus est incorruptibilis secundùm naturam.* Hinc,

824 Colliges contra P. Arriaga, hâc ratione convinci, Angelos destrui non posse corruptione etiam largè sumptâ, de qua est lis: Probat enim, Angelum esse incorruptibilem, quia nullam continet potétiam intrinsecam ad non esse, cùm sit forma purè subsistens & omninò immaterialis. *Colliges* etiam contra alios RR. quòd licèt Angelus, quatenùs creatura est, subdatur Deo, ut si velit, destruat illum; non autem exigit, quòd à Deo destruatur; quod tamen requiritur, ut aliquid dicatur *corruptibile ex natura sua*; aliàs, nec visio beata, nec lumen gloriæ, nec ulla creatura, esset incorruptibilis ex natura sua.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

825 Opp.1. PP. pluriès docere, *Angelos non esse ex natura sua, sed gratiâ, immortales.* R. loqui de gratia largè accepta, proùt gratuita creationis & conservationis dona complectitur: *Dona enim naturalia, quatenùs ex gratuita Dei voluntate tribuuntur; non incongruè gratia appellantur*, ut docent PP. Africani apud August. Ep.95. Certum est autem, quòd sicut Deus liberè produxit Angelos: ità gratis eos conservat; non quòd conservatio sit eis indebita, sed quia absolutè posset Deus eos non conservare, nec ad hoc tenetur, nec ad id ex præcedentibus meritis movetur. *Vel* dic cum D.Th. ad 1. quòd accipiunt immortalitatem perfectam, includentem omnimodam immutabilitatem, quam Angeli, non nisi per gratiam assequuntur; Deus autem habet immortalitatem per essentiam: quia apud ipsum, nulla est transmutatio, nec ulla vicissitudinis obumbratio.

826 Opp.2. In Angelis est potentia intrinseca ad non esse, tùm, quia omne quod ex nihilo est, vertibile est in nihilum. Tùm, quia aliàs, Deus anihilando Angelum, violentiam ei inferret, quia faceret contra naturalem ejus inclina-

tionem. Tandèm, quia Angelus, cùm sit creatura, est de se destructibilis, & anihilabilis: ergo non est de se indestructibilis; hæc enim contradictionem involvunt. *Negatur* assumptum. Ad 1. prob. resp. D.Th. 2.cont.Gent. cap.3. & infrà q.75.a.6.ad 2. *Quòd sicut posse creari, dicitur aliquid, non per potentiam passivam; sed solùm per potentiam activam creantis, qui ex nihilo potest aliquid producere: ità cùm dicitur aliquid vertibile in nihil, non importatur in creatura potentia ad non esse; sed in Creatore potentia ad hoc quòd esse non influat. Dicitur autem aliquid corruptibile, per hoc quòd inest ei potentia ad non esse.*

Ad 2. N. seq. Quia licèt Angelo desit potentia naturalis ad non esse; convenit tamen obedientialis, quâ quælibet creatura subditur Deo, ut in, & de ea faciat quidquid non implicat contradic. Faceret quidèm tunc Deus contra particularem Angeli inclinationem; non autèm universalem, quam habet, ut pars universi, ad obediendum Creatori. Hoc autem ad violentiam non sufficere; alibì dicitur. Et sanè violentia inferri nequit ei, quod in suo esse non permanet: implicat ergo, Deum violentiam inferre Angelo, eum destruendo. *Ad ult.*R. quòd Angelus est de se destructibilis per potentiam obedientialem, & subordinationem ad Deum; non autèm per potentiam de se exigentem non esse: Nulla est ergo contradictio, quia non est *destructibilis*, & *non destructibilis*, secundùm eandem potentiam.

827 Opp.ult. Quia forma intrinsecè finita & determinata, cujusmodi est natura Angeli, exigere nequit accidentia intrinsecè infinita, & indeterminata, qualis est duratio perpetua: ergo. *Dist.* ant. ut à se activè radicanda, C. ut ab alio causanda, N. Potentia enim creaturę ad essendum, est *receptiva tantùm*; potentia autem *activa*, est ipsius Dei, à quo est influxus essendi. Unde, quòd res in infinitum durent, sequitur infinitatem divinæ virtutis. Aliqua tamen sunt determinatô tempore, quia possunt impediri, nè percipiant influxum essendi, ex aliquo contrario agente, cui finita virtus non potest resistere tempore infinitô. Sic D. Th. infrà q. 104. a.4. ad 2.

DIS-

DISPUTATIO II.

De comparatione Angelorum ad corpora.

828 TRibus a.a.absolvit hanc disp.Ang.D.q.51. Cujus doctrinam,quia absque controversia admittitur in Scholis,breviter tradendam censuimus. In 1.igitur ostendit,Angelos non habere corpora naturaliter sibi unita : Quia hoc accidit naturæ intellectuali ut sic; huic enim convenit quòd sit per se subsistens, cùm habeat per se operationem,intelligere siquidèm, non est actus corporis ; quod autem accidit alicui naturæ, non invenitur universaliter in natura illa, sicut habere alas , non convenit omni animali , quia non est de ratione animalis. *Dices*: Omne animal est quantum, & coloratum; & nihilominùs,quantitas & color sunt accidentia naturæ animalis. *R.* quantitatem & colorem, esse accidentia physica,de quibus non loquitur D.Th. sed de accidenti, ut ità dicam, logico, quale est differentia , seu proprium: Et hujusmodi , impossibile est inveniri universaliter in natura generica, cui accidit; sed solùm in specie, cui essentiale est, aut proprium. Vide Cajet.

829 In 2. a. resolvit , Angelos assumere corpora , in quibus verè,& non imaginariè,apparent. *Primum* probat: Quia quod est substantia quæ non est corpus,nec habet corpus naturaliter unîtum, & quandoque videtur visione corporali ; interdùm assumit corpus ; Angeli sunt hujusmodi: ergo. *Secundum* autem, probat sic : Communiter visum ab omnibus, videtur visione corporali,quâ videtur illud quod est positum extra videntem ; sed Angeli corporaliter apparentes,fuerunt visi communiter ab omnibus,ut narrat Scrip. de his qui apparuerunt Abrahç,Lot,& Tobiæ: ergo. Aliquando tamèn non apparent oculis,nec assumunt corpora, sed imaginationem immutant. *Dices*: Potest Angelus, omnium occurrentium immutare phantasiam , & causare in ea vi-

visionem imaginariam ; sed tunc videretur ab omnibus indifferenter: ergo. *R.* quòd illud accideret præter ordinem naturalem à Deo înditum actibus nostræ sensationis, secundùm quem, est vera illa propositio D.Th. & ratio est optima: Quia nulla est congruentia ad asserendum, apparitiones illas accidisse per immutationem phantasiæ; imò oppositum colligitur ex Script. ut optimè convincit S.D. q.6.de pot. a.7. Vide Nazar. hîc dub.1. & Mag.Ferre. §.2.

830 Adverte hîc 1. quòd ut Angelus assumat corpus, requiritur quòd huic uniatur; quia *assumere*, est, *ad se sumere*, vel *sibi unire*; non quidèm ut forma materiæ, quod repugnat completioni Angeli; nec hypostaticè, quia personalitas Angeli est finita ; nec præcisè ut motor, aliàs, movens corpora cœlestia, illa assumeret; sed ità, quòd per corpus assumptum & motum, repręsentet proprietates intelligibiles, vel suas, vel superiorum Angelorum, vel Dei, quando ejus personam gerit ut legatus. Sic D.Th. in 2.d.8. q.1.a.2. Ex quibus infertur , nec Angelum assumpsisse linguam asinæ per quam locutus est ad Balaam ; nec dœmonem, corpus serpentis , quando affatus est ad Evam; nec assumere corpora eorum quos vexat; nec Lamiarum seu strygum, licèt ea localiter moveat. Nec Angelos regulariter assumere corpora viva, aut naturaliter genita, ut cadavera, aut lapides, ut docet ibi a.3. id tamen non repugnat.

831 Adverte 2. Corpora ab Angelis assumpta, ab ipsis efformari, applicando activa passivis, ex quolibet elemento, vel ex pluribus permixtis ; & maximè ex aëre, & ex vapore aut fumo, qui , ut ait D.Th. ad aëris naturam tendunt: Et hinc provenit, quòd dœmones sic apparentes, sulphureum vel piceum odorem exhalent. *Adv.*3.quòd anima separata, non potest naturaliter assumere corpus ut in eo visibiliter appareat, cùm non possit naturaliter corpus vivificare ; corpus autem moveri non potest localiter ab anima, nisi vivificatum, ut docetur infrà, q.117.a.4. Potest tamen corpus assumere virtute supernaturali sibi communicatâ. Apparitiones nihilominùs earum, ut plurimùm, fiunt per Angelos bonos, vel malos, juxta PP. præcipuè Athanas. Chrysost. & August.

gust. *In* 3. a.docet, quòd Angeli in corporibus assumptis, opera vitę non exercent, absolutè loquendo: Quia ista corpora non vivunt; quasdam tamen actiones similes vitalibus exercere valent, non quidèm quoàd vitalitatem, sed quoàd motum localem, & terminum ejus duntaxàt.

DISPUTATIO III.

De comparatione Angelorum ad loca.

DUBIUM I.

Quænam sit ratio formalis constituendi Angelum in loco?

832 ANgelos esse in loco corporeo, constat ex Script. An autem propriè, vel metaphoricè, sint in illo? Quæstio est de nomine: Omnes enim conveniunt in hoc, quòd verè substantia Angeli terminetur & diffiniatur locô, & verè & propriè ibi sit. Unde, ad modum potiùs loquendi, quàm ad rem, pertinet asserere, ibi esse propriè localiter respectivè ad modum essendi, vel potiùs metaphoricè. Primum conformius videtur menti D.Th. Sed, ut omnis tollatur æquivocatio, *Adverte*, præsentiam ad locum, sumi dupliciter. Primò pro simplici indistantia rei præsentis à tali loco. 2.pro commensuratione rei locatę ad locum, à quo contineatur, & cui adæquetur, ità, ut tota res toti loco, & partes rei partibus loci correspondeant. Utrôque istô modô, aliquid verè est in loco, tametsi uterq̃ modus nõ cõveniat univocè in ratione locãdi. Hâc distinctione explicari debent PP. & D.Th. dùm asserunt, Angelos esse *æquivocè* in loco: Volunt enim, quòd modus, quô Angelus est in loco, non convenit nisi æquivocè, in ratione locandi, cum modo quô corporalia sunt in loco: At, nunquàm negant, Angelos esse in loco, aliquô modô verô & propriô: Verba enim Scrip. propriè sunt interpretanda, nec ad metaphoras transferenda, sine necessitate.

Ita-

833 Itaque Angeli dicuntur esse *æquivocè* in loco, non quòd verè non sint in loco; sed quia *esse in loco*, non significat unicum & univocum modum existendi in loco, pro Angelis, & corporibus. *Dicendum* (inquit D.Th.) *Quòd Angelo convenit esse in loco; æquivocè tamen Angelus dicitur esse in loco, & corpus.* Quasi dicat: *Angelus absolutè & simpliciter dicitur esse in loco; esse autem in loco, æquivocè dicitur de Angelo, & corpore.* Quod enim dicitur æquivocè de aliquibus, propriè dicitur de unoquoque; habet siquidèm plura significata, & unicuique tribuitur (& quidèm propriè) secundùm significatum quod ei competit, ut patet in nomine *canis*. Vide D.Th. in 1.d.37.q.2.a.1. *Adverte* hîc, quòd esse *in loco*, *ut in loco*, importat esse in loco, tanquàm mensuratum in mensura: ideòque denegatur Angelis à D.Th.

834 Concluſ. *Angeli sunt in loco per operationem, tanquàm per rationem proximam & formalem.* Sic D.Th. ubicùmque de hac re disserit, omnesque Thom. quorum sententia, quôvis modô proferatur, sic explicanda est: Quòd Angelus per virtutem operativam (quæ est quantitas virtutis) est in loco tanquàm per rationem adhùc remotam, & determinabilem; per operationem autem, tanquàm per rat. proximam. Quia tamen *virtus operativa*, & *operatio*, pro eodem quantùm ad hoc reputantur; ideò quandòque dicitur, Angelum esse in loco *per virtutem operativam*, quandòque *per operationem*, vel *actionem*: sicut corpus interdùm dicitur esse in loco *per quantitatem*, interdùm *per extensionem in ordine ad locum*.

Prob. concluſ. 1. rat. D.Th. 3. cont. Gent. c. 68. Id est Angelo proxima ratio formalis essendi in loco, per quod ipsum contingit, ut constat de locato corporeo; at Angelus non contingit locum contactû quantitatis dimensivæ: ergo contactû virtutis, seu operatione; alius enim assignari nequit. *Præt.* Angelus nequit contingere locum per unionem, quâ illi uniatur sicut forma materiç, cùm non sit actus corporis; nec per situm, sicut punctum tangit lineam, cùm ejus essentia sit omninò absoluta à situ; nec per contactum dimensivum, quô ultima sunt simùl: ergo solùm per contactum virtutis, seu actionem.

Prob.

835 Prob. 2. Angelus non est in loco per suam substantiam, ut volunt Bonav.& Scot. nec per modum aliquem intrinsecum antevertentem liberam ejus operationem, sive sit ubi,sive quodcumque aliud,ut frequenter tenent RR.cum Molina, & Suar. nec per unionem liberam ejus ad corpus, antequàm operetur erga illud , ut existimat Vazq. ergo per solam actionem transeuntem, cùm aliud assignari non possit. Prob.ant. quoàd duas priores pp. Primò:Quia Angelus, secundùm suam substantiam, & quidquid præcedit liberam ejus operationem,est prorsùs indifferens, ut sit,vel non sit in loco; adeò, ut ab omni loco possit se abstrahere, & nullibì se constituere;cùm enim non dependeat in esse, aut operari proximè vel remotè, à loco corporeo; non necesitatur ut sit in illo. Et sanè,si creati fuissent ante mundũ corporeum, in illo non fuissent, quia in nihilo nihil est: ergo.

836 Præt. Invariatâ ratione formali, idem sequitur effectus,nisi passi difficultas obstet; sicut invariatâ quantitate, corpus æqualem replet locùm : Cùm ergo nec substantia Angeli variari possit per ejus voluntatem ; nec modus præsentiæ,semèl invariatâ ratione formali;& aliàs nulla sit incapacitas ex parte loci, ut totus per substantiam Angeli adæquetur;Angelus semper æqualem occuparet locum,nec posset,modò in majori,modò in minori esse. Et licèt voluntas Angeli , quia libera, possit facere quòd Angelus sit potiùs hîc, quàm alibì ; non tamen quòd majus vel minus spatium occupet,si êadem indivisibilis manet ratio locandi, ut patet à simili in nobis. *Et benè* nota, sententiam Suar. vagari extra controv. quæ non procedit de eo per quod Angelus est in loco , tanquàm per modum vel per præsentiam formalem (quod est *ubi* resultans ex eo quòd Angelus in loco dicatur esse;) sed de ratione proxima essendi in loco , à qua tale *ubi* resultat.

837 Prob. jàm 3. p.ant. Quia talis unio est prorsùs implicatoria : vel enim dimanat ab ipsa natura Angeli; & sic non liberè constituet Angelum in loco:Vel procedit ex aliqua Angeli operatione omninò immanenti, quæ nullum effectum ad extra (qualis est existentia Angeli in loco) habe-

re

re potest: esset ergo,& non esset immanens. *Præt.* Actio,quâ Angelus unit substantiam suam loco, aliquid de novo producit in loco, extra totum esse ipsius Angeli, nempè, unionem quâ corpus manet unitum per modum loci, substantiæ Angeli: ergo est actio, saltèm virtualiter transiens: ergo implicat, quòd sit omninò immanens.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

838 Opp. 1. Prius est esse, quàm operari: ergo prius est esse in loco,quàm operari in loco. *Præt.* Agens & patiens debent esse simùl; approximatio enim agentis ad passum,est conditio *sine qua non* ad operandum circa illud, & quæ antecedere debet operationem: ergo Angelus debet approximari loco,& esse simul cum illo,& in illo, antequàm intelligatur operari erga illum. *Tandèm*: In Scripturis pluriès innuitur,Angelos accedere ad aliqua loca,ut in eis operentur: ergo.

839 Ad 1.Resp. D.Th. quodl. 1. q.3. a.4. *Quòd nihil prohibet, aliquid esse prius simpliciter, quod non est prius quantùm ad hoc. Sicut corpus subjectum,est simpliciter prius superficie; sed non quantùm ad hoc quod est colorari. Et similiter prius simpliciter est corpus,quàm tactus; tamen ipsum esse in loco,est per tactum dimensivę quantitatis:& similiter Angelus per contactum virtutis.* Non ergo arguitur cum eodem addito; sed potiùs additum consequentis, variat illud, & facit quòd argumentum sit ab esse simpliciter,ad esse secundùm quid, scilicèt,in loco. Pro majori penetratione solutionis, *Nota* cum Cajet. hîc,quòd in Angelo locato,tria sunt,nempè,ejus substantia, quæ est præsens & indistans à loco: operatio virtualiter transiens, quæ est contactus virtualis, seu virtutis, per quem fit præsens: & relatio, seu denominatio præsentiæ, quæ in eo fundatur. Quæ si considerentur in ordine essendi; substantia primum tenet locum, 2.contactus, 3. denominatio præsentiæ. Sed in ordine locandi, primum est contactus,secundum substantia, & tertium denominatio præsentiæ.

840 Ad 2.R. quòd approximatio agentis ad passum,est conditio prærequisita ad operationem in agentibus corporeis; in spiritualibus autem,concomitans; quia illa agunt per vir-

virtutem in quantitate subjectatam, & ab ea, ac loco cui commensuratur, dependentem; unde priùs intelligitur iste contactus & commensuratio, quàm operatio; secùs verò spiritualia; ideoque satis est, quòd in his approximatio fiat per ipsam operationem: sicut licèt ad recipiédam animam, *requiratur* corpus organicum; non tamen *prærequiritur*, sed ipsô animę ingressû fit organicum. Consultò igitur Phil. loquens in genere de omni agente, dixit, quòd *agens & passum debent esse simùl*: Quô sanè non innuitur, quòd priùs debent esse approximata, quàm operentur. *Ad* 3. *R.* sensum esse, quòd Angeli prætermittunt operationem, quam alibì exercebant, & ad illam, quam Script. significat, convertuntur. Describit autem Script. illorum accessum, ad instar corporum: vel quia in corporali forma apparebant; vel quia imaginariâ saltèm visione, per similitudinem rerum corporalium factâ, representabantur; vel tandèm, quia nos ipsi, quibus ista scribuntur, alitèr eorum motus ac operationes concipere non valemus.

841 Opp. 2. Angelos esse in locis, in quibus nihil operentur. *Tum*, quia nihil operari possunt in Empyrio, cùm sit inalterabile. *Tum*, quia juxta D. Th. quodl. 6. a. 3. esse possunt in vacuo, quod tamen, cùm nihil sit, nequit esse subjectum seu passum alicujus actionis. *Tum* quia corpus juxta Phil. 4. Physic. potest moveri per vacuum: ergo & Angelus, & consequenter, &c. *Tandèm*, quia Angeli ad custodiam hominum deputati, nunquàm eos relinquunt, quin semper circa illos operentur. *N.* assump. *Ad* 1. prob. R. Angelos beatos aliquô lumine à se derivatô illustrare Empyrium, & hoc lumen ibì operari. *Angelus enim est in loco* (inquit D. Th. in 1. d. 37. q. 3. a. 1.) *inquantùm operatur circa aliquod corpus, vel motum, vel lumen, vel aliud hujusmodi; lumen autem non est qualitas alterativa.* *Dices* cum Suar. Empyrium esse perfectissimam creaturam, à Deo productam cum tota plenitudine perfectionis: ergo frustrà ponitur in eo lumen ab Angelis productum. N. cons. perfectioni enim quâ producta est à Deo creatura, non repugnat quòd ista ab aliqua nobiliori aliam perfectionem accipiat; nam Angeli inferiores (qui creaturæ perfectissimæ sunt) illumi-

minantur, & perficiuntur à superioribus.

842 Profectò, cùm Angelus nec ibì, nec alibì esse possit nisi per operationem; nihil refert, incertum esse, quâ operatione ibì sint; quidquid instet Platelius. *Ad* 2. prob. ant. datô quòd Angelus sit in vacuo (id enim D.Th. non asserit, sed tantùm, quòd sit in convexo Empyrii, ubi adhùc non est vacuum, sed ibì terminatur ultimũ corpus;) *R.* quòd non est ibì tanquàm in loco. *Ad* 3. R. nec corpus, nec Angelum, moveri posse per vacuum motũ locali propriô & continuô; cùm ibì nullus sit locus. Phil. autem loq. de motu discreto, quasi per saltum. *Ad* ult. dist. ant. Nunquàm eos relinquunt, quantùm ad præsentiam physicam, seu localem, N. intentionalem, & curam custodiendi eos, C. & N. conseq. Vide q. 113. a. 6.

843 Opp. 3. Animas separatas nihil operari in cælo, inferno, purgatorio, aut limbo; cùm suâ naturali virtute non possint movere aliquod corpus, ut docet D.Th. infrà q. 117. a. 4. ergo. *R.* animas beatorum, operari in cælo aliquod lumen, sicut de Angelis dictum est. Reliquas verò, detineri in memoratis locis per passionem; hîc verò loquimur de loco connaturali. D. autem Th. negat vim locomotivam animabus separatis, in ratione formarum; sed non, inquantùm operantur ut spiritus, in vi statûs separationis: possunt ergo movere corpora, quæ non informant, ac movere se per contactum & assistentiam ad illa, ut docent Cajet. & J. à S.Th. *Vel* dic, animam separatam, nec ascendere in cælum, nec descendere ad inferos per motum; sed mutatione instantaneâ & discretâ. *Nec* propterea negamus, animas in limbo, aut purgatorio, aliquid operari, quanvis nos lateat quid illud sit. Et sanè, argumentum militat cont. Suar. & Vazq. unio enim ad locum, & contactus ex quo *ubi* resultat, in aliqua actione, aut passione, stare debent.

844 Opp. tandèm D.Th. quodl. 1. a. 4. sic dicentem: *Si quis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc quòd operari est proprius effectus virtutis; dicatur, quòd Angelus est in loco per operationem; ita tamen, quòd per operationem, non intelligatur sola motio; sed quæcunque unitio quâ, suâ virtute*

se

se corpori unit, præsidendo, continendo, vel quôcunque aliô modô: ergo Angelus est in loco, non solùm per operat. &c. *R.* cum Ferrar. 3. cont. gent. c. 68. §. *Considerandum* 3. mentem S.D. esse, quòd nomine *operationis*, non sola motio localis intelligenda venit; sed omnis operatio transiens in corpus, quæcunque illa sit: omnis enim unio, quâ Angelus suâ virtute se unit ad corpus, est secundùm aliquam operationem transeuntem, licèt non oporteat, eam esse localem motionem. Undè non infertur, *Angelum non esse in loco per solam operationem*, ut placuit Capr. Cajet. Bañes, Ripæ, Nazar. aliisque primæ notæ Thom. & multò minùs, non esse in eo per operationem, ut existimat Vazquez, cùm oppositum, ibi & semper, expressè habeatur apud S.D. *Adverte* hîc, ut aliis occurras, non oportere, quòd Angelus sit in toto corpore in quod operatur, etiam mediatè (aliàs, movens primam sphęram, ei toti præsentialiter adesset;) sed in ea parte, cui primò applicat suam virtutem, & in quam agit immediatè, non solùm immediatione virtutis, sed etiam suppositi, ut habetur hîc a. 2. Hinc 3. p. q. 52. a. 2. docetur, Christum D. secundùm effectum descendisse in omnem inferni locum; at secundùm substantialem præsentiam, ad Justorum locum duntaxàt.

DUBIUM III.

Utrum Angelus possit esse simùl in pluribus locis, & plures in uno?

ADverte, quòd locus adæquatus Angeli, ille dicitur, intra quem potest Angelus operari, & ultra quem non potest: inadæquatus verò, est ille, intra quem ità operatur, ut ultra illum etiam operari possit.

845 Prima concluſ. *Angelus, ne divinitùs quidèm, potest esse simùl in duobus locis sibi adæquatis.* Prob. Quia oppositum involvit contradictionem, sicut de corpore ostenditur à Thomistis 4. Phys. Virtus enim operativa Angeli, *coæquaretur* cum quolibet illorum locorum, sicut quęlibet potentia cum suo termino adæquato, ut supponitur; & simùl *non*

coęquaretur, virtus enim, quæ ultra aliquid extenditur, non adęquatur cum illo.

846 Secunda concluſ. *Angelus poteſt eſſe naturaliter in pluribus locis inadæquatis diſcontinuatis, contentis tamen intra ſphęram ſuæ actívitatis*, v.g. in quatuor angulis hujus chartę, quin exiſtat in medio. Prob. Quia intra ſphęram ſui loci adæquati, eſt omninò liber ad operandum, poteſt enim operari in toto illo, vel in medietate, vel etiam in puncto, propter independentiam Angeli à loco: ergo. *Præt.* Angelus alicui Regno prętectus, poteſt ſimùl êxequi omnia ad Regni commune bonum pertinentia, quæ multotiès occurrunt in locis diſtantibus, & non in intermediis: ergo.

847 Tertia concluſ. *Plures Angeli poſſunt eſſe in eodem loco adæquato materiali; ſecùs autem formali.* Ante prob. advertę, quòd locus *materialis*, dicitur corpus illud ſeu ſpatium in quo Angelus operatur, ſecundùm ſe conſideratum. *Formalis* verò dicitur, quatenùs reduplicativè importat effectum ab Angelo productum; v.g. aër ab Angelo illuminatus, eſt locus ejus materialis, proùt eſt aër; proùt autem lucidus, eſt locus formalis. Prob. jam 1.p. Quia plures Angeli poſſunt eidem ſpatio ſe applicare, diverſos ſpecie effectus in eo producendo, unus quidèm lucem, alter motum; ſicut enim non repugnat, quòd aër, v.g. effectus illos ſimul recipiat: ita nec quòd plures Angeli illos producant. *Prob.* 2. Quia non poſſunt eandem lucem, v.g. in eadem aëris p. producere tanquàm cauſæ totales & adæquatæ, nam duæ cauſæ adæquatæ, non poſſunt eſſe immediatæ reſpectu ejuſdem effectûs, ut demonſtratur 2. Phyſic. ergo. Quòd ſi attemperantes virtutem & activitatem, partialiter agere velint; erunt in eodem loco formali partialiter & inadæquatè.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

848 Opp. 1. Si Angelus ſuum adæquatum locum occuparet per ſolam illuminationem; poſſet alium occupare per motum localem, quem, ultra illuminationem, producere poteſt: ergo. *Præt.* Poteſt Deus facere quòd ignis exiſtens hìc, comburat Romę: ergo & quòd Angelus exiſtens in terra, operetur in Cœlo; nulli autem Angelo correſpondet tanta

di-

distantia pro loco adæquato: ergo esset &c. *Tandèm*: Potest corpus esse in uno loco circunscriptivè, & in alio sacramentaliter: ergo & Angelus in uno loco per passionem, & in alio per operationem.

849 *R.* ad 1. Angelũ intra sphęram sui loci, posse, vel illuminare, vel movere, vel utrunque; unde si ibi illuminet solùm; & ibidèm permanens, velit localiter movere; poterit quidèm ibi, sed non alibi, motum exercere. *Ad* 2. R. quòd tunc Angelus esset in terra tanquàm in loco, non autem in Cœlo; in quo non operaretur immediatè immediatione suppositi, sed virtutis duntaxàt à se diffusæ & à Deo miraculosè ita delatę, ut in Cœlo, & non in locis intermediis, operaretur, ut patet in ipso exemplo ignis. *Ad* ult. R. disp. esse: Quia præsentiæ sacramentales, non sunt locales, & sunt per modos omninò supernaturales; quod nõ contingeret in Angelo: Unde iste, alligatus loco violento, etiamsi permittatur aliquid operari; ibi, & non alibi, operari debet. Et quidèm, cùm possit alligari loco, virtute naturali Angeli superioris; si posset alibi naturaliter esse per operationẽ; posset profectò, virtute naturalis agentis, in duplici loco adęquato constitui; quod expresse negant J. à S. Th. & Gonet, casum admittentes.

850 Opp. 4. cont. 2. Quia aliàs Angelus posset esse in pluribus locis, ut plura sunt: illa enim loca inadæquata, non essent unus locus entitativè, quia realiter distincta; nec continuitatê, quia intercapedine discontinuata; nec ordine, quia non diffunderet suam virtutem ex uno loco in alium: Consequens autem repugnare, docet D. Th. hîc a. 2. *R.* loca illa esse plura materialiter, sed non formaliter: Conveniunt enim in eo quod in loco Angeli se habet de formali; nempè, in eo quod est, ab eâdem virtute & operatione Angeli simùl tangi. *Totum* (enim) *illud cui immediatè applicatur virtus Angeli, reputatur ut unus locus ejus*, ut ibi ait D. Th. *Instabis*: Ergo Angelus poterit esse in locis distantissimis, dummodò non faciant majus spatium, quàm sit illud quod exigit sua sphæra; parùm enim refert, quòd multùm vel parùm operationes disjungat, si semèl potest eas discontinuare. *N.* cõseq. Quia si spatia illa inadęquata, ad tàm distantia transferantur;

adæ-

adæquatam Angelicæ virtutis ſphæram exuperant; ſi enim ſphæra adæquata Angeli, ſit leuca, v.g. quidquid ultra leucam eſt, etiam extra ſphæram eſt. *Nota* hîc benè, Angelum in caſu concluſ. unicam operationem elicere, formaliter immanentem, & virtualiter tranſeuntem ad plura ſpatia.

Opp. 5. cont. 2. p. 3. Quia duo corpora poſſunt eſſe divinitùs in eodem loco formaliter: ergo & Angeli. *R.* diſp. eſſe, quia quantitates poſſunt penetrari; ſecus virtus & operatio Angeli cum virtute & operatione alterius.

DISPUTATIO IV.

De Motu locali Angelorum.

DUBIUM UNICUM.

An, & quid ſit motus localis Angelorum, & qualiter fiat?

851 ANgelos verè & realiter moveri, concors eſt PP. ac Theol. ſent. unô exceptô Durandô, cujus opinio peſsimè apud Catholicos audit; adverſatur enim expreſſis Scrip. teſt. quę longum eſſet referre, & apertę rationi, quia dùm Angelus eſt in uno loco, poteſt velle, ſe in alium tranſferre, cùm liber ſit: ergo poteſt illùc moveri, aliàs voluntas illa fruſtranea eſſet. Adverte tamé, motum Angeli, interdùm eſſe per ſe talem (dùm ſcilicèt, movetur in loco immotô manente;) interdùm verò, per accidens; quando ſcilicèt, perſeverat operando circa locum ſe moventé, ut ſi operetur in navi.

Prima concl. *Motus localis Angeli, quô per ſe movetur, ſtat in diverſis operationibus, quibus ſucceſsivè, ſine quiete intermedia, diverſa tangit loca.* Sic D. Th. hîc, & prob. Cùm enim ſit in loco per operationem; non movetur localiter, niſi quatenùs variat operationem circa diverſa loca, eaque ſine interpoſitâ quiete, ſucceſsivè contingit; hôc enim modô, novum acquirit locum, relictô priori; quod eſt localiter moveri, ut

pa-

patet etiam in corpore. *Hinc* colliges, quòd si Angelus simùl operetur circa duo, plurave loca inadæquata; est quidem simùl in illis, sed localiter non movetur, cùm desit transitus de loco in locum, in quo stat motus localis. *Similiter*, si mediet quies, seu cessatio ab operatione, & denuò operetur; transibit quidèm de non esse in loco, ad esse in loco; at, non de loco ad locum: ergo.

Secunda concl. Angelus moveri potest motû continuô, & discretô. Prob. Quia potest dimittere successivè & sine intermedia quiete, locum divisibilem in quo priùs erat; & sic motus ejus erit continuus: potest etiam totum locum simùl dimittere, & toti alteri loco simùl se applicare; & sic motus ejus, erit discretus.

852 Tertia concl. Potest Angelus moveri motû discretô ad loca distantia, transeundo de extremo ad extremum, sine medio. Est D.Th. hic a. 2. & prob. *Tùm*, quia non est in loco ut contentus, sed ut continens & superior illô: ergo in potestate ejus est applicare se loco, proùt vult, vel per medium, vel sine medio. *Tum*, quia potest esse simùl in duabus partibus loci adæquati, quin sit in intermedia: ergo & successivè; quod est moveri.

Quarta concl. Motus angelicus, seu continuus, seu discretus, fieri nequit in instanti. Est D.Th. a. 3. & prob. tùm, quia de ratione essentiali motûs, est habere prius & posterius: ergo & fieri in tempore. *Tùm*, quia aliàs Angelus in eodem instanti esset in termino *à quo*, & *ad quem*: ergo non moveretur, sed quiesceret in utroque. *Tandèm*, quia motus localis Angeli, sive continuus, sive discretus, importat essentialiter occupare successivè, vel diversas loci partes, vel diversa loca: ergo requirit essentialiter diversa instantia; nullum enim essentialiter successivum, potest esse instantaneum. *Hinc* habetur, quòd diversæ operationes (quibus Angelus diversis locis, aut diversis loci partibus, successivè correspondet,) simùl esse non possunt, sed una alteri succedere debet, sicut & unus locus alteri succedit; aliàs, solùm diceretur esse per illas in pluribus locis, ut patet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

853 Opp.1. cont. 2.concl. Quælibet operatio Angeli, fit in instanti : ergo inter unam, & alteram mediare debet temporis pars, in qua Angelus non operatur, sed quiescit: ergo ex operationibus Angeli resultare nequit unus motus. *N.*1.conseq. Motus enim Angeli, cùm non pendeat ex motu Cœli; non mensuratur tempore nostrô, ut docet D.Th.hîc a.3. unde inter instans,& instans,mediare non debet pars in mensura motûs Angelici.

854 Opp. 2. cont. 3. Anima nequit informare partes corporis extremas,& esse in illis,quin informet intermedias: ergo. *R.*disp.esse,quia anima est in corpore per naturalem informationem & unionem; Angelus verò est in loco per liberam operationem; potest autem velle esse in partibus extremis,nolens esse in intermediis. *Hinc* ruit alia similis objectio,videlicèt: Angelus in sua duratione nequit correspondere duabus partibus extremis temporis, v.g. horæ primæ,& duodecimæ, quin correspondeat intermediis:ergo. Ruit inquam: Quia correspondentia ad partes temporis,est Angelo necessaria & naturalis ; ad partes verò loci , est ipsi libera: unde consequentia est nulla,sicut ista: *Suppositô quòd Angelus existat,à fortiori debet tempori correspondere: ergo & loco.* Potest siquidèm nullibì operari.

855 Opp.3. cont.eandem: Transitum illum ab uno extremo in alium , impertrânsito mediô , statìm ut menti sese offert, judicari impossibilem:ergo. *R.* RR. sic opponentibus *necessarium esse , sensibilia relinquere, & altiorem modum spiritualia contemplandi investigare*, ut loquitur Vazq. Sanè Ang.D. qui de Angelis angelicè scripsit, apertè docet nostram conclus. *Mirum* prętereà est,illam adeò imperceptibilem videri Recentiori cuidam, fervidè adversùs nos propugnanti, posse idem corpus esse circunscriptivè in pluribus locis, absque eo quòd sit in medio. Fortè hoc faciliùs capit imaginatio? scilicèt?

Opp.ult. Angelus non movetur dùm est in termino *à quo*; quandiù enim in illo est,non recedit:ergo solùm quando est in termino *ad quem*; sed in isto, est in instanti: ergo. *Dist.*

ant.

ant. completè & terminativè, C. incompletè & initiativè, N. Habet enim tunc Angelus unam sui motûs p. initiativam, & dispositivam ad aliam; existentiam scilicèt in termino *à quo*, in ordine ad præsentiam in termino *ad quem*, immediatè acquirendam.

DISPUTATIO V.

De Cognitione Angelorum.

EXplicatis ad substantiam Angeli, tàm in ordine ad se, quàm in ordine ad alia, pertinentibus; procedit S.D. ad agendum de cognitione ipsius, & 1. agit de virtute cognoscitiva q. 54. Secundò de medio, per quod fit intellectio q. 55. Tertiò de objectis, ad quæ extenditur, & modô cognoscendi illa, tribus qq. sequent. Quę quidem valdè subtilia, & scitû digna sunt; sed omnia elucidare, nè leviter quidèm, brevitas, cui consulimus, finit. Disp. ergo versabitur duntaxàt circa tradita q. 57. Sit igitur

DUBIUM UNICUM.

Utrum Angeli cognoscant naturaliter futura contingentia, & secretas cordium cogitationes?

856 UT omnia cognitionis Angelicæ objecta declarentur, supp. Angelos cognoscere singularia, etiam materialia: Tùm, quia aliàs, nullam providentiam habere possent de his quæ in hoc mundo aguntur, cùm actus non sint nisi singularium. Tùm, quia species Angelicę, illa repræsentant; cùm ab ideis divinis, perfectissimè illa continentibus, exemplatæ sint.

Supp. etiam, futura necessariò eventura, nec impedibilia (ut ortus crastinus Solis, & id genus,) certò cognosci ab Angelis; abstractivè quidèm, non intuitivè. Primum patet; quia habent universalem, & mirabilem scientiam causarum

naturalium ; & consequenter effectuum , ex illis naturaliter & necessariò provenientium. Reliqua constant; quia cognitio rei, non in se ipsa, sed in sua causa; non intuitiva est, sed abstractiva. *Supp.* præt. futura quę ut in plurimum eveniunt, impedibilia tamen, etsi rarò (ut quòd in vere sint tonitrua, & similia;) conjecturaliter solùm cognosci ab Angelis, ut docetur hic q.57.a.3. Quòd intellige in sensu formali, quatenùs scilicèt, hujusmodi futura subsunt causis proximis impedibilibus, ut optimè advertunt J.à S.Th.& Ferre.

857 In collectione tamen omnium causarum naturaliũ (quæ impedibilis non est, & quam Angeli comprehendunt,) talia futura certò cognoscunt, ut docet D.Th.q.8.de ver.a. 12. dicens: *Aliquid est contingens respectù unius causę, quod respectu concursus plurium causarum, est necessarium: Angeli autèm, omnes causas naturales cognoscunt; undè quædam, quæ contingentia videntur, aliquibus causis eorum pensatis, Angeli ut necessaria cognoscunt, dùm omnes causas eorum cognoscunt.* Certum nihilominùs est, *solius Dei esse, cognoscere futura*; ac proindè, Angelos ea non cognoscere: *Cognoscere* enim *futurum in sua causa; nihil est aliud, quàm cognoscere præsentem inclinationem causæ ad effectum : undè, hoc non est præcisè cognoscere futurum, sed præsens*, ut ait D.Th.q.16.de malo a.6. His supp.sit

858 Prima concl. *Angeli naturaliter non cognoscunt futura omninò contingentia, seu libera sint; seu fortuita & casualia*, ut quòd Petrus cràs ambulet, canis latret, segetes comburantur à fulmine, & id genus alia. Constat ex Script.Isa.41. *Annuntiate quę ventura sunt in futurum*, (alloquitur Idòla) *& sciemus, quia Dii estis vos.* Et 46. *Ego sum Deus* ::: *nec similis mei annuntians* ::: *quæ necdùm facta sunt.* Et hæc est communis vox PP. asserentium, hujusmodi futurorum præscientiam, & prædictionem, esse ità Deo propriam, ut manifestum sit divinitatis argumentum. Accedit quòd apud omnes gentes, talis præcognitio dicitur *divinatio*, quasi Deo maximè propria.

859 Prob.rat.D.Th. Quia non possunt illa cognoscere in suis causis, utpotè indifferentibus ad utrumlibet; nec in causa prima, cujus latentia consilia ignorant; nec possunt

illa

illa in se ipsis intueri, cùm nondùm sint; nec cognitio Angelorum mensuratur æternitate, omnia succedentia ambiente & repræsentante: ergo. Idem dicendum de præteritis, quę non percepère præsentia, & quæ nullum sui reliquère vestigium; illa quippè ita se habent respectû intellectûs Angelici, ac si nunquàm fuissent. Unde Isai. 41. *Annuntiate quæcunque ventura sunt, aut priora quæ erant*, id est præterita, *& dicemus, quia Dii estis vos.* Quibus ęquè negatur Angelis, & soli Deo asseritur, præteritorũ cognitio, ac futurorum, quidquid dicat Vazq. Hinc Moyses, narrans præterita quæ naturaliter scire non potuit, Propheta dicitur; quia in hujusmodi præterita cadere potest prophetia, ut ibidèm ait Hier.

860 Secunda concl. *Angeli non possunt per vires suæ naturæ, & seclusâ Dei revelatione, aut speciali directione cogitantis, secreta cordium, seu humanæ aut Angelicæ mentis cogitationes & affectus, certò cognoscere.* Prob. 1. Quia id est proprium Dei. 3. Reg. 8. & 2. Paralyp. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Jerem. 17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Vocat autem cor hominis *pravum*, id est, impenetrabile, distortum, flexuosum, inflexum, impervium, & inextricabile: sicut via prava, & labyrinthus intrincata.

Hinc PP. ex secretorum cordis notitia, Christi divinitatem contra Arrianos demonstrant, ut Hier. ex illo Lucę 11. *Ut vidit Jesus cogitationes eorum*, sic ratiocinatur: *Jesus videt cogitationes, & nullus potest cogitationes internas videre nisi solus Deus: ergo Christus est Deus.* Chrysol. Ser. 50. dicit Pharisęo, cujus cor Christus cognovit Lucæ 7. *Cape divinitatis ejus insignia, audi eum pectoris tui penetrasse secretum; aspice eum ad cogitationum tuarum latebras perveniisse.* Et cùm Scrip. & PP. loquantur de secretis cordium, etiam præsentibus; corruit prorsùs error Durandi existimantis, posse naturaliter Angelum cognoscere cordium secreta præsentia, licèt non futura. Pręt. Script. distinguit in Deo, esse præscium futurorum, & cordium inspectorem.

861 Prob. 2. concluſ. rat. D. Th. Angelus solùm potest naturaliter cognoscere pertinentia ad ordinem universi, sola

enim

enim hęc repræsentare valent ſpecies angelicæ; & quia aliàs, poſſet omnia poſsibilia & futura contingentia cognoſcere; at ſecreta cordium cogitata, ſecundùm ſe, & ut proveniunt à cauſa libera, ad ordinem univerſi non pertinent, cùm nec influant in corpora inferiora, nec ab aliquo dependeant, niſi immediatè à ſolo Deo, qui extra, & ſupra totum univerſi ordinem eſt: ergo. *Sed* benè nota, ſenſum hujus rationis non eſſe, ea à ſolo Deo cognoſci, quæ ab ipſo ſolo producuntur (ut falsò exiſtimant RR. quidam cum Durando) nam materia prima, Cæli, & animæ rationales, à ſolo Deo creatæ ſunt; nec Angelos latent. Quis ergo credat, S.D. propoſitionem, adeò apertè falſam, aſſumere pro fundamento? Senſus ergo eſt: *Actus qui taliter procedunt à cauſa ſecunda, ut ſolus Deus cum ea in ipſos influat, abſque connexione vel dependentia ab ulla alia cauſa naturali; ſoli Deo, præter cauſam elicientem, eſſe notos.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

862 Opp.1. cont.1. Quòd dœmones, & homines quos inſpirant, videntur quandòque futura prænuntiare, ſicut & ſecreta cordium penetrare: ergo. *R.* Dœmones interdùm vera prædicere; non quòd per vires naturales certò ea cognoſcant; ſed quia Deus immediatè, aut mediantibus bonis Angelis, ea ipſis revêlat, propter fines occultos ſuæ providentiæ; ut tradit Aug.2.de Gen.ad litt.c.17. Vel prophetiarum memoriâ, vel lectione; ſicque, *ut æmulentur divinitatem, furantur divinationem*, ut ait Tertul. Vel notitiâ cœleſtium impreſsionum; quæ licèt in corpus agant; quia tamen plures hominum, paſsiones, ſyderum influentiis excitatas, potiùs quàm rationem, ſequuntur: facilè motus voluntatis conjiciunt, & hinc plura tanquàm vera prædîcunt, licèt conjecturalitèr cognoſcant, ut docet D.Th. 2.2.q.95. a.5.ad 2. Vel demùm ex interni temperamenti immutatione, ac externis indiciis.

863 Opp.3. Species Angelorum ſunt perfectiores, juxta D.Th.3.p.q.11.a.6. ſpeciebus infuſis quibus anima Chriſti cognoſcit futura contingentia & libera: ergo. *R.* diſp. eſſe, quia ſpecies illæ infuſæ animæ Chriſti, ſupernaturales

ſunt;

sunt; secùs species Angelis inditæ ab initio; quanvìs istæ sint illis perfectiores, quantùm ad universalitatem; ut docet D. Th. ibidèm ad 4. Cognoscere ergo naturaliter hujusmodi futura, solius Dei est; per principia tamen supernaturalia, potest Angelus ea cognoscere; anima autem Christi, de facto cognoscit per scientiam infusam.

864 Opp. 4. Species Angelorũ métibus inditæ, sunt æquè repræsentativæ præsentiũ, ac futurorum: ergo in hujusmodi speciebus à se comprehensis, cognoscunt Angeli futura, sicut præsentia. *En nodum* à D. Th. sæpè subtilissimè solutum, & nihilominùs Theol. ingenia valdè vexantem. Cui cum S. D. occurrendum est, negando conseq. licèt enim species angelicæ, quantùm est de se, æqualiter se habeant ad præsentia, & futura; non tamen econversò: nam præsentia, actu per illas repræsentantur; secùs futura, ob defectum actualis existentiæ: *Ea enim quæ sunt præsentia* (inquit D. Th. hìc, ad 3.) *habent naturam, per quam assimilantur speciebus quæ sunt in mente Angeli; & sic per eas cognosci possunt: sed quę futura sunt, nondùm habent naturam per quam illis assimilentur: undè per eas cognosci non possunt.*

865 Itaque species angelicæ, directè repræsentant naturam, & ex consequenti etiam individua seu singularia repræsentare valent: hæc tamen in actu secundo non repræsentant, quandiù actũ non participant naturam, directè per illas repræsentatam, seu quandiù futura manent: actualis siquidèm repræsentatio, fit per actualem assimilationem inter speciem & objectum; objectum autem non participans naturam directè repræsentatam per speciem (cujusmodi est futurum,) actũ non assimilatur speciei; unde nec per eam actũ repræsentatur. Vide omninò D. Th. q. 16. de malo a. 7. ad 6.

Dùm autem objectum actũ existit, actũ assimilatur speciei angelicæ, absque ulla hujus intrinsecâ immutatione entitativâ, aut modali: sicut speculum, per solam objecti mutationem, repræsentat de facto aliquid quod anteà non repræsentabat: quod sanè exemplum, satis convincit, doctrinam hanc non esse adeò captũ difficilem, sicut visa fuit Contensoni. Quæ insuper traditur à D. Th. locò ultimò cit. ad 9.

Sic

Sic etiam (inquit) *ſpecies intellectûs Angelici, ſecundùm ſe ipſas, ſemper eôdem modô ſe habent; ſed ex tranſmutatione individuorũ naturalium provenit, quòd quandòque aſsimilantur ſpeciebus exiſtentibus in intellectu Angeli, quandòque non aſsimilantur.*

866 Et expreſsiùs adhùc quodl. 7. a. 3. ad 2. *Dicendum* (inquit) *quòd quandò aliquid incipit eſſe præſens, Angelus de novo cognoſcit illud; non facta aliquâ innovatione in ipſo Angelo; ſed in re cognoſcibili, in qua eſt aliquid, quod priùs non fuit.* Sic etiam frequentiùs cũ Cajet. & Ferrar. docetur cont. J. à S. Th. Araujo, Contenſon, alioſque. Ex dictis, clariſsimè occurres omnibus quæ objici poſſent. Unum duntaxàt proponere juvat.

Dices igitur: Licèt Cæſar actû non participet lineamenta illa, quorum ſimilitudo eſt ejus imago; hæc tamèn ſemper actû illum repræſentat; intuitivè quidèm, dùm ille exiſtit; abſtractivè autem, dùm non exiſtit: ergo etſi futurum actû non participet naturam, cujus eſt directa ſimilitudo ſpecies angelica, &c. *R.* diſp. eſſe: Quia imago, eſt effectus Cæſaris in genere cauſæ exemplaris, cùm ſit deducta ab illo, quando in ſe ipſo habebat lineamenta illa: Cognoſcitur ergo Cęſar in imagine, tanquàm cauſa in effectu; at ſpecies angelicæ, non ſunt effectus futurorum; unde, quandiù hæc non exiſtunt; nequeunt ab Angelis naturaliter cognoſci.

867 Opp. 5. cont. 2. Actus liberi entitativè naturales, continentur intra objectum proportionatum intellectûs angelici: ergo poſſunt ab Angelo naturaliter cognoſci. *Præt.* Juxta D. Th. ſuprà q. 19. a. 8. *Deus quædam vult fieri neceſſariò, quædam contingenter, ut ſit ordo in rebus ad complementum univerſi*: ergo actus liberi, ad ordinem univerſi pertinent; ac proinde cognoſcuntur naturaliter ab Angelis. *Ad* 1. N. ant. quia intra objectum proportionatum intellectûs angelici, ſola entitas naturalis pertinens ad ordinem phyſicum, & cum univerſo connexa, continetur: Actus autem liber, etſi naturalis, pertinet ad ordinem moralem, & extra univerſum eſt, cùm à ſolo Deo, extra & ſupra totum univerſum exiſtente, dependeat.

Ad 2. R. perfectionem univerſi exigere, quòd in eo ſint actus liberi, vagè & indeterminatè, proùt cauſa libera voluerit;

rit ; ſecus determinatè: Undè nequeunt determinatè ab Angelis cognoſci, niſi ſolùm quandò ad ipſos diriguntur; tunc enim percipiuntur, ut pertinentes ad Angelum ſeu hominem revelantem, & conſequenter ad ordinem univerſi; non quidèm ſimpliciter, (aliàs ab omnibus cognoſcerentur;) ſed obliquè, & ſecundùm quid: Et ſicut futurum, quamprimùm fit præſens, relucet in ſpecie repræſentante naturam: ita actus liber, accedente conſenſû elicientis; quod enim ibi operatur exiſtentia objecti, hîc proportionaliter operatur conſenſus revelantis.

868 Opp. tandèm: Phyſica prædeterminatio ad actum liberum naturalem, cùm ſit qualitas quædam naturalis, eſt pars univerſi: ergo cognoſcitur naturaliter ab Angelis, & conſequenter etiam actus liber ad quem determinat voluntatem. *R.* Eſſe quidèm partem univerſi; quia tamen per ſe ad libertatem voluntatis creatæ pertinet, cùm ad illationem actûs liberi per ſe ordinetur; latêre debet quamlibet creaturam, prêter elicientem actum ad quem datur, hoc exigente plenò voluntatis dominiò in ſuos actus liberos, quia aliàs, poſſent, ipsâ renitente, naturaliter cognoſci ab his quos talis præmotio non latèret. Et quidèm, ſicut actus liber ad quem datur, non pertinet ad ordinem univerſi; ità nec ipſa.

Ex dictis inferes, Angelos non poſſe naturaliter cognoſcere myſteria gratię, nec entia ſupernaturalia; quod docetur a. ſeq. Sunt quippè mentibus eorum improportionata. Tum quia à ſola voluntate divina pendent: tum quia ſpecies illa repræſentantes, ſunt Angelis indebitæ: ſicut & ipſa perficiunt univerſum, non perfectione debitâ, ſed ſuperexcedente. De quo fuſiùs in Tract. de Fide, & de Incarnat. *Circa* doctrinam quinque ſequentium qq. nulla occurrit ſpecialis controverſia; ideòque illâ omiſsâ, ſit

***

DIS-

DISPUTATIO ULTIMA:

De Angelorum Malitia quoàd culpam.

DUBIUM UNICUM.

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis?

869 SUpp.1. Repugnare prorsùs Angelum, aliamvè creaturam liberam, naturaliter impeccabilem, ut n.204. demõstratum est. Secundò, diabolum defactò peccasse, ut habetur Job. 4. *In Angelis suis reperit pravitatem*, Joan.3. *Ab initio diabolus peccat*, & alibi. Tertiò, primum diaboli peccatum fuisse superbiam propriè dictam, ut ex Scrip. præcipuè Isaiæ 14. & Ezechielis 28. docent PP. Quartò, Angelum peccasse appetendo esse *ut Deus*; non quidèm *per æquiparantiam* seu æqualitatem, quia naturali cognitione sciebat, hoc esse impossibile; nulla autem volitio absolutè talis (qualis fuit primum peccatum Angeli,) potest esse impossibilium: & datô, hujusmodi æqualitatem esse possibilé; non posset eam appetere, quia appeteret sui destructionem; sed peccasse appetendo esse sicut Deus *per similitudinem*, non in aliquo impossibili (hoc enim perfectæ cognitioni angelicæ repugnat,) sed in hoc, quòd voluit, *ut finem ultimum beatitudinis, id ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire; avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei*; ut docet D.Th. q.63. a.3.

870 In hoc ergo affectavit Dei similitudinem; quia maluit in sua naturali præcisè beatitudine consistere, & in ea ultimum finem sibi constituere, quàm à Deo quasi emendicare supernaturalé beatitudinem, quam, optimè noverat, sine ejus auxilio consequi non posse. Et hâc viâ assimilari conatus est Altissimo, qui est sibi ipsi sua beatitudo, & à nullo eam emendîcat; sicque maximum peccatum superbiæ pa-

tra-

travit, dùm ex amore proprię excellentiæ proceſsit, quòd ſimilis Altiſsimo vellet eſſe, oblatam ſupernaturalem beatitudinem ſuperbè recuſando, & divinum præceptum, quò ad eam conquirendam aſtringebatur, contemnendo. Et hæc, citra âleam, eſt genuina mens D.Th.

Nullus ergo intervênit error ſpeculativus in peccato Angeli, ut ſæpè docet D.Th. quia, nec ſuam naturalem felicitatem putavit abſolutè excellentiorem ſupernaturali; nec iſtam impoſsibilem eſſe, vel ſibi non neceſſariam, aut utilem; ſed judicabat, ſuam naturalem excellentiam non haberi ex ſpeciali gratia, ſed jure creationis; nec ut multis communem, ſed ſibi ſingularem: ſupernaturalem autem beatitudinem, utrâque iſtâ conditione carêre. Et totum hoc veriſsimum erat. Errabat autem practicè; quia ſingularitatis avidus, impatienſque dependentiæ ab aliena gratia, & nolens quidquam precariò habere; antepoſuit inferiorem excellentiam, ut propriam & non ex gratia ſpeciali habitam, excellentiæ ſuperiori, ut multis communicabili, & ex gratia dandæ. Et in hoc tantum erravit practicè, quantum ſuperbivit.

871 Subdit tamen D.Th. *Vel ſi appetiit ut ultimum finem illam Dei ſimilitudinem quæ datur ex gratia; voluit hoc habere per virtutem ſuæ naturæ, non ex divino auxilio.* Sed mens D. Th. non eſt, *quòd Angelus efficaciter voluerit beatitudinem ſupernaturalem propriis viribus adipiſci.* Tùm quia, modum iſtum dicendi quem ſubdit, ſub cõditionali reliquit, ut patet & optimè notat Cajet. Tùm, quia laudata verba, ad 1. ſenſũ intelligi debent (ut innuit S.D. ſubjungens, *& hęc duo quodammodò in idem redeunt*) quòd ſcilicèt Angelus, voluiſſet quidèm beatitudinem ſupernaturalem, ſed voluiſſet propriis viribus eam conſequi; quod cernens impoſsibile, maluit in naturali ſiſtere beatitudine, & noluit ſe convertere ad finem ſupernaturalem, & ex divina gratia niti ad illum conſequendum. Porrò recuſatio beatitudinis habendæ ex gratia, & electio ſiſtendi in naturali, unus & idem actus fuit, êademque ſuperbia. Nec dubium, quòd imperfectâ voluntate, ſeu velleitate, potuit Angelus ſuperbè appetere unionem hypoſta-

ti-

ticam, & alia, ab ipso existimata impossibilia; non autem perfectâ & efficaci volitione essendi Deo similem.

872 Quintò supp. est, secundùm reatum, omnia peccata in Dæmonibus esse posse, quatenùs ad illa inducunt homines; at, secundùm affectum, solùm superbiam & invidiam, quæ sunt purè spiritualia; Angelus enim non potest affici nisi ad bona spiritualia, nihil enim afficitur, nisi ad conveniens suæ naturæ. *Tandèm* supp. Angelum non peccasse in primo instanti suæ creationis, juxta illud Isa. 16. *Quomodò cecidisti Lucifer, qui manè oriebaris?* Quibus, aliisque innuitur, Dæmones aliquando fuisse bonos. His supp.

873 Concluſ. est neg. & ferè com. cont. Scot. & quosdam Societ. Prob. rat. fundamentali: Operatio simùl habita cum esse rei, attribuenda est agenti producenti rem in esse: sicut motus sursùm, inest igni à generante, quia incipit cum ipso esse ignis, & primus motus cordis, tribuitur generanti, quia incipit simùl cum ipso primo esse cordis; sed peccatum non potest attribui Deo producenti Angelum in esse: ergo prima operatio Angeli, simùl habita cum esse illius, non potest esse peccatum. *Prat.* Deus influit in primam Angeli operationem, nedùm influxû generali causæ primæ concurrentis cum causis secundis ad omnes istarum operationes, sed etiam speciali *creantis* Angelum: ergo si talis operatio esset mala; attribueretur Deo ut speciali Authori, non minùs quàm si influeret in illam consulendo, aut præcipiendo, &c.

Hæc procul dubiô, est efficacia rationis D. Th. quâ rectè perpensâ, omnes evasiones hucusquè meditatę, penitùs evanescunt; sicut & objectiones, quibus illam infringere conantur Adversarii. Quod ut apertiùs constet, adverte, quòd juxta D. S. prima Angeli operatio, est aß Angelo tanquàm ab agente libero eliciente illam, à Deo autem est tanquàm à concurrente cum causis secundis ad istarum actiones; & insuper tanquàm à *creante* Angelum, quia simùl incipit cum esse Angeli; & sub hac ultima ratione, est Deo attribuenda ut speciali authori, ideòque si mala esset; ejus malitia attribueretur Deo; quod est hæreticum & impossibile. Hinc,

in-

inquam, præcluduntur evasiones contrariorum.

874 Respondent enim 1. Principium assumptum, verificari in agentibus necessariis; secùs in liberis. *Sed* contra est: Quia operatio libera creaturæ, potest Deo attribui, ut speciali authori: si enim Deus consuleret aut præciperet homini mendacium; istud tribueretur Deo ut speciali authori, nec propterea evaderet necessarium homini. *Respondent* 2. Deum concurrere concursû indifferenti ad primam Angeli operationem, & consequenter, hanc non esse Deo tribuendam, tametsi incipiat cum esse Angeli. *Sed* contra est: Quia si Deus præciperet aut consuleret peccàtum; quanvis concurreret ad istud concursû indifferenti per modum causæ primæ, esset auctor peccati: ergo pariter. Et ratio utriusque, jàm assignata est: quia scilicèt, sicut concursus præcipientis & consulentis, est specialis; ità & creantis & producentis. Et ratione hujus duntaxàt, asserimus, attribuendam esse Deo primam Angeli operationem; non autem ratione concursûs generalis, quem Adversarii existimant indifferentem, & quô, nè juxta illos quidèm, concurrit Deus ad creandum & producendum, sed ad operationes liberas; undè solutio est nulla.

Unô verbô: D.Th. non docet, tale peccatum esse tribuendum Deo sub munere *moventis* & *applicantis*; sed sub munere *creantis* & *producentis* Angelum, ad cujus esse sequitur per modum proprietatis, prima ejus operatio, & consequenter, est quasi *congenita* & *comproducta*. Qui autem alitèr accipiunt & interpretantur rationem D. Th. ab illius mente procùl recedunt; pluribusque se implicant difficultatibus, à quibus vix expediri valent.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

875 Opp. 1. Homo potest peccare in primo instanti usûs rationis, juxta D.Th. 1.2.q.89.a.6. ergo & Angelus in 1. instanti sui esse; in utroque enim, prima illa operatio, est primus motus voluntatis deliberatæ, & se liberè determinantis per usum rationis. *R.* discrimen esse manifestum ex dictis, quia D.Th. non probat, primum actum voluntatis angelicæ non posse esse malum, quia est primus motus vo-

lun-

luntatis deliberatæ, ut quidam falsò existimant; sed, quia est motus incipiens simùl cum esse rei; quod non competit primæ operationi hominis deliberatæ: hæc quippè, non simùl incipit cum esse hominis, sed illud supponit multò antè productum. *Nec obstat*, quòd anima in 1. instanti sui esse seu unionis ad corpus, inficiatur peccatô originali, quin istud tribuatur Deo, illam producenti: *Anima enim in primo instanti suæ creationis efficitur mala, non per actionem propriam, sed per unionem ad corpus infectum; unde non est similis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus nisi per actionem propriam*, ut ait D.Th. q.16. de malo a.4. ad 21. Actus igitur elicitus à creatura in 1. instanti, tribuitur creatori; secùs defectus adveniens creaturæ ab extrinseco & per accidens; nec enim tribueretur creatori læsio ab extrinseco adveniens animali in 1. instanti suę productionis.

876 Opp. 2. Angelus in 1.instanti, habuit libertatem ad utrumlibet, judicii indifferentiam, aliaque principia, ex p.voluntatis requisita ad posse expeditum ad peccandum: ergo istud habuit in 1.instanti. *Prę.* Eadem principia & comprincipia ex p. potentiæ, eandemque libertatem habuit Angelus in 1.instanti, & in 2. ergo: *Demùm*: Angelus in 1. instanti fuit liber, & ejus 1.operatio, libera: ergo & potuit peccare. *Omissis* variis solut. *Ad* 1.N.conseq. Quia posse expeditum ad peccandum, ultra enumerata, dicit & connotat ex p. Dei, posse permittere actum malum voluntati creatę, pro tali occurrentia, vel instanti; Deus autem non potest permittere peccatum Angelo pro 1.instanti, propter dicta. *Vel aliter*: Tale posse expeditum, connotat essentialiter ex p.Dei, carentiam influxûs in actum, per quem hujusmodi potentia expedita, reducenda est ad actum: cùm autem speciali influxû concurrat ad 1. Angeli operationem; fit inde, quòd Angelus erga illam, non habeat posse expeditum, ut malè & defectuosè ab illo eliciatur. Hinc, *Ad* 2.R.êadem principia & comprincipia ex p.potentiæ, habuisse Angelum in 1.& 2.instanti; sed cum diversis connotationibus ad concursum Dei; nam in 1. connotabant carentiam permissionis divinę, aut influxum Dei specialem in illam 1.operationem;

se-

secùs in 2. *Ad* ult. N.conſ. poſſe enim expeditum ad peccandum, non eſt de ratione eſſentiali libertatis, ut patet in Deo, & Anima Chriſti, perfectiſsimè liberis abſque potentia peccandi.

877 Opp.3.Angelus in 1.inſtanti ſui eſſe, potuit habere plures operationes, quarum una eſſet prior aliis, prioritate aliquâ rationis: ergo potuit peccare in illo, ſi non per 1.ſaltèm per ſubſequentes. *Admiſsò* ant.N.conſeq.Quia noſtra ratio militat in quacunque operatione elicitâ ab Angelo in 1.inſtanti,ut patet;unde nulla potuit eſſe peccaminoſa.

878 Opp.4.Principium,cui innititur noſtra ratio,verificari nequit in motibus ſeu operationibus liberis: *Tam*, quia motus liber, cõvenit rei ex ſua determinatione,& quia vult;in quo differt à neceſſario,conveniente rei quaſi ab ipſa natura:*Tum*,quia motus liber,plenè tribui debet ipſi agẽti libero: ergo neutiquàm danti eſſe.

*N.*aſſump.Ad 1.prob.N.conſeq. Quòd enim actus procedat ab operante liberè, non tollit, quòd ſpeciali aliquô influxû dependeat ab alia cauſa, ac proinde illi etiam tribuatur.Profectò, peccatum nedùm tribuitur liberè illud perpetranti,ſed etiam cuilibet conſilianti,adjuvanti,aliôve ſpeciali influxû ad illud concurrenti.Omnis ergo motus incipiens cum eſſe rei, tribuitur generanti; aliter tamen, & aliter;neceſſarius quidèm, tribuitur generanti, tanquàm imprimenti illum naturæ rei productæ,& illam quaſi ſigillanti ad neceſſariam ejus elicientiam; liber verò,tanquàm ſpecialiter influenti ſub munere creantis,ut ſæpè dictum eſt. *Ad* 2.prob. diſt.ant.Debet ipſi plenè tribui, id eſt, cum excluſione alterius agentis,ſimùl influentis phyſicè vel moraliter, N. ad illum neceſsitantis, C.

879 Opp.5.Motus qui tribui ſolent generanti,tribuuntur ei, non ſolùm pro 1.inſtanti, ſed etiam pro quovis alio ſequenti;ut patet in motu gravium & levium: ergo ſi ratio noſtra valeret;deberet Deo tribui peccatum Angeli,in quocumque inſtanti commiſſum. *Diſt.*ant.ſed etiam pro quovis alio ſequẽti,ſi ſint motus rei non viventis,C. ſi viventis, N. Undè omnes motus gravium & levium, cùm hæc non

ſint

sint vitalia, aut se moventia, generanti (& quidèm soli) tribuantur, necesse est. Motus autem viventis, si primus sit, & viventi, & istud producenti, tribuitur; sequentes verò, soli viventi, ut patet in corde.

880 Opp.ult. Angeli potuerunt in 1. instanti omittere actum quô se disposuerunt ad gratiam, fuit enim liber: ergo & peccare, cùm talis omissio, sit virtualis & voluntaria dimissio gratiæ, & consequenter peccatum. *Præt.* Ut Angelus possit peccare in 1. instanti, exigitur ex p. Dei, cõcursus duntaxàt ad materiale actionis, cum permissione formalis; quod non refundit in Deum peccatum creaturæ.

N. conseq. Non enim quælibet voluntaria omissio dispositionis ad gratiam, est peccatum; sed requiritur instantia pręcepti, quæ si pro illo 1. instanti supponatur in Angelo; non potuit talem dispositionem omittere in sensu composito, & ut oppositam præcepto; sed solùm in sensu diviso, & secundùm se sumptam, ut de Christo circa mortem præceptam alibì explicatur. Et sanè Christus habuit in 1. instanti gratiam habitualem pręviâ aliquâ dispositione liberâ, quam subinde potuit non elicere, quin peccare potuerit. Et, si à 1. instanti non fuisset beatus; potuisset in illo liberè elicere actum fidei, & consequenter illum omittere, absque potentia peccandi. *Ad* aliud, N. ant. quia daretur insuper specialis influxus in peccatum, sub munere creantis & dantis esse Angelo; ratione cujus refunderetur peccatum in Deum, ut sæpè dictum est. Ac de prima Epitomês Parte, hactenùs.

Omnia S. Rom. Ecclesiæ correctioni, & Sapientum Hominum judicio, submissa sunto.

IN-

INDEX.

DISPUTATIO PROOEMIALIS.

De natura & dotibus Sacræ Theologiæ.

DUBIUM I. Utrum S. Theologia sit verè, & propriè scientia? pag. 1
Dub. II. Ut. Theologia nostra strictè subalt. scientię Dei, & Beat. maneatque in Patria? 7
Dub. III. Ut. Theol. sit una scientia in specie athoma, & simplex qualitas? 10
Dub. IV. Ut. Theol. sit formaliter simul & eminenter speculativa & practica simpliciter? 14
Dub. V. Ut. Theologia sit entitativè naturalis? 15
Dub. VI. Ut. Theologia sit dignior aliis scientiis, & strictè sapientia? 19
Dub. VII. Utrum Theologia sit argumentativa, & quot sint Loci theologici? 22
Dub. ultim. Utrum Sacra Scriptura sub una litera habeat plures sensus? 25

TRACTATUS I.

De Existentia, Natura, & Attributis Dei.

DISP. I. De Existentia, & Unitate Dei. 30
Dub. I. Utrum Deum esse, sit per se notum? ibid.
Dub. II. An hæc propositio, *Deus est*, sit demonstrabilis? 35
Dub. III. Utrum Deus sit? 38
Dub. IV. Utrum dari possit ignorantia invinci-

bilis existentiæ Dei? 45
Dub. ult. Utrum Deus ita sit unus, & singularis, quòd repugnet dari plures Deos? 49
DISP. II. De Natura & Quidditate Dei. 51
Dub. unic. Quodnam sit constitutivum Naturæ divinæ? ibi.
DISP. III. De Simplicitate, & Perfectione Dei. 60
Dub.I. Qualiter Attributa ab Essentia, & inter se, distinguantur? ibi.
Dub.II. Utrum ponenda sit in Deo compositio ex genere, & differentia? 65
Dub.III. Utrum Deus sit summè perfectus, omniumque rerum perfectiones contineat? 68
DISP. IV. De Immensitate, & Æternitate Dei. 71
Dub.I. Utrum Deus sit in omnibus rebus, & locis? 72
Dub.II. Quid sit æternitas, an soli Deo competat, & in quo ab ævo & tempore differat? 77

TRACTATUS II.

De Visione Dei.

DISP. I. De possibilitate Visionis beatificæ. 82
Dub.I. Utrum intellectus creatus possit Deum videre per essentiam? ibi.
Dub. II. Utrum Deus, ut clarè visibilis, contineatur sub objecto specificativo intellectûs nostri? 86
Dub.III. Utrum Deus videri possit oculô corporeô? 90
DISP.II. De specie ad visionem requisita. 93
Dub. unic. Utr. repugnet species creata impressa, aut expressa, Deum quidditativè repræsentans? ibi.
DISP.III. De lumine ad visionem exacto. 98
Dub.I. Utr. sit possibilis intellectus, cui connaturalis sit visio beatifica? ibi.
Dub. II. Utrum Lumen gloriæ elevans intellectum

ad videndum Deum, ità neceſſariò requiratur, ut repugnet prorsùs, viſionem elici ſine illo? 103
Dub.III. Utrum Lumen gloriæ, ſit tota & adęquata ratio videndi Deum? 107
Dub. IV. Utrum Inæqualitas viſionum, ex ſola luminis inæqualitate ſumatur? 114
Dub. V. Utrum Intellectus creatus poſsit Deum comprehendere? 117
DISP. ultima, De objecto viſionis. 120
Dub.I. Utrum repugnet eſſentiam videri, non viſis attributis & Perſonis? ibi.
Dub.II. Quas creaturas videant Beati in Deo? 123
Dub. III. Utrum Beati cognoſcere poſsint omnia poſsibilia in Verbo, aut extra Verbum? 125
Dub. ultimum, Utrum aliqui in hac vita viderint Deum per eſſentiam? 129

TRACTATUS III.

De Scientia Dei.

DISP. I. De exiſtentia Scientię Dei. 133
Dub.unic. Utrum in Deo ſit ſcientia? ibi.
DISP. II. De ſcientia Dei in ordine ad ſe. 137
Dub.I. Utr.cognitio Dei,ſit propriè & ſtrictè ſcientifica reſpectu Attributorum & creaturarum? ibi.
Dub.II. Utr. Deus comprehendat ſe ipſum? 143
DISP.III. De ſcientia Dei in ordine ad alia à ſe. 145
Dub.I. Utr. Deus cognoſcat alia à ſe? ibi.
Dub.II. Utr. Deus cognoſcat alia à ſe,propriâ cognitione, & ſine diſcurſu? 148
Dub.III. Utr. Scientia Dei, ſit cauſa rerum? 151
Dub.ult. Utrum Deus cognoſcat non entia, mala, ſingularia, infinita, futura contingentia, & enuntiabilia? 155

TRACTATUS IV.

De Scientia futurorum.

DISP. I. De constitutione futuri, ejusque in æternitate præsentia. 161
Dub.I. Per quid constituatur futurum? ibi.
Dub.II. Utrum futura sint Deo physicè in æternitate præsentia? 170
DISP.II. De cognit. futur. contingent. conditionatorum quoàd an est. 183
Dub. unic. An futura contingentia condition. certò, & evidenter cognoscantur à Deo? ibi.
DISP. III. De medio, & modo, quô Deus futura contingentia conditionata cognoscit. 191
Dub.I. Utrum Deus cognoscat futura contingentia conditionata in suis ideis antecedenter ad decretum? 192
Dub.II. Utr. Deus cognoscat futura contingentia conditionata in voluntate creata ut supercomprehensa, ante omne decretum? 193
Dub.III. Utrum Deus cognoscat prædicta futura in suis decretis pro aliquo signo futuris, seu subjectivè conditionatis? 194
Dub.IV. Utrum Deus cognoscat memorata futura in eorum veritate objectiva, ante omne decretum? 196
Dub.V. An, ut Deus certò cognoscat futura contingentia conditionata, opus sit decretô subjectivè absolutô, & objectivè conditionatô? 206
DISP. ult. De impossibilitate scientiæ mediæ. 213
Dub. unicum, Utrum ex inconvenientibus, quæ ex scientia media sequi videntur, ejus impossibilitas ostendatur? ibi.

TRA-

TRACTATUS V.

De Voluntate Dei.

DISP.I. De exiſtentia, & objecto voluntatis divinæ. 253
Dub.I. An in Deo detur voluntas? ibi.
Dub.II. Utrum Deus amet creaturas poſsibiles? 256
Dub.III. Utrum creaturæ à Deo volitæ, contineantur ſub objecto primario divinæ voluntatis? 263
DISP.II. De libertate voluntatis divinæ. 266
Dub. I. Utrum voluntas divina poſsit aliquâ libertate gaudere in ordine ad divinam bonitatem? ibi.
Dub.II. Per quid conſtituatur actus liber Dei? 268
DISP. III. De efficacia, & immutabilitate voluntatis divinæ. 274
Dub. I. Utrum in Deo admittenda ſit formaliter voluntas inefficax, antecedens, & nunquàm implenda? ibi.
Dub.II. Utrum voluntas divina ſit immutabilis, & an id efficaciter convincat ratio D.Thomæ? 276
Dub. III. Utrum decreta prędiffinitiva ab intrinſeco efficacia circa actus liberos creatos, ſint de mente D. Thomæ? 280
Dub. IV. Utrum talia decreta ſint de mente Scripturarum & Ss. Patrum? 285
Dub. ult. Utrum præfata decreta rationibus Theologicis firmentur? 289
Synopſis, De Providentia Dei. 309

TRACTATUS VI.

De Prædestinatione & Reprobatione.

DISP.I. De existentia,& quidditate Prædestinationis. 314
Dub.I. An, & quid sit Prædestinatio? ibi.
Dub.II. Qualiter Prædestinatio distinguatur à Providentia? 318
Dub. III. Utrum Prędestinatio sit formaliter actus intellectûs, aut voluntatis? 322
DISP.II. De motivo Prædestinationis. 332
Dub.unicum, Utrum electio efficax ad gloriam, sit ante præviſa merita, vel illa supponat præviſa? ibi.
DISP. III. De effectibus Prædestinationis. 341
Dub.unicum, Quinam sint Prædestinationis effectus? ibi.
DISP. ultima, De Reprobatione. 348
Dub.unicum, De quidditate, motivo, & effectibus Reprobationis. ibi.

TRACTATUS VII.

De Sacratiſsimo Trinitatis Myſterio.

DISP. I. De Proceſsionibus divinis. 354
Dub.I. Utrum dentur Proceſsiones in divinis? ibi.
Dub.II. In quo conſistant Proceſsiones divinæ? 357
Dub. III. Quænam sint principia divinarum proceſsionum? 362
Dub.IV. Cur Proceſsio Verbi sit Generatio? 366
DISP.II. De Relationibus divinis. 377
Dub.I. An, & quomodò distinguantur ab eſſentia? ibi.
Dub.II. Utr. Relationes divinæ,ut virtualiter distinctæ ab eſſentia,dicant perfectiones relativas? 383

Dub.

Dub.III. Utrum Relationes divinæ afferant ſpecialem exiſtentiam, diſtinctam ab abſoluta? 392
DISP. III. De Perſonis divinis. 394
Dub.I. Per quid conſtituatur Perſona divina? ibi.
Dub.II. Utrum detur in Deo ſubſiſtentia abſoluta? 397
Dub.III. De regulis obſervandis in modo loquendi de hoc divino Myſterio. 401
Dub.IV. De Notionibus divinarum Perſonarum. 408
DISP.IV. De Perſonis divinis in ſpeciali. 409
Dub.I. De Perſona Patris. ibi.
De Perſona Filii. 411
Dub.II. Ex quibus objectis, ſeu ex quorum cognitione, procedat Verbum? 412
De Perſona Spiritûs Sancti. 416
Dub.III. An, ſi Spiritus Sanctus à Filio non procederet, diſtingueretur realiter ab illo? 418
Dub. IV. Ex quorum amore, & ex quo principio, per ſe procedat Spiritus Sanctus? 426
DISP. ultima, De Proprietatibus divinarum Perſonarum? 428
Dub.I. De ſimilitudine, æqualitate, & circuminſeſſione divinarum Perſonarum. ibi.
Dub.ult. De miſsione divinarum Perſonarum. 430

TRACTATUS VIII.

De Angelis.

DISP.I. De ſubſtantia Angelorum abſolutè. 433
Dub.I. Utrum Angelus ſit omninò incorporeus? ibi.
Dub. II. Utrum Angelus ſit compoſitus ex materia & forma? 438
Dub.III. Utrum Angelorum multitudo excedat numerum ſpecierum materialium, & individuorum naturæ humanæ? 441
Dub.IV. Utrum Angeli ita differant ſpecie, ut ſolò nu-

numerô differre non posſint? 443
Dub.ult. Utrum Angeli ſint naturâ ſuâ incorruptibiles? 449
DISP. II. De comparatione Angelorum ad corpora. 453
DISP.III. De comparatione Angelorum ad loca. 455
Dub.I. Quænam ſit ratio formalis conſtituendi Angelum in loco? ibi.
Dub. III. Utrum unus Angelus poſsit eſſe ſimùl in pluribus locis, & plures in uno? 461
DISP. IV. De motu locali Angelorum. 464
Dub. unic. An, & quid ſit motus localis Angelorum, & qualiter fiat? ibi.
DISP.V. De cognitione Angelorum. 467
Dub. unic. Utrum Angeli naturaliter cognoſcant futura contingentia, & ſecretas cordium cogitationes? ibi.
DISP.VI. De Angelorum malitia quoàd culpam. 474
Dub. unic. Utrum Angelus potuerit peccare in primo ſuæ creationis inſtanti? ibi.

***

Altare præsepium, Hostia Christum nascentem. Y lo mismo avia escrito antes San Cyrilo (186): *Præsepe est Altare in quo Christus per consecrationem quasi nascitur, & immolatur.* Pero pregunto: Seria Altar dorado aquel Altar de el pesebre? Si que lo era, como el Docto Barradio escrive: pues siendo assi, que el pesebre era de madera, como dize el Autor citado (187): *Præsepe fuisse ligneum*, estava todo cubierto de acendradissimo oro, y con razon; porque si el oro es simbolo de la caridad, la caridad mas heroica brillava en el pesebre de Belèn (188): *Verè aureum reclinatorium præsepe Domini, si enim charitatem adumbrat aurum, totum aureum, hoc est, charitate plenissimum præsepii reclinatorium.* En cuyo dorado, y magestuoso Altar, los Magos que significavan à los Fieles, como dize el Angelico Doctor (189): *In quibus*, habla de los Magos, *apparet sicut in quodam præsagio fides, & devotio gentium venientium ad Christum*, le ofrecieron à la Estrella veneraciones, y cultos; ò por lo que la Estrella figurava, ò por aver concebido algun superior numen en ella. Assi lo dexò la Sibila Eritrea escrito (190): *Divinamque Magi stellam coluere recentem.* Y si aora lo juntamos todo, hallarèmos, que aquella Estrella era el Principe Glorioso San Miguel, que lo mismo fue pararse en el pesebre, que verse colocado en un dorado Altar, cuyo Trono se ostentava sobre el Trono de Christo con representaciones de Sacramentado, para recibir en èl de los Fieles el culto mas rendido, y obsequioso. Yà, pues, aora no es digno de estrañarse, el que al pararse la Estre-

remos à descubrir lo misterioso. El Autor de las Maravillas de la Sagrada Escritura, cuyà Obra se atribuye à San Agustin, dize, que aquella Estrella era un Angel (177): *Quid repugnat, si hoc loco Stella Angelus dictus esse sentiatur.* Lo mismo escrive Theofilato (178): *Nè putes Stellam quales videmus, sed Divinam virtutem, & Angelicam in figura sideris apparentem.* Y de este mismo sentir son otros muchos (179). Cuyo Angel se les apareciò à los Magos sobre un monte, como el Autor de el Imperfecto refiere (180): *Apparuit eis descendens super montem.* Y se les apareciò, como advierte el Abulense, manifestando unas luzes en el aire (181): *Ista Stella fuit quædam impressio facta supernaturaliter in aere multum habens de lumine.* Mas si serìa este Angel de la Estrella San Miguel? Al parecer se nos descubre que si, por dos razones: la una es, que aquella coluna que le sirviò al Pueblo Hebreo de guia, dize Cornelio Alapide, que era expressa figura de esta Estrella (182): *Illa columna typus fuit hujus Stellæ.* Y si aquella coluna era Miguel, como antes vimos yà, para que corresponda lo figurado à la figura, se sigue, que era Miguel el Angel que se contenia en la Estrella. La otra razon es, que aquella Estrella, segun escrive con otros San Ignacio, excedìa en sus luzes à las demàs Estrellas de el Cielo (183): *Stella in Cœlo fulsit exuperans omnes quotquot ante fuerunt.* Y Miguel es, dize San Pantaleon, la Estrella de primera magnitud, que à todas las Estrellas de los Angeles excede con ventajas eminentes

(150): *Manus ejus ornatę annulis aureis.* Gilletio (151): *Ornatas annulis aureis, in quorum concavitatibus inclusi sunt hyacinthi.* Vatablo (152): *Manus ejus annuli aurei habentes inclusum hyacinthum.* Supongo con la comun inteligencia, que Christo nuestro bien el Esposo de el qual aqui se habla: y esto supuesto, es digno de advertirse, que el descubrirse en este Divino, y Soberano Esposo adornando con la sortija de oro su mano, es para hazer noble ostentacion de la grandeza, que goza como à supremo Monarca, por quanto era costumbre entre los Reyes el adornar sus manos con sortijas de tal preciosidad, en señal de su Regia celsitud. Assi lo advirtiò Gisserio (153): *Annuli aurei deferri solent in manibus ob regiam ostentandam magnificentiam.* Y con mas expresion lo dixo Cornelio Alapide (154): *Annulos aureos in signum majestatis gestant Reges, qualis hic est Sponsus.* Y aun manifiesta en esta sortija la grandeza que goza como à Dios, por significarse en el oro el sèr Divino, como dize el Angelico Doctor Santo Thomàs (155): *Aureæ dicuntur, quia operatio illius, Divinitatis peragebatur potentia, nam in auro Divinitas figuratur.* Y si à esta sortija, como dize el Texto sagrado, le servia de precioso esmalte un jacinto: *Habentes inclusum hyacinthum*; serà dezirnos, que quando Christo, como à Sumo, y Divino Rey, quiere hazer de su grandeza la mas noble, y gloriosa ostentacion, le sirve este jacinto de realce primoroso que le adorna, y de esmalte precioso que le ilustra.

Aquí pues aora mi reparo. Què jacinto, pregun-